# THOMÆ ACETI

ACADEMICI CONSENTINI, ET VATICANÆ
BASILICÆ CLERICI BENEFICIATI

# IN GABRIELIS BARRII

## FRANCICANI

De Antiquitate & situ Calabriæ

## LIBROS QUINQUE,

*Nunc primum ex autographo restitutos ac per
Capita distributos,*

## PROLEGOMENA,

Additiones, & Notæ.

QUIBUS ACCESSERUNT ANIMADVERSIONES

## SERTORII QUATTRIMANI

PATRICII CONSENTINI.

ROMÆ MDCCXXXVII.

Ex Typographia S. MICHAELIS ad Ripam

Sumtibus Hieronymi Mainardi.

---

SUPERIORUM PERMISSU.

# SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
# PAPÆ
# CLEMENTI
# DUODECIMO

THOMAS ACETI
FELICITATEM.

NON leves quidem me causæ impellunt, ut Sanctissimis tuis pedibus provolutus has *de Antiquitate & Situ Ca-*

*labriæ in Gabrielem Barrium* elucubrationes meas SANCTITATI TUÆ dedicem, ac demiſſiſſime offeram; & licet magnitudo ac majeſtas Tua me terreat, invitat tamen humanitas atque Clementia. Quem enim Te uno benigniorem potentioremque mihi, ac Calabræ nationi Patronum nanciſci poteram, cum & nationi & mihi tot munificentiæ Tuæ argumentis teſtatus ſis patrocinium? Equidem ut miſſos faciam tot Calabros viros, quos vel ad præcipuos Eccleſiaſticæ dignitatis gradus evexiſti, tenuitatis meæ recordatus es, cum in Bullarii Romani celeberrima editione ſub feliciſſimis auſpiciis Tuis qualemcunque navavi operam benigne exceperis. At hæc, BEATISSIME PATER, ſingulorum beneficia ſunt: venio ad ea, quæ omnes, totamque nationem TIBI devinctam faciunt. Nuper in Calabria ad inſtituendos Italo-Græcos extructum eſt Seminarium, diu a Romanis Pontificibus Deceſſoribus tuis fruſtra tentatum, ſed a Te, ære tuo, tot millibus aureorum impenſis feliciter cœptum, atque abſolutum. Et quaſi gloriæ Tuæ ac

pro-

providentiæ parum viſum ſit, Epiſcopo ad id conſtituto, peramplis redditibus decoraſti. Quas ergo acceptas Tibi referet gratias Calabra gens, quas laudes gloriæ Tuæ dignas excogitabit? Aſt ego, BEATISSIME PATER, omnium minimus quo pacto valeam SANCTITATIS TUÆ digniſſima celebrare præconia? Dicam quod res eſt. Si generis nobilitatem, Corſiniæque Gentis præſtantiam, animi magnitudinem, ſanctitatem, ceteraſque Majorum Tuorum virtutes enarrare aggrediar, eloquentia deficit. Si in regenda Petri Navicula, cui ſanctiſſime præes, totaque Chriſtiana Republica gubernanda, Animi Tui moderationem, Juſtitiam, Apoſtolicam fortitudinem, & charitatem, qua omnes complecteris, exponere audeam, vires non ſuppetunt. Urbem, mundi caput, Barbarorum feritate obtruncatam, ac vetuſtiſſimis præclariſſimiſque ornamentis exutam legimus; temporum injuriis fœdatam vidimus: Nunc vero ſurgentem aſpicimus, quæ juvenili facie revocata SANCTITATI TUÆ refert acceptum quicquid de-

coris,

coris, pulcritudinis, ac majeſtatis acceſſit. Capitolium Conſularibus Inſcriptionibus, eximiiſque Statuis exornatum; Vaticana Bibliotheca, toto terrarum orbe conſpicua, peculiaribus antiquitatis monumentis, Hetruſciſque vaſis locupletata; Eccleſiæ vel a fundamentis erectæ, vel reſtitutæ, quas inter celeberrima Laterani, qua porticibus, qua proſpectibus; Hadriaticum mare libero Anconæ portu, inſignibuſque ædificiis nobilitatum; Trivii Fons magnificentiſſime extructus; Viæ omnes publico commercio commodæ, ceteræque Ædes TE Romanæ magnificentiæ reſtitutorem, oppreſſi refugium, inopes Patrem, Literatorum cœtus Mæcenatem vindicant atque proclamant. Sed hæc, tametſi maxima, ſi cum Animo Tuo conferantur, nulla ſunt: præſertim quod paucorum annorum ſpatio, ac difficillimis hiſce temporibus omnium expectationem viceris ac deſiderium. Jam vero gloriæ Tuæ gens Calabra gratulatur, munificentiæ gratias agit; quin & ego in hoc opere nihil antiquius habui, quam ut accepti a TE beneficii monumentum

per.

perennaret. Quamobrem, BEATISSIME PATER, ut hos qualeſcunque labores meos, glorioſiſſimo Tuo Nomine decoratos, in Tuaque celeberrima Bibliotheca ſive Vaticana, ſive Corſinia præcipue digeſtos, meque, gentemque meam, cujus hiſtoriam pro virili parte contexui, ea qua ſoles Clementia excipias enixe oro: ſatis quippe patrocinii Calabræ nationi ex hoc acceſſurum fore confido. Interim Deus Optimus Maximus, cujus, ad Eccleſiæ Catholicæ incrementum, populorumque TIBI concreditorum felicitatem, glorioſiſſimas geris vices, TE quam diutiſſime ſervet incolumem, PATER BEATISSIME, cujus ego Sanctisſimos pedes deoſculans, Paternam Tuam Benedictionem quam humillime exopto.

# PROTESTATIO AUCTORIS.

*Profitetur Auctor quoad res in hoc opere relatas, sive Personas respiciant, sive naturæ vires excedant conformare se omnino velle Decretis S. R., & Universalis Inquisitionis editis sub die 13. Martii 1625., & 5. Julii 1634., nec non declarationi factæ a Sa: Me: Urbano* VIII. *sub die 5. Junii 1631. Adeoque sensum ejus esse, ut cuncta dumtaxat recipiantur tamquam humana historici Scriptoris auctoritate freta, non autem veluti Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio comprobata, cui ea ipse humillime submittit corrigenda.*

---

*I M P R I M A T U R,*

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

*N. Baccarius Episcopus Bojanen. Vicesgerens.*

---

## *APPROBATIONES.*

Mandato Reverendissimi P. Jo: Benedicti Zuanelli, Sac. Palat. Apost. Magistri, lecta sunt a me perdiligenter Cl. Viri Thomæ Aceti Academici Consentini, & Vaticanæ Basilicæ Clerici Beneficiati *in Gabrielis Barrii de antiquitate, & situ Calabriæ libros quinque, Prolegomena Additiones, & Notæ,* additis Animadversionibus Sertorii Quattrimani; mirumque in modum ea me lectio delectavit: nam charissimi, & amicissimi Hominis præclara ingenii, & exquisitæ eruditionis monumenta jucunde perspexi; & ipsa scribendi ratio, ac dicendi genus ejusmodi est, ut nihil nitidius, neque venustum magis posit ad illustrandam communem Patriam desiderari. Omnia igitur visa sunt mihi & laudatis moribus congruentia, & Christianæ prudentiæ officiis referta: Quæ & virum deceant gravis in afferendo judicii, & in refellendis calumniatorum argumentis, urbanitatis, ac majestatis cultorem satis exhibeant. Eadem ergo Eruditorum utilitati, & oblectationi legentium Typis exponi posse censeo. Ex Collegio S. Francisci de Paula ad Montes de Urbe die XXI. Januarii MDCCXXXVI.

*Franciscus Zavaroni Ordinis Minimorum Ex-Generalis S.R., & Univers. Inquis. Qualificator, S.C. Indicis Consultor &c.*

Quum Notas, & Additiones ad Gabrielem Barrium tanto studio elucubratas, additis Sertorii Quadrimani Animadversionibus, a Cl. Thoma Aceti Basilicæ nostræ Vaticanæ Clerico Beneficiato jussu Reverendissimi P. Jo: Benedicti Zuanelli S. Palatii Magistri diligenter legerim, & non solum in eis nihil contra Catholicam Fidem, ac bonos mores invenerim; sed multa potius, quæ Sacræ Historiæ illustrandæ, ac pietati amplificandæ plurimum prodesse possunt, hinc, atque inde sparsa animadverterim; publica luce, atque Eruditorum lectione dignas censeo. In quorum &c. Romæ IV. Idus Aprilis MDCCXXXVI.

*Franciscus Marianus Vatic. Basilicæ Benefic., & Bibliothecæ Procustos.*

---

*I M P R I M A T U R.*

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædic. Sacri Palatii Apostolici Magister

THO-

# THOMAS ACETI AD ALOYSIUM SANCTOSEVERINUM BESIDIANENSIUM PRINCIPEM.

## PRÆFATIO.

JUre ac merito, AMPLISSIME PRINCEPS ad Te redit quod tuum eſt. Equidem probe noſti Gabrielem Barrium Sacerdotem Francicanum Majorum Tuorum ope ſuffultum regionem noſtram perluſtraſſe, ac celeberrimum illud opuſculum *De Antiquitate, & ſitu Calabriæ* ſtilo plane aureo exaratum BERNARDINO SANCTOSEVERINO inſcripſiſſe. Sed, quod maxime dolendum eſt, liber ipſe adeo inepte fœdeque Romæ apud Joſephum de Angelis excuſus eſt anno MDLXXI. ut prope innumeris mendis, quibus ſcatebat, Abrahamus Ortelius coactus ſit ſuccenſere. Poſt Barrium quoque ſcripſere Hieronymus Marafiotus Minorita, Joannes Florius Capuccinus, Dominicus Martyre in Metropolitana Eccleſia Conſentina Decanus, Elias de Amato Carmelita, aliique nonnulli ſive Italice ſive Latine: verum quicquid vetuſtatis ad Calabriam illuſtrandam conducit, a Barrio potiſſimum excerpſere, ſeu potius tranſcripſere. Sane Barrius ipſe, niſi morte fuiſſet præven-

tus, opuſculum illud, quod auctum emendatumque extat in Bibliotheca Vaticana num. 7374. denuo excudiſſet. Ubi autem id mihi innotuit, codicem perlegi, atque additiones emendationeſque manu exaratas fideliter expiſcatus ſum ſuo quaſque loco inſerendas, quod & feci, ac parvulis ſemicirculis quos Italice Apoſtrophos, Græce autem ſpiritus lenes vocamus ( " ) ( " ) interjeci. Plurimum itaque adjumenti Calabræ hiſtoriæ acceſſurum ratus ſi librum quoad poſſem mendis expurgatum cum additionibus evulgarem, animum libenter induxi, ac multorum annorum ſpatio ſubſecivis tamen horis, nulli parcens labori, Annotationes meas additioneſque ſubjeci. Sed & celeberrimas Sertorii Quattrimani Patritii Conſentini animadverſiones ad ipſum Barrium, quæ manu exaratæ itidem Romæ in Bibliotheca Angelica S. Auguſtini aſſervantur, tranſcripſi. Quo factum eſt ut parvus liber in volumen ſatis ingens excreſceret.

Profecto ne lectoribus negotium faceſſere viderer, atque ut ipſorum commoditati conſulerem, libros ſingulos Barriani opuſculi per capita, appoſitis argumentis, diſtribui; ſinguliſque capitibus primo Annotationes, additioneſque meas, deinde Quattrimani Obſervationes minoribus characteribus a textu ſatis diverſis adjeci. Operi Prolegomena præpoſui, Diſſertationem nempe De primis Calabriæ Coloniis, in qua Auſoniæ locus, Oenotri adventus, & Brettiorum origo expenduntur & vindicantur. Sequitur Synopſis chronologica de iis, quæ a Chriſto nato ad noſtra uſque tempora Calabriæ acciderunt. Id autem peregi ut Calabra hiſtoria a primis habitatoribus uſque ad noſtros vel uno obtutu innoteſceret. Ad calcem operis elenchum urbium ceterorumque locorum,

rum, quæ variis temporibus interierunt; Catalogum Virorum, ac Mulierum, de quibus in hoc opere agitur, in quolibet genere illustrium; ac demum locupletissimum indicem rerum notabilium apposui.

Porro hoc unum benignissimos lectores meos monitos volo, non me mihi sed Patriæ ac Regioni consulere voluisse, ne tot monumenta quæ labore improbo a me in hoc opere congesta sunt, deperirent. Si quid me latuit, aut fefellit, addant alii, & corrigant, libenter feram.

Ut autem Barrii opus quanti fiat vel rudi Minerva ostenderem, operæ pretium duxi, AMPLISSIME PRINCEPS, Petri Burmanni verba referre, quibus Barrium ipsum mirifice extollit, cujus librum inter alios Italiæ scriptores præstantissimos una excudit. Idque præ omnibus elogiis valere arbitror. Tametsi exactissimam Italicorum monumentorum editionem Vir Cl. Ludovicus Antonius Muratorius, Italiæ nostræ decus, in præsenti publici juris faciat. Ait itaque Burmannus Thes. antiq to. IX. par. V. *Præstantissimum celeberrimæ Provinciæ Calabriæ Chorographum Gabrielem Barrium repræsentavisse exquisitissimum hoc,* De Antiquitate & situ Calabriæ, *illius opus, tamquam quinque pro numero librorum, omni exceptione majora rerum testimonia adsunt. Descripsit enim adeo distincte & non minus accurate Regiones antiquarum Rerumpublicarum Calabrarum; & veterum, & modernarum Urbium, & Castellorum tam situm, nobilitatem, emporia, numismata, quam earum eorumque vicos & pagos, ac adjacentium agrorum, silvarum, & montium fructus, fodinas, & venationes, præterlabentiumque fluminum piscationes, & navigabiles tra-*

*ctus, cum Promontoriis, sinubus, aliisque locis; nec non plurimorum Sanctorum Reliquiis cognitu dignissimis, ut in iis aliquid amplius desiderari haud possit. Adjecitque porro gravissimus hic Auctor cujusvis loci descriptioni clarissimorum inde oriundorum virorum, ac mulierum, eorumdemque excellentium artificiorum, dictorum, & scriptorum exactissimam specificationem, ut cultior, ac venustior Calabra illustris Provincia ob oculos sisti non potuisset.*

Veruntamen non defuere qui hoc Barrii opusculum suppostititium putarent, ac Cardinali Guilelmo Sirleto, alii Cardinali Sanctoro adscriberent, at id tam ridicule commenti sunt, quam quod maxime. Qui enim fieri potuit, ut cum in humanis ageret Sirletus Romæ librum suum ab alio excudi pateretur? Nec Barrius is erat ut ex alieno labore laudem vellet sibi aucupari, cum ipse in toto opere nihil antiquius habeat, quam ut viris ac locis suam cuique laudem sartam tectamque servaret. Ridiculum plane esset eo vitio laborare voluisse quod in ceteris reprehendit. Sane vel librum *De lingua Latina* & *De laudibus Italiæ* Sirleti, aut Sanctori itidem fuisse, quod nullus adhuc somniavit; vel utrumque Barrii esse dicendum est: idem quippe stilus, eadem dicendi ratio, eadem pene verba ac sententiæ in utroque sunt. Sed & Barrius in hoc opere sæpe de alio a semetipso exarato mentionem facit. Porro qui huic operi succensent veluti spurio, Barrii opera non legerunt. At conjicere par est doctissimum virum Guilelmum Sirletum Cardinalem aliqua monumenta, ad historiam Calabram conducentia Barrio suppeditasse: præsertim cum ille de rebus Calabris a se congestos libros commemoret in opusculo *De Emendationibus Breviarii*

*Ro-*

*Romani*, ut infra dicemus. Verum disertissimus quisque historicum agens non poetarum instar fabulas texere, sed ex genuinis auctoribus ac monumentis fideliter excerptis quod sibi opus proposuit concinnare utique debet, ne posteris fucum faciat. Quod ut Barrius gravissimus Auctor exacte perageret non tam Calabriam lustravit, quam codices, aliosque Auctores consuluit. Ceterum Barrii libros legere profecto vindicare est.

Aliæ quoque vindiciæ pro Barrio sunt nobis suscipiendæ. Cum enim in comperto sit Gabrielem Barrium Francicæ Calabriæ oppido satis conspicuo natum, indeque Francicanum dictum, Sacerdotem secularem fuisse, ut ait Nicolaus Toppius in Bibliotheca Neapolitana, Barrii autem nomine folia quædam Vitam Abbatis Joachimi continentia circumferantur, ubi mendose legitur *Franciscanus* pro *Francicanus*; hoc Typographi errore alucinatus Lucas Vvadingus Minorita inter scriptores sui Ordinis Barrium ipsum recensuit, ut videre est in Syllabo Scriptorum Ordinis Minorum fol. 142. jam antea ab eodem Nicolao Toppio ibidem animadversum. Quapropter corrigendus videtur Vvadingus, cujus celeberrimæ editioni in varios tomos denuo accuratissime distributæ, nonnulli quorum Romæ in lucem jam prodierunt, Vir Cl. Josephus Maria ab Ebora Minorita strenuam navavit, navatque operam.

Jam vero, PRINCEPS AMPLISSIME, ut ad rem redeam, ne latum quidem unguem a Barrio excedere volui. Celeberrimum ille opusculum Sanctoseverinæ Domui inscripsit, ego auctum ac vindicatum transmitto; tametsi mantissa hæc si minus præstantia at mole quidem obsonium vincere videatur. Laudes

vero

vero tuas, tuæque Familiæ, velim mihi condones ſi tacitus præterire cogor. Non indiget Sanctoſeverina Domus omnium longe clariſſima ac nobiliſſima ut a me laudetur, qui nullus ſum. Barrius pauca dixit, unum mihi dixiſſe ſufficiat, Te ceteris juſtitia, clementia, ac liberalitate præſtare. Neque enim me fugit quantum Tibi Calabria debeat, quam ſatis juſte ac ſapienter non ſemel tranquillitate donaſti.

PRO-

# PROLEGOMENA.

# DISSERTATIO

## De Primis Calabriæ Coloniis.

## CAPUT I.

### *De Ausonia.*

AUsones, qui & Aurunci, antiquissimos Italiæ populos extitisse, sed ab Ausone Ulyssis, & Circes seu Calypsus filio nomen sumsisse omnes pene scriptores tradunt. Quod quam a veritate alienum sit, vel ab ipso Strabone satis apparet. Ait enim lib. VI. Ulyssem Temesam Calabriæ urbem appulsum commemorans, Τεμέσῃ Αὐσονίων κτίσμα, *Temesa, quam Ausones condiderunt.* Quo igitur pacto Ulyssis filius regioni potuit Ausoniæ nomen indere, quæ ante Ulyssem Ausonia vocabatur? Sed & Ausones ante res Trojanas in Italiam venisse, imo & ante Oenotros, Dionysius Halicarnasseus non obscure prodit lib. I. ubi inquit: *Oenotrus cum majore exercitus parte ad alium sinum appulit ab occidente Italiæ latus alluentem, qui tunc Ausonius ab accolis Ausonibus dicebatur. Sed postquam Tyrreni imperio maris sunt potiti, nomen mutavit in illud, quod nunc retinet.* Sed & Oenotrus teste eodem Dionysio septendecim ætates ante res Trojanas in Calabriam contendit: Ait etiam Plinius lib. 3. cap. X. *Magna Græcia in tres sinus incedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primi.* Theodorus Ryckius in dissertatione de primis Italiæ Coloniis hanc difficultatem agnovit, sed declinavit, atque e Scythia adventasse Ausones conjecit. Quoniam itaque primi Italiæ incolæ fuerunt Ausones, istique non ab Ausone Ulyssis filio originem habuerunt, ab altiori antiquitatis fonte Ausoniæ initium nobis est repetendum.

Liquet sane ex sacris paginis Noemi posteros totum terrarum orbem post diluvium inhabitasse. Non enim Αὐτόχθονας *Autochthonas*, præter duos primos parentes, seu ut Græci somniarunt ex Deucalionis Pyrrhæque lapidibus exiccata humo velut fungos natos credimus homines. Habemus Gen. cap. IX. *Tres isti, filii sunt Noe, & ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* Et cap. X. *Filii Japhet Gomer, Magog, &* Madai, *& Javan, & Thubal, &* Mosoch, *& Tiras. Porro filii Gomer: Ascenez, & Riphat, & Togorma. Filii autem Javan: Elisa, & Tharsis, Cettim, & Dodanim. Ab his divisæ sunt insu-*

*insulæ Gentium in regionibus suis*. Habemus etiam ex Josepho Antiquitat. lib. 1. cui adstipulatur Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis super Genesim, Aschenaz filium Gomer Rhegium appulisse, & *Aschenazæos dictos fuisse Rheginos*. Nec improbabilis conjectura est; nam ex Asia in Italiam trajicientibus regionum prima Calabria occurrit. Idque manifestum est Æneæ exemplo, quem Virgilius Troja per Calabriam in Latium deducit Æneid. lib. 3. S. Paulus Apostolus Cæsarea per Calabriam contendit Romam. Act. XXVIII. *Inde circumlegentes devenimus Rhegium, & post unum diem flante austro, secunda die venimus Puteolos &c. Et sic venimus Romam*. Quinimo Romanæ classes, summi Pontifices, Imperatores, & quotquot ex Italia in Asiam concessere, iter per Calabriam commodius atque expeditius habuerunt.

Non me fugit Antenorem post eversam Trojam per Græciam Illyricos sinus trajecisse, & in eum locum, ubi nunc Patavium est, contendisse, ut ait Virgilius lib. 1. Æneid.

*Antenor potuit mediis elapsus Achivis*
*Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus*
*Regna Liburnorum & fontem superare Timavi.*

Super quibus ait Servius: *Antenor non Illyrium, nec Liburniam tenuit; sed Henetiam. Sed inde venit quidam Henetus a quo denominata est Henetia, deinde Venetia*. Verum Antenori vel juxta vel e regione Calabriæ trajiciendum fuit, quam fortasse ob Græcorum Colonias declinavit. Capys quoque Troja discessit & in Campaniam contendit, Capuamque ex suo nomine condidit, teste eodem Servio, ac Dionysio Halicarnasseo lib. 1. Sicuti alii ex Trojanis Sardiniam alii alio transmearunt, utique per Calabriam quæ Italiæ frons est. Sed & Pelasgi ex Thessalia in Italiam contendentes, ad unum Padi ostium quod Spinetum dicitur appulerunt, sed vi maris jactati. Ait enim Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Pelasgi eam regionem* (Thessaliam) *reliquerunt sequuti oraculum, quo jubebantur in Italiam navigare, quæ tunc Saturnia vocabatur. Quare paratis multis navibus mare Ionium trajecerunt, oram Italiæ proximam attingere contendentes, sed flante Austro, & locorum ignari in altum delati ad unum Padi ostium Spinetum appellatum appulerunt*.

Aschenaz itaque, ut ad rem redeam, ad orientalem Calabriæ oram appulsus, tum regionis amœnitate, jucundaque cæli temperie allectus, civitatem ædificavit, quam a suo nomine *Aschenam* nuncupavit, ibique sedem constituit. Samuel Bochartus Geograph. sac. par. 1. lib. 3. cap. 9. putat Aschenaz in Phrygiam declinasse, non alia ratione ductus quam quod ibidem sit pontus *Axenus* a Græcis paululum deflexa voce immutatus; quamquam, ut Plinius lib. V. cap. ult. ait, *sunt auctores transisse ex Europa Mysos, & Phryges, & Tynos, a quibus appellantur Mysi, Phryges, & Bytini*. Nos tamen solidiori fundamento atque auctoritate freti, *Aschenam* civitatem in *Axenam* versam fuisse arbitramur, a qua Ausonia tandem aliquando devenit. Ait enim Etymologicum Magnum: Αὔσονες οἱ Ἰταλοὶ, καὶ Αὐσονία ἡ Ἰτα-

Ἰταλία, ὐκ ἀπὸ Αὔσονος τῦ Κίρκης ἢ Καλυψοῦς, καὶ Ὀδυσσέως. Ἀλλ᾽ ὅτι τὴν Ἰταλίαν οἱ παροικοῦντες ἔποικοι Αὐξένα ἔλεγον. *Auſones qui Itali, & Auſonia quæ* Italia, *non ab Auſone Circes ſeu Calypſus, & Ulyſſis filio, ſed quod* Italiam *inhabitantes incolæ Auxenam dixerunt*. Conſtat ſiquidem ex Ariſtotele Politic. lib. VII. & Strabone lib. VI. maritimam illam Calabriæ oram, quæ eſt Scylaticum inter & Lameticum ſinum, Italiæ nomen primo accepiſſe, quæ prius Oenotria appellabatur, ut infra fuſius dicetur. Sed & Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. ex Antiocho Syracuſano ait: *Morgete regnante Italia dicebatur tota illa ora maritima, quæ a Tarento Peſtum uſque protenditur*. Tota nempe Calabria, quæ Tarento Peſtum uſque mari alluitur.

Nec deeſt aliud fundamentum quod vel ipſe Bochartus par. 2. lib. 1. cap. 33. nobis ſuppeditat de Auſonum atque Auruncorum nomine, quos eoſdem fuiſſe credit; ait enim: *Auruncos pro Auſonibus dici docuimus tamquam ab Aurone deducta voce, qui idem fuerit Auſon. Alludunt Hebrææ voces* אורות *AVEROT, &* אורות *VROT, quarum illa CAULAS GREGUM, hæc ARMENTORUM PRÆSEPIA ſonat*. Rhegium autem Calabriæ, ubi *Aſchenia*, idem ſonat, teſte Hieronymo de Nominibus Hebraicis in Actibus Apoſtolorum, ubi de Rhegio Calabriæ mentio fit: *Rhegium, Paſcua eorum*. Ait quoque Varro lib. 2. l. 1. *Nobiles pecuariæ in Bruttiis habentur*. Sed & Aurunci, teſte Catone in Orig. Rhegium incoluerunt. Auſoniam poſtmodum Græci ab αὐξάνω *augeo* derivarunt, quod bonis omnibus regio aucta ſit.

Hinc ſatis apparet *Calabriæ* etymon non a voce קלב *Calab*; quæ *picem* ſignificat, ut Bochartus tradit, ſed a קלב *Caleb* quæ *lac* ſonat, veroſimilius deduci. Ibi enim pluſquam alibi armentorum præſepia, paſcua nunquam deficientia, & copia lactis, experientia magiſtra, fuerunt ſemper. Parum autem refert Caleb vocali *e* adnotari; nam vocales *e* & *a* maxime permutabiles eſſe, nemo eſt qui ignoret, præſertim apud Hebræos. Quapropter *Auſonia* & *Calabria* plane idem ſignificant. Auſoniæ poſtmodum nomen, ſicut & Italiæ, ut conſtabit ex infra dicendis, uſque ad Alpes pervenit. Sed & Aborigines & Pelaſgos eoſdem fuiſſe ac Auſones, utpote ex diviſione linguarum quam ſonat *Phaleg*, ortos par eſt conjicere. Deque his ſæpius infra redibit ſermo.

# CAPUT II.

## *De Oenotro.*

Quinam fuerit iſte Oenotrus in Calabriam appulſus, ut omnes fere ſcriptores tradunt, non a Græcis repetendum puto: ipſi enim ut Plinius fert lib. 3. cap. V. in gloriam ſuam effuſiſſimi, genuinam antiquitatis hiſtoriam adeo fabulis obtexerunt, ut ab eiſdem poſte-

ros omnem eruditionem ſumpturos arbitrarentur. Quapropter, ut Joſephus contra Apionem adnotavit, Sacerdos Ægyptius teſte Platone illos irridebat dicens: Ἕλληνες ἀεὶ παῖδες. *Græci ſemper pueri.*

Et Juvenalis Sat. X. . . . . *Et quidquid Græcia mendax*
*Audet in hiſtoria.*

Videbimus infra Neptuni fabulam ad Japhetum pertinere, ita & Saturni ad Noemum, quem & Oenotrum fuiſſe, variaque nomina obtinuiſſe, conjecturæ non paucæ ſuadent.

Noemus poſt diluvium communis parens fuit, ut nullus ignorat: Saturnus autem pater omnium creditus eſt, ut in Orphei hymnis Παγγενέτωρ, & γενάρχης appellatur, atque ejus uxor Rhea Μάτηρ μὲν τε Θεῶν, ἠ δὲ θνητῶν ἀνθρώπων: *Mater quidem Deorum, & mortalium hominum.* Noemus juſtus, & juſtitiæ præco ſedulus, cum eo vixerit ſeculo quo hominum mores erant perditiſſimi, nihil non egit ut illos ad veræ pietatis & juſtitiæ normam revocaret: Saturnus etiam juſtiſſimus fuiſſe traditur, ut Diodori lib. V. Biblioth. habetur; ait quoque de Saturno Aurelius Victor in lib. de origine gentis Romanæ: *Feros homines, & rapto vivere aſſuetos ad compoſitam vitam traduxit.* Virg. Æneid. lib. VIII.

*Is genus indocile & diſperſum montibus altis*
*Compoſuit, legeſque dedit.*

Hæc fuit ætas illa aurea, qua homines, ut fabulantur, omnia in commune poſſidebant. Virgil. 1. Georg.

*Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum*
*Fas erat.*

Et Ovidius lib. 3. amor. eleg. VII.

*Signabat nullo limite foſſor humum.*

Præterea in Timæo Platonis Κρόνος, καὶ Ῥέα, καὶ ὅσοι μετὰ τούτων, *Saturnus, & Rhea, & qui cum illis fuerunt* ex Oceano, & Thetide nati dicuntur. Noemus ſcilicet cum ſuis ex aquis diluvii tamquam ex matrice emerſit. Quandoquidem navim priſci Romani Saturni ſymbolum eſſe voluerunt, quo recentiores navim illam ſignificari ſtatuunt, qua in Italiam advectus eſt. Ovid. 1. Faſt.

*Et bona poſteritas puppim ſignavit in ære*
*Hoſpitis adventum teſtificata Dei.*

Veteres autem ſymbolo Navis aliud ſignificaſſe videntur, nempe arcam Noemi qua cum ſuis ab univerſali cataclyſmo ſervatus eſt; quamquam Græci ſcriptores Deucalionis diluvium, quod peculiare Theſſaliæ fuit, univerſale fuiſſe tradant, eumque in arca evaſiſſe, atque inde columbam emiſiſſe. Ita Plutarchus in lib. Utra animalia &c. Δευκαλίωνι φασὶ περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην δήλωμα γένεσθαι χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐκδυομένην, εὐδίας ἀποπτᾶσαν: *Columbam ajunt ex arca emiſſam Deucalioni indicem fuiſſe, cum rediret, tempeſtatis; cum evolaret, ſereni cæli.*

Ait etiam Macrobius, ubi de Jano, ſecundo aut tertio; Primus enim cum Saturno & Noemo confunditur: *Quum primus quoque æra*

*ſigna-*

*ſignaret, ſervavit & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur: quo Saturni memoriam etiam in poſteros propagaret. Æs ita fuiſſe ſignatum, hodieque intelligitur in aleæ luſu, cum pueri denarios in ſublime jactantes, CAPITA, aut NAVIM, luſu teſte antiquitatis, exclamant.*

Plutarchus in Parallelis Icarium a Saturno edoctum tradit τρόπον τῆς τοῦ οἴνου πόσεως, καὶ τῆς ἀμπέλου, *vini uſum, & vitis cultum.* Noemus ſiquidem, ut conſtat ex ſacris literis, cœpit eſſe vir terræ, & plantavit vineam; quin quia vir ſanctus vino ſuccubuit ſemel, fortaſſe ejus vires nondum expertus, in illius facti memoriam Saturnalibus more receptum erat multo ſe vino inebriare, quemadmodum Saturnus ebrietati præeſſe credebatur. Proinde in Luciano dicit Saturnus ſibi curam eſſe commiſſam κρότου, καὶ ᾠδῆς καὶ μέθης, *plauſus, cantus, & ebrietatis,* Ex his ſane ſatis apparet quam apte congruat Noemo Oenotri nomen a Græcis excogitatum. *Oenotrus* enim *vinum* ſignificat ἀπὸ τοῦ οἴνου *a vino*, quemadmodum & Janus a voce Hebraica יין *Jain* quæ etiam *vinum* ſignificat. Hunc bifrontem exprimebant Rhegini in Numiſmatibus apud Geltium de Numiſmatibus Magnæ Græciæ Tabula XXV. num. IX. quod Noemus utrumque viderit ſæculum ante & poſt diluvium. Sed & a Veteribus appellatur *Protheus, Vadimon, Vertunnus* [ ſynonyma a verto ] *Sol, cælum, Chaos* &c. Quod Noemus, ſive Saturnus omnia verteret, componeretque, ut fert Ovidius Faſt. 1.

> *Quidquid ubique vides, cælum, mare, nubila, terras*
> *Omnia ſunt noſtra clauſa, patentque manu.*
> *Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi,*
> *Et jus vertendi cardinis omne meum eſt.*

Noemus inſuper cum Ogyge a pleriſque confunditur, ſicut & utriuſque diluvium teſte Hieronymo quem citat Franciſcus Sanſovinus in notis ad Beroſum. Conſtat autem ex Plinio lib. 3. cap. X. Calabriæ inſulam ante oram Lacinii promontorii *Ogygiam* ab Homero appellatam fuiſſe: *Promontorium Lacinium, cujus ante oram X. M. paſſuum a terra Dioſcoron, altera Calypſus, quam Ogygiam appellaſſe Homerus exiſtimatur* fortaſſe a Καλύπτω *abſcondo*. Alludit etiam quod Hieronymus fert de nominibus Hebraicis interpr. de Numeris: *Og* enim, unde *Ogyges*, interpretatur *abſconditus*. Saturnus autem, qui Latium poſtea incoluit, ibique latuit, *abſconditus* etiam interpretatur, ut tradit Virgil. Æneid. lib. VIII. Ovid. faſt. 1. & conſtabit ex infra dicendis.

Italiam appellatam fuiſſe Saturniam omnes fatentur: Brettiam autem inter Lameticum & Scylaticum ſinum Italiæ nomen uſque ad Alpes poſtea transfuſum primo habuiſſe: conſtat ex Strabone lib. VI. ut ſupra adnotavimus, & ex infra dicendis: tum etiam ex Stephano de Urbibus in voce Βρέττος, in quo legendum: Ἀντίοχος δὲ τὴν Βρεττίαν φησὶ κληθῆναι Ἰταλίαν. *Antiochus Brettiam terram dicit Italiæ nomen habuiſ-*

 *ſe.*

ſe; tametſi, alii aliter legant, τὴν Ἰταλίαν κληθῆναι Βρεττίαν, *Italiam Brettiæ nomine eſſe appellatam*. Ut ut ſit, ſequitur Brettiam terram Saturniæ nomine aliquando inſignitam fuiſſe.

Sed ſi chronologiam expendamus, utique Oenotri tempus cum Noemo congruere reperiemus. Etenim, ut ait Dionyſius Rom. antiq. lib. 1. Oenotrus ſeptemdecim ætatibus ante res Trojanas in Italiam conceſſit. Si autem ſeptemdecim ætates computaveris, quæ faciunt annos quingentos ſaxaginta ſex, & menſes octo, hiſque addideris biſcentum nonaginta quinque quandiu ſcilicet duravit Trojanum regnum, invenies octingentos ſexaginta duos annos, quatuor menſibus minus. Cum itaque Trojanum excidium collocetur a Petavio in Rationar.temp.par.2.ad annum mundi 2695. ſi ex his retro aſcendendo detraxeris antedictos, protinus invenies annum mundi 1833. Conſtat ſiquidem ex eodem Petavio ibidem, aquis diluvii obrutos homines anno mundi *1656.* cumque Noemus vixerit poſt diluvium trecentis quinquaginta annis Gen. cap. IX. pervenit utique ad annum mundi *2006.* ſuperſunt igitur anni centum ſeptuaginta tres, quot vixerit Noemus, ſive Oenotrus poſtquam in Calabriam appulerit, poſteros ſuos inviſendo. Ex quo intelligimus ſeptemdecim illas ætates non ad Trojanæ urbis excidium, ſed potius ad regni fundationem pertinuiſſe.

Ceterum in dubitationem adducimus an Oenotrus, quem Græci ſibi adſciſcere conantur, ex eorum Arcadia, ſeu potius ex Babylonia, ubi etiam eſt *Achad* civitas, quam verſio Græca ſeptuaginta interpretum Gen. cap. X. Ἀρχάδ *Archad* appellat, in Calabriam appulſus ſit, ut veroſimilius exiſtimatur. Ibi autem ſedem ſuam cum Arcadibus, qui a Nicephoro Blemmide in ſuo Codice MS. qui in noſtro Archivo Vaticanæ Baſilicæ aſſervatur, *Pelaſgi Arcades* dicti ſunt, conſtituiſſe, terramque Oenotriæ nomine potitam eſſe apud omnes compertum eſt.

# CAPUT III.

## *De origine Brettiorum, & quare Brutii, aut Bruttii a Latinis ſint appellati.*

TAmetſi Brettiorum origo, & nomen adeo eruditorum ingenia torſerit, ut ex variis Græcorum commentis quiſque pro ſuo lubitu ſententiam diceret, non alienum abs re putamus noſtram quoque in medium afferre: non modo ad notas vindicandas nationi tam celebri fœde inuſtas, verum etiam ad veritatem aperiendam, quæ ab invidis vel obticetur vel ignoratur.

Apud omnes Græcos ſcriptores compertum eſt Βρεττίους *Brettios* appellari, non *Bruttios* aut *Brutios*, teſte Antiocho, Dionyſio, Ariſtophane,

phane, Diodoro, Strabone, & ſexcentis aliis. Sane Stephanus de Urbibus, cui adſtipulatur Salmaſius, a *Bretto* Herculis filio *Brettios* deducit. Ait enim: Βρέττος πόλις Τυῤῥηνῶν ἀπὸ Βρέττου τοῦ Ἡρακλέους, οἱ οἰκοῦντες Βρέττιοι: *Brettos urbs Tyrrhenorum a Bretto Herculis filio; Incolæ Brettii.* Euſtatius in Dionyſium Aphrum non ſolum a Bretto deducit, verum etiam per duplex *tt* ſcribendum eſſe contendit, & in numiſmatibus ſatis apparet apud Goltium de Numiſmatibus Magnæ Græciæ, alioſque. In pervetuſta inſcriptione non longe ab arce Tarenti reperta legitur ΣΑΛΛΕΝΤΙΝΟΙ ΚΑΙ ΒΡΕΚΤΙΟΙ. Sed de Brettiorum etymo paulo inferius redibit ſermo.

Veruntamen non modica diſſentio eſt de Brettiorum Republica ac dominatu. Siquidem ſcriptores omnes neſcientes ubi figerent pedem, in aniles fabulas prolapſi ſunt. Primus fuit Diodorus Siculus qui floruit, ut Petavius fert ann. V. C. 630. Graccorum ſcilicet ætate. Hic de Brettiorum Republica lib. XVI. Bibl. ita ſcribit: *M. Popilio Læna, & C. Manlio Imperioſo Coſſ. CVI. Olympiade, in Italia circa Lucaniam colluvio quædam hominum, omnium ferme fugitivorum e locis variis in unum confluxit, paſſimque primo latrocinabantur, dein & excubias agendo, & incurſionibus crebris, aliiſque exercitationibus cœpit aſſuefacere ſe ad militares ordines ſervandos. Itaque juſta acie cum locorum eorum cultoribus congreſſi ſemper victores evadebant, auctiſque viribus ad urbium oppugnationem converſi Terinam oppidum captum diripuerunt. Poſtea in ditionem ſuam redactis Arponio, Thuriis, & aliis aliquot urbibus ſibi ſuam Rempublicam inſtituerunt: vocatique ſunt indigena appellatione Brettii, quod eorum plerique ſervi eſſent. Vernaculo enim ſermone fugitivi appellabantur Brettii. Hujuſmodi originem habuit is Italiæ populus.*

Trogus vero Pompejus qui floruit ſub Auguſto Philoſophus, ac Hiſtoricus diſertiſſimus apud Juſtinum qui ejus hiſtoriam in epitomen redegit, parce mentiendo ſic ait lib. 23. *Cum Agathocles Siciliæ Rex in Italiam imperii ſui protendendi gratia tranſmiſiſſet, primi illi hoſtes Brettii fuere, qui etiam & fortiſſimi & opulentiſſimi videbantur. Nam multas civitates Græci nominis Italia expulerant, auctores quoque ſuos Lucanos bello vicerant, & pacem cum his æquis legibus fecerant &c. Horum igitur ex numero quinquaginta, primum ex agris finitimorum prædari ſoliti, confluente deinde multitudine, ſolicitati præda, cum plures facti eſſent, infeſtas regiones reddebant. Itaque fatigatus querelis ſociorum Dionyſius Siciliæ Tyrannus ſexcentos Aphros ad eos compeſcendos miſerat, quorum caſtellum proditum ſibi per Brettiam mulierem expugnarunt, ibique civitatem, concurrentibus ad opinionem novæ urbis paſtoribus, ſtatuerunt. Brettioſque ſe ex nomine mulieris vocaverunt.*

Strabo etiam, qui ſub Auguſto ac Tiberio floruit, rem toto cælo diverſam narrat. Ait enim lib. VI. *Cum autem res Samnitica eo magnitudinis creviſſet, ut & Chones & Oenotrios ejeciſſent, Lucanos eam in partem colonos Samnites deduxerunt.* Et paulo poſt: *Brettios Lucani rebel-*

*les,*

*les, fugitivosque vocant. Antea namque Brettii Lucanorum pastores fuerant, a quibus transfugerunt, atque dehinc remissi, in libertate vitam exegerunt, qua tempestate Dion adversus Dionysium exercitu ducto cuncta in cunctos perturbata effecit. Hæc quidem tam de Lucanis, quam de Brettiis in universum dicta conscribimus.*

Plinius demum, qui sub Vespasiano floruit, hæc scribit hist. nat. lib. 3. cap. 5. *A Silaro regio tertia, & ager Lucanus Brutiusque incipit: nec ibi rara incolarum mutatio. Tenuerunt eas Pelasgi, Oenotrii, Itali, Morgetes, Siculi, Græciæ maxime populi, novissime Lucani a Samnitibus orti duce Lucio.*

Conciliandæ itaque nobis erunt opiniones istæ: quapropter constanter asserimus, quod & ostendemus, antiquos illos Ausones, Brettios ex Bretto Herculis filio a Græcis appellatos, Reipublicæ omnium potentissimæ auctores fuisse. Liquet enim ex Diodoro circa Lucaniam confluxisse hominum colluvionem ex variis locis: liquet etiam ex Trogo hos neque servos, neque fugitivos fuisse; sed pastores: ait enim: *Concurrentibus ad opinionem novæ urbis pastoribus.* Cumque Strabo Lucanorum pastores appellet, deque Lucania ac Brettia in universum conscribere fateatur; Plinius quoque Lucanum Brutiumque agrum confundat; quis non videt Pastores illos ad priscos Ausones, Auruncosque, qui iidem sunt, pertinere?

Sed ut rem penitius expendamus, adnotare juvat quod supra cap. 1. teste Bocharto retulimus ubi de Ausonia verba fecimus, Hebraicas nempe voces *Averot* & *Urot*, *Caulas gregum*, & *Armentorum præsepia* sonare. Omnibus autem perspicuum est, literas V in B. quemadmodum O in V maxime permutabiles esse, ut etiam nos adnotavimus in nostra Orthographia Latino-Italica. *Urot* igitur facile in *Brut* mutatum fuisse verosimillimum est, unde *Brutii* appellati sunt. Græci autem O in E permutando *Brettios* dixerunt a Bretto Herculis filio, ut supra ex Stephano retulimus. Latini quoque ut ab illis differrent, rursus E in V, & V in E transmutando *Bruttios*, vel *Brutios* appellarunt, quemadmodum Græcorum aliqui *Brettios*, aliqui *Bretios* dixerunt. Quod passim in plerisque vocibus adnotare licet. Nam apud Græcos ποῦς, apud Latinos *Pes*. φοινίκιος *Poenus* & Punicus. Ῥέω, *Fluo*; & fortasse ex eadem voce fecerunt Ruo. Νεφέλη *Nebula* & *Nubes*. Fluviolus Latii qui effluit ex lacu *Nemi*, *Numicius*, & *Numicus* appellatur. Virg. lib. VII. Æneid.

*Hæc fontis stagna Numici.*

Ovid. III. fast.

*Corniger hanc tumidis rapuisse Numicius undis*
*Creditur.*

Verum hæc permutatio literarum satis apparet ex voce Βρεντήσιον *Brentesion* vulgo *Brindisi* in Provincia Hydruntina. Hæc enim urbs a Brento Herculis itidem filio ædificata fuisse creditur, tametsi alii ab Ætolis Diomedis sociis extructam tradant a Βρέντιον *caput cervi*, quod & caput cervi & cornua & linguam habere videatur. Ut ut sit, Latini illam *Brundisium*

*disium*, & *Brundusium* appellarunt, quemadmodum *Brettios* dixerunt *Bruttios*; & sequioribus seculis *Brutates*, & *Brutaces*. Vides igitur quam misere alucinentur qui a Latinis convicii loco *Brutios* dictos credunt, quasi obscenos, brutosque. Sed neque audiendus est nuperus scriptor, alioquin eruditissimus, Jordanus Polisichius, qui Brettiorum etymon a βρύω *scateo* derivare conatur, ac B*rytios* appellari satis ridicule contendat ex eo quod nostri scriptores Calabriæ etymologiam a καλὰ *pulcra* & βρύω *scateo* exponant. *Brytios* enim dicendo nihil aliud nisi *scatentes* aperit: ut autem totum etymon explicaret *Calabrytios* dicere debuisset: quo nihil insulsius. Rectius siquidem exposuisset cum Strabone lib. VII. qui *Bria* Thracia lingua *Civitatem* significare scribit. Sicque *Calabria* juxta hanc interpretationem *bonam Civitatem*, sive *bonam regionem* sonat. At sane suus cuique mos est, & quot homines tot sententiæ.

Redeundo igitur ad institutum; fatemur cum Diodoro Rempublicam Brettiam sub Olympiade CVI. anno scilicet ab Urbe condita 395. institutam a Pastoribus juxta Trogum & Strabonem, lib. VI. qui ideo Lucanos appellat, quod Calabriam cum Lucania confundat, ut ipse testatur, & Petiliam quæ Calabriæ urbs erat a Lucania longe remota, ut apud omnes compertum est, Luaniæ metropolim statuat: Πετίλια μὴν οὖν μητρόπολις νομίζεται τῶν Λουκανῶν, *Petelia Lucanorum urbs primaria censetur*: imo & Vertinas, & Calasernam, quæ intus Calabriam sunt, Lucaniæ oppida esse scribat. Nec solus Strabo Calabriam cum Lucania confundit. Plutarchus, ut infra videbimus, Vibonem in Lucania esse dicit. Livius, lib. VIII. Consentiam in Lucania locat, imo & Blandas, quemadmodum Servius Sylam, quæ in meditullio est Calabriæ. Ait enim lib. XII. Æneid. *Sila, mons, & Silva est Lucaniæ*. Et lib. III. Georg. ad illud, *Pascitur in magna silva formosa juvenca*, ait: *Alii* Sila *legunt, ut sit mons Lucaniæ*. Tertullianus lib. cont. Gent. *Et vis undarum Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegavit*. Rainesius inscript. 12. class. VI. CORRECTORI LUCANIÆ BRUTIORUM. Pastores itaque illos, quotcumque fuerint, Reipublicæ Brettiorum institutores ex eisdem Ausonum reliquiis fuisse, quos Brettios Græci appellarunt, solidiori fundamento affirmamus. Conspicientes enim rem Ausoniam ob confluentes undique Græcorum Colonias non tam decrescere, quam pessumdari, caput tandem aliquando extulerunt, & conspiratione qua poterant, conclamarunt ad arma. Hinc aucti viribus, perniciosi, ac formidabiles ipsis Regibus evaserunt.

Quod evidentius evincitur ex Dionysio Halicarnasseo, qui in primæva Urbis fundatione Hetruscos, Brettios, & Umbros commemorat, traditque eam non esse omnino barbaram redditam Ὀπικοὺς τε ὑποδεξαμένη, καὶ Μαρσοὺς, καὶ Σαμνίτας, καὶ Τυρρηνοὺς, καὶ Βρεττίους, Ὀυμβρικῶν τε, καὶ Λιγύων, *post receptos Opicos*, *Marsos*, *Samnites*, *Tyrrhenos*, *Brettios*, *Umbros*, *Ligures*. Sane ut vidimus Respublica Brettiorum teste Diodoro institui cœpit sub annum Urbis 395. Olympiade CVI. Quinam igitur erant

Bret-

Brettii illi circa Urbis erectionem cum Tyrrhenis Umbrisque collati? Non ex Brettiorum Republica quæ nondum instituta fuerat: erant quippe ex priscis Brettiis reliquiis Ausonum. Stephanus quoque verb. Βρέττος Antiochum laudat scriptorem vetustissimum dicentem Brettios ante Oenotros in Italiam venisse, Italiamque prius Brettiam quam Oenotriam vocitatam fuisse: Αντίοχος τὴν Ἰταλίαν φησὶ κληθῆναι Βρεττίαν εἶτα Οἰνωτρίαν. *Antiochus Italiam prius Brettiam quam Oenotriam appellatam esse dicit*. Quem Stephani locum satis ridicule emendare conatur Theodorus Rickius dissert. de primis Italiæ Coloniis.

Alexis itidem Sybarita Comicus vetustissimus longe ante Olympiadem CVI. inter alias præclarissimas, quas exaravit comœdias, unam composuit, quam *Brettiam* nuncupavit. Ait itaque apud Joannem Stobæum in suo Florilegio tit. CV. fortasse non sine allusione ad ipsius Brettiæ crebras vicissitudines:

> Τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστιν ὥσπερ οἱ κύβοι.
> Οὐ ταὔτ' ἀεὶ πίπτουσιν· οὐδὲ τῷ βίῳ
> Ταυτὸν διαμένει σχῆμα, μεταβολὰς δ' ἔχει.
> *Ita vita humana est quasi si ludas tesseris,*
> *Non habet eosdem semper jactus alea,*
> *Nec vita formam: varias sed patitur vices.*

Eadem pene verba Menander ex Alexidis Brettia in Adelphis inseruit ut videre est apud Terentium Adelph. Act. IV. sc. VII.

Jamvero Brettiorum nomen ante institutam Rempublicam ex huc usque dictis celebrabatur; juvat quoque ex eorum Numismatibus ad illustrandam historiam aliquid expiscari. Sculpebant Brettii inter alia Neptunum cum tridente, ac capiti Tauri apponentem pedem; cumque ut infra videbimus, Neptuni fabula ad Japhetum pertineat, facile evincitur Brettiorum vetustas. Cum autem Neptunus pedem Taurino capiti apponat, quid aliud significare videtur, quam Thurinæ Reipublicæ Brettiam successisse? Thurium siquidem ab Hebraico שור *Sor* & Puniceo *Thor* derivari, quod *Taurum* hæ voces significent, compertum est apud Plutarchum in Syllam. Quandoquidem Thurina Respublica Taurum in Numismatibus exprimebat. Cum itaque Brettii hanc Rempublicam expugnassent, jure merito caput Tauri sub pede Neptuni sculpebant, quod auctores suos bello vicissent, ut supra laudati scriptores commemorant.

Huc refero, Brettios Græcis invisos fuisse, ut ait Livius lib. XXIV. in principio, quod plerasque Græci nominis urbes ocio ac desidiæ deditas expugnassent: *Bruttii Græcos expulerant*. Brettios autem Græci *Barbaros* appellabant. Quod etiam commemorat Strabo lib. VI. *Inter Græcos & Barbaros diu conflatum est bellum*. Barbaros quippe Græcis anteriores fuisse nullus ignorat. Athenienses finxerunt hanc vocem *Barbar* cum exteros irridere vellent, quod eorum sermo vernaculus inconcinnus videretur, & quod loqui Græce volentes duriter aspereque Græca sonarent. *Barbar* etiam Arabibus idem est ac *murmuro*. Græci autem nationes omnes bar-

ba-

baras appellabant præter ipsos. Ait enim Strabo lib. XIV. *Omnes itaque qui crasse loquuntur Barbari dicuntur, quales sunt nationes omnes præter Græcos*, quod scilicet ipsi cultiores essent: antequam autem excolerentur, & ipsi Barbari erant.

Præterea Brettii ab Ennio bilingues vocantur, quod Osce & Græce loquerentur. Osci autem sive Opici & Volsci cum Ausonibus a Strabone lib. V. confunduntur: *Quidquam Oscis & Ausoniæ genti proprium obtigit.* Item Aristoteles lib. 7. Politic. cap. 10. Opicos cognominatos Ausones Tyrrhenum mare accoluisse testatur. Lingua porro Osca a Græca longe distabat, ut ex vocibus quas Grammaticorum diligentia nobis servavit: *Cascus*, vetus. *Casnar*, senex. *Dalivus*, insanus. *Famel*, servus. *Gela*, pruina. *Mæsius*, Majus. *Mamers*, Mars. *Medix*, Magistratus. *Medix tuticus*, summus Magistratus. *Multa*, pœna pecuniaria. *Petora*, quatuor. *Pipatio*, clamor plorantis. *Pitpit*, quidquid. *Sollo*, totus. *Veja*, plaustrum. *Vngulus*, annulus.

Nec mirum si Samnitibus affines Brettii a scriptoribus nuncupantur, nam Samnium a Stephano πόλις Βρεττανίας, *civitas Brettiæ* scribitur, unde & alii populi vetustissimi habuerunt originem, ut puta Sidicini, Sabini, Hirpini, Campani, Frentani, Umbri, Picentes, Marrucini, Peligni, Æqui, Hernici, aliique, imo & Lucani ipsi: tantum abest, ut Brettii a Lucanis sint orti. Nec in Italia solum Brettiorum gens floruit, verum & alibi, ut videre est apud Stephanum verbo βρένθη. S. Hieronymus mentionem facit in vita S. Hilarionis de *Brutio* oppido haud procul ab Alexandria. Metropolis autem Brettiorum fuit Consentia, quæ Brettia etiam vocata est. Alludit & Consentiæ nomen, quæ non a *consensu* dicta est, ut nonnullis placuit, Latina voce; sed a *Con* lingua Ægyptia Herculem significante, & Ζὴν *Zen*, Græce *Jovem*, qui fuit pater Herculis, ut suo loco dicemus, cum de Consentia tractabimus.

## EXCURSUS.

### *Brettii ab anili fabella, inustaque calumnia, quod Christum Dominum cruci affixerint, vindicantur.*

EA est maledicentissimorum hominum in Calabram, inclitamque nationem invidia ac rabies, ut, quibus modis possint genuino dente mordere, ac venenato stilo impetere non erubescant. Sed & de satyris, scommatibusque, susque deque. Non enim satyricum agimus, sed historicum. Porro tametsi malo nodo malus quærendus cuneus, & πικρὰν χολὴν φαρμάκῳ πικρῷ *amaram bilem amaro remedio* diluere opus esset, juxta illud Sophoclis apud Plutarchum; neutrum tamen amplectimur; maledicentibus maledicta relinquimus, solaque defensione contenti sumus.

Non unus & alter vel celebriorum scriptorum, sed multi quos inter Hyacinthus Serry, ceterum eruditissimus, Exercitat. 56. num. 6. putidam fabellam, quod scilicet Brettii Christum Dominum cruci affixissent, commenti sunt. Hanc centies scriptores nostri everterunt, præcipue Vir Cl. Joseph Maria Perrimezzi ex Minimorum familia tunc Episcopus Oppidensis, nunc vero Archiepiscopus Bostrensis in suo opere *De natione Tortorum Christi*; & Jordanus Polisichius Dominicanæ familiæ; nuper vero Vir Cl. Petrus Polidorus Anxanensis nostræ Vaticanæ Basilicæ Beneficiatus doctissimus, nec natione suspectus, cum ipse Frentanus sit, Calabræ gentis vindicias suscepit, ac Dissertationem apologeticam omnigena eruditione refertam, propediem edendam, exaravit. Quare labor hic noster fortasse inutilis censeretur, nisi instituti ratio id posceret, ut saltem quidquam ad Patriæ defensionem vel extremis, ut dicitur, digitis attingeremus. Videamus igitur quonam argumento rabulæ illi innitantur, cujusque momenti sit. Unicum quippe adducunt, locum nempe Auli Gellii Grammatici, qui Noct. Attic. lib. X. cap. III. fragmentum Catonis refert: *Decemviros Brutiani verberavere*: postea subjungit: *Nequis fortasse de Brutianis requirat, id significat. Cum Annibal* Pœnus *cum exercitu in Italia esset, & aliquot pugnas populo Romano adversas pugnavisset, primi totius Italiæ Brutii ad Annibalem desciverunt. Id Romani ægre passi, postquam Annibal Italia decessit, superatique Pœni sunt, Brutios ignominiæ causa* NON MILITES SCRIBEBANT, *nec pro sociis habebant: sed magistratibus in Provincias euntibus parere, & præministrare servorum vice jusserunt. Itaque ii sequebantur Magistratus, tamquam in scenicis fabulis, qui dicebantur lorarii, & quos erant jussi vinciebant. Quod autem ex Brutiis erant, appellati sunt Brutiani.* Ex hac lacuna bibit fortasse Festus Pompejus, & quotquot in Brettios calamum acuere non dubitarunt. Gravius siquidem a Romanis in Brettios animadversum censuerunt, quam ab Israelitis in Gabaonitas, unde Italica vox, *Gabbare*, fortasse deducta est, quod Gabaonitæ longi itineris simulatione illos deceperint. Verum qui penitus delendi erant, juramento interposito, nulla alia quam ligna cædendi, aquamque in domum Domini comportandi famulitii pœna multati sunt, ut habetur Jos. 19. 22. *Vocavit Gabaonitas Josue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis? Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei.*

Verum enim vero ex Gellii textu, si vera essent quæ comminiscuntur, quid aliud inferri posset, quam Brettios Christi Domini crucifixores non fuisse? Tantum abest ut fuerint. Tametsi autem adducta Gellii auctoritas commentitia omnino censenda sit, ut ex argumentis quæ nobis Romana historia suppeditat, luce meridiana clarius infra constabit, ultro concedimus; sed clavum clavo expellentes, quærimus quinam fuerint Christi Crucifixores? Sacræ literæ aperte ostendunt, Milites Christum Dominum non tam flagellasse, ac spinis coronasse, quam cruci affixisse. Siquidem Matth. cap.

cap. 27.verf.27. hæc habentur: Τότε οἱ ςρατιῶται τῦ ἡγεμόνος παραλαβόντες τὸν Ἰησῦν εἰς τὸ πραιτώριον συνήγαγον ἐπ' αὐτὸν ὅλην τὴν σπεῖραν. Καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν, περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην. Καὶ πλέξαντες ςέφανον ἐξ ἀκανθῶν, ἐπέθηκαν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῦ. *Tunc* MILITES *Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus.* Et paulo poſt verſ. 31. Καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ ςαυρῶσαι. *Et duxerunt eum ut crucifigerent.* Marci XV. verſ. 16. Οἱ δὲ ςρατιῶται ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς ὅ ἐςι πραιτώριον, καὶ συγκαλῦσιν ὅλην τὴν σπεῖραν. Καὶ ἐνδύϊσιν αὐτὸν πορφύραν, καὶ περιτιθέασιν αὐτῷ πλέξαντες ἀκάνθινον ςέφανον. MILITES *autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem. Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam coronam.* Et Verſ. 20. Καὶ ἐξάγυσιν αὐτὸν ἵνα ςαυρώσωσιν αὐτόν. *Et ducunt illum, ut crucifigerent eum.* Luc. xxiii. verſ. 36. Ἐνέπαιζον δὲ αὐτῷ καὶ οἱ ςρατιῶται προσερχόμενοι &c. *Illudebant autem ei, &* MILITES *accedentes &c.* Joann. xix. verſ. 2. Καὶ οἱ ςρατιῶται πλέξαντες ςέφανον ἐξ ἀκανθῶν ἐπέθηκαν αὐτῦ τῇ κεφαλῇ. *Et* MILITES *plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti ejus.* Et verſ. 23. Οἱ ὖν ςρατιῶται ὅτε ἐςαύρωσαν τὸν Ἰησῦν, ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτῦ (καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, ἑκάςῳ ςρατιώτῃ μέρος) καὶ τὸν χιτῶνα. MILITES *ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus (& fecerunt quatuor partes, unicuique* MILITI *partem) & tunicam.* Et verſ. 24. Οἱ μὲν ὖν ςρατιῶται ταῦτα ἐποίησαν. *Et* MILITES *quidem hæc fecerunt.* Et verſ. 32. Ἦλθον ὖν οἱ ςρατιῶται, καὶ τῦ μὲν πρώτυ κατέαξαν τὰ σκέλη &c. *Venerunt ergo* MILITES, *& primi quidem fregerunt crura &c.* Et verſ. 34. Εἷς τῶν ςρατιωτῶν λόγχῃ αὐτῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. *Unus* MILITUM *lancea latus ejus aperuit.* Sed & Patres adſtipulantur. S. Gregorius hom. 16. in Euang. *Et* MILITES *crucifigentes Chriſtum.* S. Ambroſius Commentar. ſup. Luc. de diviſione veſtimentorum Domini: *Et fortaſſe* MILITES *iſti quatuor Euangeliſtarum habeant typum.* S. Auguſtinus in Joann. tract. 118. *Unde apparet quatuor fuiſſe* MILITES *qui in eo crucifigendo Præſidi paruerunt.* S. Hieronymus Epiſt. ad Euſtoch. de Cuſtodia virginitatis: *Et* MILITES, *veſtimentis Jeſu ſorte diviſis, caligas non habuere quas tollerent.* Cum itaque Milites ferale munus Chriſtum Dominum cruci affigendi, ut euangelica narrat hiſtoria adſtipulantibus Patribus, exercuerint; quis unquam ſanæ mentis ex Gellii textu inferat Brettios fuiſſe? Quandoquidem Romani, ſi Gellio fides habeatur, Brettios ob defectionem ad Annibalem *ignominiæ cauſa mon* MILITES *ſcribebant.* Nec dubitamus quin Chriſti crucifixores veri milites fuerint; in textu enim Græco ſanctorum Euangeliorum vocantur Στρατιῶται qui veram propriamque militiam exercebant a Στρατεύω, *militiam exerceo*: habebant quoque Centurionem, cujus erat centum militibus præeſſe. Quinimo Tertullianus de coron. milit. cap. 11. (quod etiam advertit magnus Annalium Parens Cæſar Cardinalis Baronius) virum Chriſtianum a militia dehortatur, quod militis eſſet feralia miniſteria exercere: *Et vincula, & carceres, & tor-*

 *men-*

*menta*, *&* *supplicia administrabit*, *nec suarum ultor injuriarum*. Equidem more Romano crucifixus est Dominus noster Jesus Christus; nam & Crucem sibi bajulavit, & Titulus super illam inscriptus est: HIC EST JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, ut mos erat Romanis. Ait etiam Plutarchus in opusc. Quæstiones Romanæ num. LXX. *Cur furti, aut alius servilis delicti damnatos furciferos dicunt? Nonne hoc quoque vetustæ accurationis argumentum est? Qui enim servi sui nequiciorum factum comperisset, coegit eum duplex lignum quod curribus subjici solet (furcam Romani appellant) per viciniam circumgestare in conspectu hominum, ut ab eo sibi porro cavendum esse scirent.* Itaque a *furcæ gestatione diceba*tur *furcifer*. Sic Nonius ex Plauto: *Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci.* Eusebius hist. Eccles. lib. V. cap. I. de Attalo Martyre per Amphitheatrum circumducto ait: *Præcedente ipsum tabella in qua Latino sermone inscriptum erat*: HIC EST ATTALUS CHRISTIANUS. Vide Sueton. in Calig. 32. & in Domitian. 10. Milites itaque Romano utique more Christum Dominum cruci affixerunt, ut Euangelistæ, & Patres uno ore testantur. Nec milites illos lictores fuisse opinandum est: nam quid cum Lictoribus Centurio, & cohors? Nunquid Euangelistæ, scriptores contemporanei, Sancto Spiritu afflati, verborum proprietatem ignoraverint, ut pro Ῥαβδούχοις *Lictoribus*, Στρατιώτας *Milites* scripserint? Herodes cum caput Joannis Baptistæ amputari jussisset, misit spiculatorem Marc. 6. 27. ἀποστείλας σπεκουλάτωρα, *Misso speculatore*. Speculatores autem sive Spiculatores & ipsi milites erant, de quibus vide Suetonium in Calig. cap. 44. & Tacit. 2. hist. cap. 73. Ceterum sacræ literæ milites a lictoribus aperte distinguunt, servata verborum proprietate. Habetur siquidem Act. 26. 35. Ἡμέρας δὲ γενομένης ἀπέστειλαν οἱ στρατηγοὶ τοὺς ῥαβδούχους. *Et cum dies factus esset miserunt magistratus lictores*. Et vers. 38. Ἀνήγγειλαν δὲ τοῖς στρατηγοῖς οἱ ῥαβδοῦχοι τὰ ῥήματα ταῦτα. *Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba hæc*. Brettii igitur, qui ut Gellio placuit Milites esse non poterant, ab hac ignominia utique immunes sunt. En putidam fabellam ex eodem Gellii textu confictam, eversamque. Sic sagittæ in sagittarios retorquentur.

Exponamus modo & reliquum Gellii textum, cujus tot pene errores quot verba. Catonis fragmentum *Decemviros Brutiani verberavere* non ad Brutios spectare sed ad gentem Bruti eruditissimus Polidorus luculenter ostendit. Gentile enim Brutiorum apud aureæ ætatis scriptores non *Brutianus* est, sed *Brutius* seu melius *Brettius*. Sic *Brutia pix*, *Brutius ager*, *Brutia tellus*, *Brutia Sila* &c. Secus gentile a Bruto, *Figlinæ Brutianæ*, *Campus Brutianus*, *Bellum Brutianum*, *Castra Brutiana*. Vide Lactan. & Vellei. 2. 27. Tametsi autem *Brutianæ parmulæ* ad Brutios pertineant, nusquam alibi id legitur nisi apud Festum Pompejum, qui sub Christianis Imperatoribus floruit, ut plerique Critici putant, scriptaque Verrii Flacci quæ in compendium redegit, a Paulo Diacono interpolata esse, ut vix a litera M aliquid Festi superfit. Cetera autem sunt omnia ex stilo Pauli. Corruit itaque vel ex hoc to-

totum Gellii commentum. Sed insulsius est quod subdit: *Cum Annibal Pœnus cum exercitu in Italia esset, & aliquot pugnas populo Romano adversas pugnavisset, primi totius Italiæ Brutii ad Annibalem descivverunt*. Si Annibal ex Sicilia, quæ Calabriæ finitima est, in Italiam trajecisset; hærerem fortasse, an Brutii omnium primi ad Pœnum defecissent. At omnibus compertum est, Annibalem superatis Alpibus in Italiam irrupisse. Quo igitur pacto Brutii qui ab Alpibus remotissimi, atque in extremo oppositoque Italiæ angulo sunt, primi omnium desciverint? Præsertim cum ex Livio lib. XXI. satis appareat in ipso Annibalis ingressu Bojos Alpibus finitimos non Brutios remotissimos defecisse. Ait enim: *In Italiam interim nihil ultra, quam Iberum transisse Annibalem a Massiliensibus legatis Romam perlatum erat: cum perinde ac si Alpes jam transisset, Boji solicitatis Insubribus defecerunt*. Et lib. XXXI. *An Campanorum pœnæ, de qua neque ipsi quidem queri possunt, nos pœniteat? Hi homines cum pro iis bellum adversus Samnites per annos prope septuaginta cum magnis nostris cladibus gessissemus: ipsos fœdere primum, deinde connubio, atque inde cognationibus, postremo civitate nobis conjunxissemus: tempore nostro adverso primi omnium Italiæ populorum, præsidio nostro fœde interfecto, ad Annibalem defecerunt*. Quærimus utri habenda fides, Gellio grammatico, an Livio qui bellum Punicum accuratissime scripsit?

Sed ut Gellii fabulam penitus eliminemus, coactam Brettiorum ad Annibalem defectionem ex eodem Livio expendere utique par est: Brettiorum principes urbes sive Respublicæ tunc temporis erant *Rhegium*, *Locri*, *Caulonia*, *Croton*, *Petilia*, *Consentia*, *Pandosia*, *Thurium*, *Temsa*, *Terina*, *Vibona*. De RHEGINIS nihil dicendum superest, cum ipsi nunquam defecerint, teste Livio lib. XXII. *Rhegini in fide erga Romanos & potestatis suæ ad ultimum manserunt*. LOCRENSES Romanos strenue adjuverunt, ut Livius fert lib. XXIX. *Ipse postremo veniebat Annibal, nec sustinuissent Romani, nisi Locrensium multitudo exacerbata superbia atque avaritia Pœnorum ad Romanos inclinasset*. Verum & a Romanis pejus habiti sunt. Quamobrem ad Senatum decem legatos miserunt, ut ait Livius lib. eod. *Postquam Locrensium clades, quæ ignotæ ad eam diem fuerant, legatorum adventu vulgatæ sunt, nec tam Q. Pleminii scelus, quam Scipionis in eo aut ambitio, aut negligentia iras hominum irritavit. Decem legati Locrensium obsiti squalore & sordibus in comitio sedentibus Consulibus velamenta supplicum, ramos oleæ (ut Græcis mos est) porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. Quærentibus Consulibus Locrenses se dixerunt esse, ea passos a Q. Pleminio legato, Romanisque militibus, quæ pati ne Carthaginienses quidem velit populus Romanus, orare ut sibi Patres adeundi deplorandique ærumnas suas potestatem facerent. Senatu dato, maximus natu ex iis, Scio, inquit, quanti æstimentur nostræ apud vos querelæ, Patres conscripti, plurimum in eo momenti esse, si pro-*

*be*

*be sciatis & quo modo proditi Locri Annibali sint, & quo modo pulso Annibalis præsidio, restituti in ditionem vestram, Quippe si & culpa defectionis procul a publico consilio absit, & reditum in vestram deditionem appareat non voluntate solum, sed ope etiam ac virtute nostra, magis indignemini, bonis ac fidelibus sociis tam atroces, atque indignas injurias ab legato vestro, militibusque fieri. &c.* Legatur quæso & reliquum concionis quod nos brevitati studentes non adducimus, quodque non tam Romanos quam barbaros movet ad lacrimandum. Vide etiam infra lib. 3. cap. 8. ubi de Locris fuse agemus. CAULONIATÆ mirum quot a Carthaginiensibus passi sunt, teste Livio lib. XXVII. *Hanc manum ad Brutium primum agrum depopulandum duci jussit; inde ad Cauloniam urbem oppugnandam: imperata non impigre solum, sed etiam avide executi, direptis fugatisque cultoribus agri oppugnabant.* CROTONIENSES, si plebem excipias, in fide populi Romani manserunt. *Itaque*, ut ait Livius lib. XXIII. *urbe defensoribus vacua facile potiti sunt hostes: arx tantum retenta.* Et lib. XXIV. sub init. *Crotone nec consilium unum inter populares, nec voluntas erat. Unus velut morbus invaserat omnes Italiæ civitates, ut plebes ab optimatibus dissentiret: Senatus Romanis faveret, plebs ad Pœnos rem traheret.* Siquidem de plebe intelligendum putamus sicubi Livius Brettios aliquando commemoret Pœnis præsidio esse: sed de plebe, quæ vilior pars populi est, nulla ratio habenda. PETELINI Romanis fidelissimi a Romanis in maxima eorum angustia deseruntur, teste Livio lib. XXIII. *Legatos* ( Petelini ) *Romam ad præsidium petendum miserunt. Quorum preces lacrimæque ( in questus enim flebiles cum sibimet ipsi consulere jussi sunt sese in vestibulo Curiæ profuderunt ) ingentem misericordiam patribus ac populo moverunt. Consultique iterum a Mannio Prætore Patres & circumspectis omnibus imperii viribus, fateri coacti, nihil jam longinquis sociis in se præsidii esse: redire domum, fideque ad ultimum expleta, consulere sibimet ipsos in præsenti fortuna jusserunt.* At Petelini vitam fortunasque, quam populi Romani fidem, amicitiam, & societatem perdere maluerunt: *Petelia in Bruttiis aliquot post mensibus quam cœpta oppugnari erat, ab Hamilcone præfecto Annibalis expugnata est: multorumque sanguine, ac vulneribus, ea Pœnis victoria stetit: nec ulla magis vis obsessos, quam fames, expugnavit. Absumtis enim frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum, sutrinæ postremo coriis, herbisque, & radicibus, corticibus teneris, strictisque rubis vixere. Nec antequam vires ad standum in muris ferendaque arma deerant, expugnati sunt.* Quare Valerius Maximus cujus integrum textum infra adducemus, *Non Petiliam* ait *sed fidum Petiliæ sepulcrum capere contigit.* CONSENTINI & PANDOSII strenue defenderunt sese, sed aliquot post diebus a Pœnis expugnati, ad fidem populi Romani redierunt, ut Livius fert lib. XXIX. in fin. *Eadem æstate in Bruttiis Consentia & Pandosia, & ignobiles aliæ civitates voluntate in deditionem venerunt.* Et lib. XXVII. *Et Bruttiis similis spes veniæ facta est*

cum

*cum ab iis Vibius & Pactius fratres* (hi ad Consentiam spectare videntur) *longe nobilissimi gentis ejus, eandem quæ data Lucanis erat conditionem deditionis petentes venissent*. Et lib. XXV. *Eodem tempore in Bruttiis ex* XII. *Populis qui anno priore ad Pœnos desciverant Consentini, & Terinæi in fidem populi Romani redierunt*. Ait etiam Eutropius Hist. lib. 3. *Quinto* Cæcilio, *Lucio Valerio Coss. omnes civitates quæ in Bruttiis ab Annibale tenebantur, Romanis se tradiderunt*. THURINORUM defectio non in eorum sed in Romanorum contumeliam vertenda est. Romani quippe jure Gentium pessumdato, obsides Thurinorum interfecere. Ait namque Livius lib. XXV: *Metapontini extemplo metu quo tenebantur liberati ad Annibalem defecere. Hoc idem eadem ora maris & Thurini fecerunt: movit eos non Tarentinorum magis defectio, Metapontinorumque, quibus indidem ex Achaja oriundi etiam cognationibus juncti erant, quam ira in Romanos propter obsides nuper interfectos*. TEMSANI adeo a Carthaginiensibus vastati sunt, ut Romani Coloniam deduxerint Liv. lib. XXXIV. *Temsam civium Romanorum Colonia deducta, Temsanus ager de Bruttiis captus erat*. TERINÆI funditus ab Annibale eversi, teste Strabone lib. VI. *Temesæ proxima est Terina, quam Annibal cum tutari non posse desperaret, solo æquavit*. Gabriel Altilius Episcopus Policastrensis natione Calaber Terinæ finitimus, de quo infra ubi de Altilia agemus, lepide de Terina cecinit:

*Quos spectas lapidum tumulos, & grandia saxa,*
*Urbs Terina fuit mole superba & avis.*
*Dum Romæ studet, ac socialia jura tuetur,*
*Dat fidei pœnas subruta ab Annibale.*
*Cur stupidus mœres lugens fera fata viator?*
*Clarius e cineri nunc capit illa decus.*

VIBONENSES agri depopulationem passi sunt ne ad Pœnos deficerent. Liv. lib. XXI. *Depopulatoque Vibonensi agro, urbem etiam* (Pœni) *terrebant*. Ad quam postea habitatoribus vacuam Romani Coloniam deduxerunt, ut Livius fert lib. XXXV. *Eodem hoc anno Vibonem Colonia deducta est ex Senatus consulto plebisque scito*.

Hæccine igitur fœda illa Brettiorum defectio est, tot buccis obstrepentibus conclamata, in quam tam acriter, tam dire, tamque injuste Senatus Populusque Romanus animadverteret? Equidem de hujusmodi pœnis, si verborum castigationes excipias, nihil apud Livium invenies, præsertim cum Annibal teste eodem Livio lib. XXVI. adeo ex Lucanis in Brettium agrum, ad fretum vero ac Rhegium eo cursu contenderit, *ut prope repentino adventu incautos oppresserit*. Qui enim fieri potuit, ut quem non tam Roma, præsertim post Cannensem cladem, quam tota formidaret Italia, extremus Italiæ angulus vel ejiceret, vel deleret? Satis perspectum habuit Fabius Consul Brettiorum animum atque virtutem erga Rempublicam in Tarenti expugnatione, quod nequidquam Annibali ademptum esset, nisi ut idem Livius fert lib. XXVII. *adjuvantibus recipientibusque Bruttiis*.

Cum-

Cumque Annibal captam urbem audisset, *Et Romani*, inquit, *suum Annibalem habent: eadem qua ceperamus arte Tarentum amisimus*. Sane & ante & post pulsum Annibalem Brettii Romanorum socii fuere; municipiis, consulatibus, ceterisque militiæ honoribus potiti, ut ex iis quæ in hoc opere continentur, satis infra constabit. Testis oculatus est ipse Cicero qui municipia nostra lustravit. Ait enim Orat. pro Cn. Plancio circa fin. *Iter a Vibone Brundusium terra petere contendi; nam maritimos cursus præcludebat hiemis magnitudo: cum omnia illa Municipia quæ sunt a Vibone Brundusium in fide mea judices essent*. Vide lib. 7. in Verr. & Philipp. 1.

Ceterum ne negotium facessere videamur, iis qui nodum in scirpo quærunt satis perspectum sit, incertum omnino esse cujates fuerint milites Christi Domini Crucifixores. S. Hieronymus epist. ad Heliodor. Judæos credit, Romanum vero qui latus aperuit. *Cerne manus Judææ quas fixeras, cerne latus Romane quod foderas*. Auctor libri qui inscribitur: Dicta & interpretationes Parabolarum sacræ scripturæ, apud S. Athanas. to. 2. qu. 76. *Quidnam est, Quare fremuerunt gentes &c.* Respondet: *Gentes dicit Romanos, Francorum videlicet genus, qui Christum crucifixerunt*. Meminit hujus auctoritatis Vir Cl. Antonius Sandini in histor. Familiæ sacræ cap. 14. de Christi tortoribus, ubi Hyacinthum Serry satis luculenter refellit.

# SYNOPSIS CHRONOLOGICA

## *Eorum, quæ post Christum natum ad nostra usque tempora Calabriæ acciderunt.*

PRimo Christi Seculo anno Ær. com. 41. S. Petrus Apostolorum Princeps Claudio Tiberio imperante (Calabria enim tunc temporis Romanis Imperatoribus subdebatur) Antiochia in Calabriam appulsus, Jesu Christi Euangelium invexit, quem S. Marcus Euangelista Tarento solvens, atque Argentano (nunc *S. Marco*) transiens, Rhegium usque insecutus esse perhibetur. Cum enim Romanæ Ecclesiæ constans traditio sit Sanctissimum Apostolorum Principem Romæ Cathedram instituisse, ibique sub Nerone inversis vestigiis cruci affixum vitam pro Christo dedisse, opinari utique par est per Calabriam, quæ primo ex Antiochia in Italiam iter agentibus occurrit non semel transisse. Quod non obscure evinci videtur Act. 28. 14. *Inde circumlegentes devenimus Rhegium, & post unum diem flante Austro secunda die venimus Puteolos, ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem.* Puteolis igitur Christi fides jam ante Pauli adventum, qui contigit anno 57. Ær. comm. audiri cœperat, utique ex Petri prædicatione. Vide Euseb. 2. hist. cap. 24. & Chron. Blanchin. in Anastas. Bibliothec. edition. Rom. ex Typograph. Vaticana to. 2.

Se-

Secundo Christi seculo, anno Ær. comm. 127. Petav. 126. S. Telesphorus Thurinus primus ex Calabria & Regno Neapolitano summus Pontifex renuntiatur, qui a S. Ireneo, ut Petavius fert, primus Martyr nominatur. Vide infra ubi de Thurio.

Tertio Christi seculo, ann. 235. S. Anterus Petilinus ex Magna Græcia ad summum Pontificatum evectus est. Vide Anastas. & Ciacon. Anno 259. electus est Summus Pontifex S. Dionysius Thurinus, quo regnante Paulus Samosatenus hæresim vulgavit, sed Dionysius Alexandrinus in illum calamos exacuit. Vide Euseb. Anno 286. & seqq. sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ingens in Christianos exorta est persecutio, qua innumerabiles pro Christi fide vario cruciatuum genere consumti sunt, quos inter Tropæana virgo Dominica, Græce Κυριακὴ, ut suo loco dicemus, aliique ex Calabria permulti, ut par est conjicere.

Quarto Christi seculo, anno 310. S. Eusebius Casinianensis, aliis Cosanensis ex Magna Græcia quatuor mensibus in Apostolica Cathedra functus est. Hic S. Eusebium Episcopum Vercellensem eodem nomine imposito e sacro fonte suscepit, atque erudivit, qui tantum sub tanto viro profecit, quantum postea ejus doctrina ac sanctitas declaravit. Vide Anastas. Anno 312. Baronio, sed Genebrardo anno 313. Octavo Kal. Octobris Indictiones Romanæ exortæ sunt, cyclus nempe quindecim annorum, quibus absolutis, semper a capite repetitur. Hic mos in Calabria potissimum inolevit, ut ex diplomatibus quæ passim in hoc opere adducuntur videre est. Tempore Constantini Magni Calabria provincia ad Suburbicarias pertinebat & a Correctoribus regebatur. Vide Cod. Theodos. Circa ann. 363. S. Basilius Monachos in Calabriam misit. Extat siquidem Epistola Sancti Doctoris ad Fratres Italiæ & Galliæ, quæ est sexagesima nona. S. Hilarion Abbas Siciliam incoluit, & fortasse Calabriam, ut infra dicemus. Anno 365. aliis cum S. Hieronymo 369. ingentes terræmotus: mare erumpens multas urbes submersit. Ait enim in vita S. Hilaronis: *Ea tempestate terræ motu totius orbis, qui post Juliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos, & quasi rursum Deus diluvium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naves ad prærupta delatæ montium pependerunt*. Vide Baron. S. Hieronymus anno 385. Rhegium appulsus inde in Palæstinam trajecit. Vide infra.

Quinto Christi seculo, anno 410. Romam fame ac peste laborantem Alaricus Gothorum Rex nono Kal. Septembris devastavit. Tum Honorii exercitu profligato in Calabriam excurrit, Consentiamque diripuit. Verum ibidem ob naves in freto Siculo interitas dolore confectus periit, & ubi Crathidi Busentum admiscetur sepeliri jussit, ut infra dicetur. Vide Jornand. & Eutrop. lib. 33. Sed & Calabria Gothorum incursionibus pene ad interitum redacta, pace tandem composita, ab Honorio Imperatore, qui tum Ravennæ considebat, tributis fere omnibus exonerata est L. 7. Cod. Theodos. de Indult. debitor. Anno 417. S. Zosimus ex Reacio, nunc *Ma-*

*soraca* in Petri Cathedra sedit. Vide Anastas. Anno 446. Frequentes terræmotus, nonnulli fontes aruere, mare varias insulas depressit, quas inter putamus Ogygias, quarum meminit Plinius & Strabo, ut infra dicetur. Baron. n. 5. Hinc pestis, & annonæ caritas, anno scilicet 450. ut Baronius fert. Circa annum 457. Vandali ex Aphrica profecti Calabriam infestant, & circa hæc tempora accidisse arbitramur insigne miraculum S. Nicolai Episcopi Mirensis, cujus imaginem e domo cujusdam Calabri Vandalus abstulit, atque in Aphricam detulit, domumque custodiendam tradidit. Sed illa a latronibus expilata, ac Vandalo imagini incendium minitante nisi omnia sarcta tecta restituisset, S. Nicolaus Latronibus ut ablata reponerent imperavit. Quo miraculo Vandalus cum familia Christianam fidem amplexus est. Vide Laurent. Beyerlinch in theatr. verb. *Imago*. Ribadiner. aliosque. Anno 471. Vesuvi cineres non tam ad Calabriam quam ad Europam fere totam pervenere. Baron. n. 29. Anno 476. Odoacer Herulorum Rex Augustulo ultimo Occidentis Imperatore in exilium pulso, Romam invadit, ac Rex Italiæ appellatur. Sub hoc Rege M. Aurelius Cassiodorus Scylacensis præclarissimorum facinorum specimen præbuit, ut infra dicetur. Anno 494. S. Gelasius Papa ad Episcopos Siciliæ, Lucaniæ, & Calabriæ literas dedit, ut de bonis Ecclesiasticis quatuor partes facerent, sibi, Clero, pauperibus, & Ecclesiæ; tametsi Baronius Gelasium quidquid a Simplicio statutum erat promulgasse scribat. Sub Gelasio Pontifice crypta Gargani montis insigni miraculo in honorem S. Michaelis Archangeli dedicata est, anno scilicet 493. Baron.

Sexto Christi seculo circa ann. 531. Dionysius Scytha, cognomento *Exiguus*, sicut Græci ab Olympiadum exordio, Romani ab Urbe condita, aliis ab alia epocha, ab Incarnatione & Nativitate Domini nostri Jesu Christi annos supputari primus excogitavit. Hic Cassiodoro familiarissime vixit, quocum in Calabriam secessit, ut infra videbimus. Vide Petav. Anno 536. vel 37. ut aliis placet Bellisarius e Sicilia in Calabriam trajecit, quam exactis Gothis liberavit, sicuti deinde Romam, ad cujus portam Flaminiam Ursicinum cum legione Rhegina adversus Witigem destinavit, teste Procopio lib. 1. Ex hoc tempore usque ad Northmannos Calabria & Apulia Imperatoribus Orientis paruit, si tempus excipias quo Totilæ Gothorum Regis & Autharis, aliorumque Longobardorum incursiones aliquando sustulerit. Circa ann. 539. Manuca pirata S. Placidum cum sociis 3. Nonas Octobris in odium Christianæ fidei crudeliter occidi jussit, sed satis hæc illi feritas stetit; nam Christo vindice Calabriam inter & Siciliam sæva tempestate jactatus cum navibus misere periit. Cassiodorus apud Scylaceum patriam suam monachum egit: Hoc anno Sol paulo Luna splendentior apparuit. Vide Baron. Circa annum 543. Totila Calabriam invadit, inde Italia potitus a Narsete Justiniani Duce in Etruria occiditur, sicuti & Teja suffectus Totilæ. Sed & Leutharis & Buccellinus fratres, qui Calabriam anno 555. diripuerunt, a Narsete ad Capuam victi. Anno 567. Narsetes in Sophiam Imperatricem concitato odio Longobardos ab Hungaria in Italiam advocat. Di-

cti

cti sunt autem Longobardi, seu Langobardi a barbæ longitudine, ut vult Constantinus Porphyrogenitus de Them. lib. 2. th. 11. *Longobardia a promissa barba incolarum dicta est*. Vide Paul. Warnefrid. lib. 1. cap. 9. Alii asserunt a longitudine alabardarum dictos esse. Ut ut sit Flavius Autharis tertius eorum Rex Rhegium usque excurrit circa ann. 585. ac Calabriam infestavit, inde Beneventum se recepit. Paul. Diac. lib. 3. Anno 590. Pestis fœda per Italiam totam qua homines innumerabiles oscitando, ac sternuendo perierunt. S. Pelagius Papa, cui successit S. Gregorius Magnus eo morbi genere sublatus est. Tum sternuentibus fausta precandi verbis *Ave* & *Salve*; oscitantibus vero crucis signo ora obsignandi usus laudabilis inolevit. Paul. Diac. Baron. aliique. S. Maximus Episcopus Syracusanus Constantinopoli Crotonem appulit ut ait S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 35. Anno 595. Bubali in Italiam advecti Sigon. de Regn. Ital. Anno 596. Zoto Beneventi Dux Crotonem aggressus diripuit, gentemque captivam duxit, quæ S. Gregorii opera deinde multo ære redemta est. Sigon. ubi sup. Circa annum 600. Subdiaconi Ecclesiæ Romanæ in diversas Provincias sicuti in Siciliam & Calabriam a S. Gregorio missi ut Patrimonium S. Petri administrarent, teste eodem S. Gregorio in regest. qui illos Defensores, Rectores, ac Regionarios appellat.

Septimo Christi seculo, anno 602. S. Gregorius Magnus trabes e Calabria ad reparandas Basilicas SS. Apostolorum Petri & Pauli transvehi fecit, ut ipse ait lib. 10. indict. 5. epist. 24. & 25. Anno 622. Spurcissima Maumethis secta erupit: hinc Ægyra Arabum, idest *fuga* XVII. Kal. Augusti. Baron. Anno 623. Joannes Comsinus Calabriam infestavit, qui Neapoli ab Eleutherio Patricio necatus est. Vide Anastas. Anno 639. Hierosolyma a Saracenis capta. Baron. Anno 643. ut Sigonio placet, vel 646. ut aliis, Rotharis Longobardorum Rex Leges sub *Edicti* nomine promulgavit. Circa annum 655. sub Pontificatu S. Vitaliani Constans Imperator dum Roma Constantinopolim rediret terrestri itinere Calabriam Rhegium usque adeo vastavit, ut uxores a viris filiosque a parentibus separaret, ut ait Anastasius, licet alii cum Baronio ad annum 663. referant. Anno 659. A Longobardis in Italiam detestabilis duellorum usus introductus. Baron. Anno 675. aut 76. post pluvias, tonitruaque ingentia hominibus jumentisque feralia, ignis magnus in cælo apparuit. Sigebert. & Baron. Anno 678. S. Agatho Rheginus summus Pontifex renuntiatus est. Hic ab Imperatore per Abundantium Episcopum Paternensem, & Joannem Episcopum Rheginum, Calabriam, Siciliamque a tributis immunem esse obtinuit. Sigon. lib. 2. Anno 680. Sævissima pestilentia grassante Romæ altare S. Sebastiano sacrum erectum est. Baron. Circa hæc tempora, ut Camillo Peregrinio placet, cui adstipulatur Anonymus Mediolanensis in libro *de Italia medii ævi* qui huic anno consignat aut paulo ante, Calabriæ nomen Brettiorum Provinciæ a Græcis translatum esse conjicitur. Cum enim Longobardi Beneventani exacto per Grimoaldum Constantio, aliis Constante, veteri Calabria quæ circa Hydruntum erat, potiti essent; Græci fastu suo ne-

Provinciæ imminutæ viderentur Regionem Brettiam Calabriæ, sicuti Calabriam priscam Longobardiæ nomine appellare consueverunt. Sed cur eidem Hydruntinæ Provinciæ cum a Græcis iterum sub Othone II. in ordinem redigeretur Calabriæ nomen restitutum non sit, neuter edisserit; satis itaque incerta habenda est conjectura, præsertim quod ex Brettiorum suppressione adhuc Provinciæ imminutæ essent. Fatemur siquidem post hæc tempora usitatius Brettiorum Provinciam Calabriæ nomine vocitatam esse, magisque sub Northmannis, quorum Rogerius *Rex Calabriæ* anno 1130. appellatus est, ut ex diplomate quod asservatur in Monasterio Cavensi SS. Trinitatis; sed opinandum profecto est promiscue & *Brettiam* & *Calabriam* nuncupatam fuisse. Quinimo sicuti Italiæ nomen ex Calabria usque ad Alpes teste Strabone lib. VI. aliisque ut infra dicetur, sic Calabriæ Hydruntum & Campaniam usque processisse. At vero Brettiorum constituta Republica Calabriæ nomen Hydruntinæ Provinciæ cessit, quæ tamen Brettiorum etiam nomine aliquando potita est, ut ex Act. Sextæ Synodi Constantinopolitanæ liquet, ubi Joannes Episcopus sic subscribit: *Joannes Hydruntinæ Ecclesiæ Provinciæ Brutiorum*. Quod & notavit idem Anonymus. Sed & ibidem Episcopi promiscue subscripserunt: *Julianus indignus Episcopus sanctæ Consentinæ Ecclesiæ Provinciæ Brutiorum Calabriæ. Germanus Tarentinæ Ecclesiæ Provinciæ Calabriæ. Theophanes Thurinæ Ecclesiæ Provinciæ Calabriæ. Abundantius Temsanæ Ecclesiæ Provinciæ Brutiorum. Petrus Crotoniensis Ecclesiæ Provinciæ Brutiorum. Paulus Scylletiensis Ecclesiæ Provinciæ Brutiorum. Sergius Taurianæ Ecclesiæ Provinciæ Calabriæ*. In Concilio quoque Nicæno mentio fit Provinciæ *Calabriæ*, nec *Brutiorum*. Anastasius in Conone: *Quæ patrimonii custodes Brutiis & Lucaniæ annue persolvebant*. Idem in Vitaliano meminit Provinciæ *Calabriæ*. Sub Sergio: *Similiter & trabes de Calabria adduci*. Isacius in Lycophr. Temesam *Calabriæ* urbem scribit. Pausanias in Eliacis de Temesa & Euthimo loquens de *Calabro* fluvio mentionem facit. Veruntamen nec abs re fore credendum est, Provinciam, Civitatem, aut locum quemlibet multiplici nomine etiam eodem tempore vocitatum fuisse. Etenim, si conferendum exemplum est, Strabo lib. VI. tractum illum a Brundusio Tarentum usque, sive Chersonesum multiplici appellatione donatum scribit: *Et Messapiam, & Japygiam, & Calabriam & Salentinam complures communi appellatione nuncupant*. Ælius Hadrianus Hierosolymam quam restauravit *Æliam* a suonomine vocari jussit; sed numquid Hierosolyma vocari desiit? Minime gentium. *Bizantium* post Constantinum etiam appellatum putamus. *Tusculum* nostris temporibus imo & Joannis Campani, ut ipsemet fatetur in Vita Pii II. *Frascata* etiam vocatur. Sed ad rem: hodiedum nonne Calabri pro Brutiis, Brutiisque pro Calabris promiscue appellantur? Janus Vincentius Gravina; de quo infra, in suo testamento Romæ ubi excessit exarato natum se esse dicit *in Consentina Provincia Brutiorum*: aliaque id genus exempla quæ adducere supervacaneum est. De Calabriæ autem multiplici nomine infra fusius agetur Vide lib. 1. cap. XXI. circa fin. Anno 683. S. Leo II. Rheginus ad sedem

Pe-

Petri evectus, de quo infra. Vide Anaſtas. cum notis varior. Anno 700. Conſentiæ Concilium habitum eſt XL. Epiſcoporum, ut ait Samblaſius, ſed de hoc nihil apud Labbeum.

Octavo Chriſti ſeculo, anno 702. Joannes VI. Calaber, de quo infra, Summus Pontifex creatus eſt. Vide Ciacon. Anno 703. Juſtinus II. ad Imperium revocatus Calabriam ad petitionem Cononis Papæ vectigalibus liberavit, ut vult Collenucius lib. 2. Anno 705. Joannes VII. Roſſanenſis Petri cathedram obtinuit, ut infra videbimus. Anno 709. Conſtantinus Papa per Calabriam arrepto itinere Conſtantinopolim ad Imperatorem Juſtinianum II. perrexit, a quo accitus fuerat ut religionis diſſidia compeſceret. Baron. Anno 714. S. Gregorius II. Baſilicam S. Laurentii extra muros trabibus e Calabria advectis reparavit, quemadmodum aliis trabibus anno 716. Baſilicam S. Pauli collabentem reſtituit. Baron. Vide Pancyrol. In Cryptis noſtræ Vaticanæ Baſilicæ extat inſcriptio hæc: *Benedictus XII. tecta veteris Baſilicæ reſtituit advectis e Calabria trabibus abiegnis longitudine* 133. *palmis*. Anno 721. Neapolim a Saracenis obſeſſam Calabri ſtrenue defendunt. Vide Capacc. Anno 732. Leo Iſaurus impius Iconoclaſta a S. Gregorio II. ob hæreſim Imperio privatus Patrimonium S. Petri in Calabria ac Sicilia, provinciis a Romano Patriarchatu divulſis, ſibi temere adjudicavit. Baron. Anno 742. S. Zacharias Seberinates ad Petri cathedram evectus eſt. Vide infra. Anno 744. Peſtis crudeliſſima in Græcia, Calabria, ac Sicilia. Zonar. Duobus poſt annis ex Calabria Conſtantinopolim uſque graſſata eſt. Baron. Anno 768. Stephanus III. Rheginus, de quo infra, Summus Pontifex renuntiatus eſt.

Nono Chriſti ſeculo, anno 801. Terræmotus non tam in Calabria, ſed & in tota fere Italia adeo ingens, ut non ſolum urbes, ſed etiam montes ſubverteret, teſte Baronio ac Sigonio. Anno 802. Diviſio Imperii Nicephorum inter ac Carolum Magnum, illi Sicilia, Calabria, ac Neapolis Manfredoniam uſque, huic reliquus Italiæ tractus; Ducatus Beneventanus pro termino conſtitutus Grimoaldo ſoli ex Longobardis Beneventanis ſuperſtiti ceſſit. Vide Collenuc. lib. 2. Anno 811. Sub Michaele Curopalate locuſtæ in Italia apparuerunt. Sigon. Anno 817. Ludovicus Imperator Occidentis donationem a Pipino Romanæ Eccleſiæ factam, ſub qua Regnum Neapolitanum utraque Calabria, ac Sicilia includitur, approbavit, confirmavitque. Sigon. & Baron. Anno 820. ſub Michaele II. Balbo Imperatore Orientis Saraceni Siciliam invadunt. Leo Oſtiens. Anno 823. Crebra prodigia, ignis & ſaxa de cælo, fulmina ingentia, ac terræmotus fuere. Baron. Circa annum 827. Saraceni Calabriam devaſtarunt, ac per triginta annos variis incurſionibus afflixerunt. Vide Baron. Circa annum 900. Abrahimus Saracenorum Rex Conſentiam aggreſſurus, prope urbem ubi nunc dicitur *Pan Bianco* Deo vindice ictu fulminis periit. Protoſpat. Per hæc tempora S. Nilus Roſſanenſis Baſilianus *Cryptæ Ferratæ* cœnobium in agro Tuſculano conſtruxit. Vide infra.

Decimo Chriſti ſeculo, anno 914. Saraceni iterum Calabriam invadunt.

dunt. Sigon. Anno 915. Calabri aliique fœderati Saracenos ad Silarum obsessos delent. Leo Ostiens. Anno 951. Saraceni nova incursione Calabriam ac Lucaniam diripiunt Malachiano aliis Melesino eorum Duce a Calabris trucidato. Protospat. Anno 966. Nicephorus Phoca Patriarchæ Constantinopolitano injunxit ut Episcopos Calabriæ pane fermentato Græco ritu in Missæ sacrificio uti compelleret. Sigon. & Baron. Anno 968. Idem Imperator Theophaniam filiam sive neptem, sive sororem ut aliis placet Othonis filio desponsam in Calabriam mittere simulans ut matrimonio jungeretur, ejus copias delevit; sed anno sequenti Otho II. acceptam injuriam vindicavit; nam comparato exercitu ac cum Landulpho Capuæ Principe juncto fœdere, Græcos ex Apulia & Calabria ejecit qua occisis, qua naribus obtruncatis & Constantinopolim missis. Quo factum est, ut Apulia & Calabriæ pars Imperatoribus Occidentis per decennium cesserit; tametsi nonnulli in chronologia discrepent. Vide Sigon. & Ditmarum lib. 2. Circa annum 975. Saraceni Consentiam aggressi expugnarunt ac pene ad internecionem deleverunt: hinc populi aufugientes ad montes vicina oppidula partim vetera, quamplurima ab eisdem extructa, quæ nunc vulgo *Casalia* appellantur, incoluerunt. Et licet nonnulli cum Protospata hoc ad annum 1009. referant, conjicere tamen par est, Saracenos variis incursionibus circa hæc tempora Consentiam diripuisse, quorum quadraginta millia cum Bulcassono Rege prope Crotonem ab exercitu Othonis pene deleta fuere, licet Protospata id ad annum 981. evenisse narret. Vide Sigon. Anno 982. Otho collatis copiis cum Landulpho Beneventi atque Atenulpho Capuæ Principibus a Græcis ac Saracenis ad Bassanellum, aliis Busentum, fluvium fractus vix per scapham trajecto flumine evasit, ac paulo post dolore confectus occubuit. Sed Bassanellum flumen ignoratur, Busentum prope Consentiam scapham non patitur præsertim mense Julio quando pugnatum est; idcirco fluvium hunc *Racanellum* fuisse *Cylistarnum* olim dictum in tractu Rossanensi ac Thurino Tarentinoque finitimo, ad manus conferendas aptissimo, credendum est. Equidem Otho cum exercitu fœderato Tarento in Calabriam contendit; ejusque uxor tunc temporis Rossani morabatur, ut ait Sigebertus. Græci victoria elati Calabriam & Apuliam duris legibus ac tributis subegerunt novo Catapanorum magistratu introducto, a quibus ea Provincia, quæ nunc *Capitanata* est, nomen sumsit. Vide Leon. Ostiens lib. 2. S. Petr. Damian. Baron. Sigon. aliosque. Sed & Calabria a Patriciis, qui Prætores & Strategi nuncupabantur, regebatur. Vide Virum Cl. Octavianum Gentilium amicum nostrum *De Patritiis* lib. II. cap. IX. Anno 992. Annonæ caritas summa in Italia tota. Protospat. Circa finem hujus seculi, vel initium futuri cognomina familiis gentilia barbarorum incursu pene interita iterum usurpari consueverunt, ut ait Sirmundus, Mabillonius, & Papebrochius.

Undecimo Christi seculo, anno 1003. Quadraginta Northmanni, idest *homines Boreales*, Danici generis e Scania quam Northvegiam appellant, ex Hierosolymitana peregrinatione redeuntes Salernum a Saracenis ob-

obſeſſum appulerunt. Cumque a Gaimario Salerni Principe arma impetraſſent, Saracenos in fugam conjecerunt. Tum recuſatis muneribus ad patriam revocati Northmannos ad fertilem tantorum bonorum provinciam adeundam excitant. Hinc gens iſta in Regno Neapolitano celeberrima primordia ſumſit. Vide Leon. Oſtien. lib. 2. Anonymus Caſſinenſis id ad annum 1000. refert. Anno 1006. Piſani Saracenos Rhegium infeſtantes obſident, & captos interimunt. Sigon. Anno 1014. Saraceni Caſſanum expugnant, quos Baſilius & Conſtantinus Imperatores Rufforum & Julianorum auxilio delent, Calabriamque & Apuliam recuperant. Protoſpat. & Summont. lib. 1. Anno 1016. Melus & Dattus nobiles Apuli ex ſanguine Longobardorum cum Northmannis recens adventis juncto fœdere Græcos expugnant. At Dattus a Græcis anno 1021. occiditur; cumque Saraceni Beſidianum obſiderent, Arpichas eorum Dux, ac Melus periere. Interea Northmannos inter Græcoſque, ac Saracenos varia fortuna ſæviſſimum ac diuturnum conflatum eſt bellum. Vide Sigon. Oſtienſ. & Protoſpat. Anno 1041. Northmanni partem Calabriæ occupant, cujus poſtmodum Guillelmus Comes inſcribitur: Protoſpat. Anno 1044. Guido monachus Aretinus ſex notas muſicas *ut, re, mi fa, ſol, la* ex hymno S.Joannis Baptiſtæ excerptas invenit, ut auctor eſt BucoltſerusGuillelmus cumGaimaro arcemScylacei extrui jubet. Protoſpat. Anno 1046. Guillelmo ſucceſſit Drogo ejus frater; Græci & Northmanni Saracenos ex Sicilia expellunt. Protoſp. Anno 1048. Drogo arcem in urbe S. Marci, quæ etiam num extat, ædificavit Gafrid. Malater. Circa annum 1057. Robertus cum Rogerio fratre Græcos pene omnes Sacerdotibus exceptis ex Calabria ejiciunt. Gafrid. Anno 1059. Robertus a Nicolao II. Summo Pontifice Calabriæ Dux renuntiatus, ſubſequenti anno de titulo cum Rogerio contendit: mox diviſa regione ille Dux, hic Comes inſcribi permiſſus eſt. Vide Fazel. Anno 1062. Riccardus Northmannus expugnata Capua Longobardos Principes ejicit, qui ab Atenulpho ad Landulphum V. regnarunt. Quo factum eſt ut deinceps ad plebejos deſcirent vilibuſque miniſteriis addicerentur. Ne ſuperbiant viri nobilitate ſanguinis clari, ſed ad horum fortunam tamquam in ſpeculum intueantur. Vide Deſider. dialog. lib. 1. Peregrin. in ſtem. Anno 1068. Quoſdam Monachos Benedictini inſtituti ex Calabria in Saxoniam conceſſiſſe, ibique monaſteriis extructis per quadraginta annos fidem Catholicam propagaſſe auctor eſt Gualterius in triumph. cap. 50. Anno 1092. Urbanus II. Summus Pontifex in Calabriam contendit, atque in monaſterio nunc vulgo *della Mattina* prope urbem S. Marci moratus eſt, ut ex ejuſdem epiſtola in to. 10. Concilior. Anno 1091. ut Tutino placet, aliis 1095. S. Bruno Colonienſis Carthuſianæ familiæ inſtitutor in Calabriam prope Scylaceum ſeceſſit, ibique ſanctitate ac miraculis floruit. Vide infra. Anno 1096. Godefridus Bulionius, Boemundus, Tancredus, aliique Principes die 15. Auguſti inſtructa claſſe ad duodecim millia militum, quorum plerique Calabri erant, ac Cruce obſignati cum Arnulpho ArchiepiſcopoConſentino ad Hieroſolymæ expugnationem profecti ſunt. Hinc Calabria pro ſtemmate Crucem uſurpare conſuevit. Vide Protoſpat.

Ba-

Baron. aliosque. Anno 1097. ut Baronius fert, S. Bruno Rogerium Comitem in somnis admonitum a vitæ discrimine quod dum Capuam obsideret ex Sergii proditione imminebat, mirabiliter liberavit. Vide fragmentum diplomatis quod inferius afferemus. Sane ex eodem evincitur Capuam anno 1098. a Rogerio expugnatam esse. Vide Protosp. Anno 1099. die 15. Julii Christiani Principes Hierosolymam expugnarunt. Protosp. Anno 1100. Stemmata familiarum usurpari consueverunt. Vide Rainer. hist. Gall. Campanil. sup. famil.

Duodecimo Christi seculo, anno 1122. Calistus II. in Calabriam commigravit. Vide infra. Anno 1137. Innocentius II. & Lotharius Imperator Occidentis Rogerio Rogerii Comitis filio Pseudopapæ Anacleti a quo Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, & Calabriæ renuntiatus erat partes foventi bellum indicunt. Quo factum est ut Rogerius in Siciliam contenderet: eademque occasione Legum Imperialium libri *Pandectæ Pisani* quod Pisanis traditi, & *Florentini* quod in Bibliotheca Magni Etruriæ Ducis asservantur appellati, Amalphiæ non Melphiæ ut quidam vocis affinitate decepti perperam scripserunt, reperti sunt. Vide Anonym. Cassin. Sigon. aliosque. Anno 1139. VI. Idus Julii idem Innocentius Papa a Rogerio detentus, pace inita, illum Siciliæ Regem, Apuliæ & Calabriæ Ducem ac Capuæ Principem, renuntiavit. Baron. & Sigon. Anno 1143. Rogerius trabes ac ligna e Calabria Romam ad Innocentium transvexit, quibus hic Basilicam Lateranensem restauravit. Baron. & Panvin. Anno. 1148. Ex Eubœa insula vulgo *Negroponte* primi artifices qui sericum extraherent in Calabriam venerunt, ut ait Gualterius in MS. & Florius. Vide Jul. Scalig. exercitat. 158. ad Cardan. ubi inter alia scribit vidisse se in Calabria neglectos in arboribus vermiculos sine cura cultuque sericum facere e quibus detrahunt incolæ. Procopius de Bello Goth. ait sub Justiniano ex Indiis sericum in Italiam adductum. Interea anno 1154. Rogerius Rex e vivis sublatus est, cui successit Guillelmus filius *Malus* appellatus. Anonym. Cassin. Anno 1162. Trischene nunc vulgo *Taverna* a Guillelmo vastata, ut infra dicemus. Anno 1166. Idibus Maji Guillelmus vivere desiit, cui Guillelmus ejus filius, *Bonus* dictus, annorum duodecim suffectus est. Anonym. Cassinen. tametsi Baronius ad annum 1169. id referat. Anno 1172. Guillelmus Thracius gloriosissimæ mortis S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis nequissimus auctor ad tantum scelus expiandum pœnitentia injuncta ab Alexandro Tertio Hierosolymitanæ peregrinationis, una cum Ugone de Moravile, Riccardo Brettone, Reginaldo filio, atque Urso ejusdem criminis reis, ubi Consentiam pervenit misere periit. Baron. Anno 1184. Nono Kal. Jun. Calabria tota contremuit, Consentia præsertim multum perpessa: Archiepiscopus Ruffus ruinis ædium obrutus est MS. Mart. Anno 1186. Per hæc tempora florebat Abbas Joachimus, de quo infra. Anno 1189. Guillelmus II. improlis e vivis sublatus est mense Novembri, cui successit Tancredus quem Rogerius genuit ex concubina, at non sine Provinciarum diffidiis, quarum aliquæ Henrici VI. Imperatoris Friderici filii partes fovebant, quod Constantiam Rogerii filiam legitimam despon-

ſponſaſſet. Tancredus filium ſuum Rogerium Regem ſalutari præcepit, qui paulo poſt mortuus eſt, inde & Tancredus ipſe, filio parvulo, quem Henricus excæcari fecit, ac tribus filiabus ſuperſtitibus relictis. Sic Northmanni regnare deſierunt, cœperuntque Suevi. Anno 1196. Henricus Regno potitus ex Germania, quo contenderat, Panormum rediit, ibique periit, Friderico filio, qui Æſii Anconam inter & Senogalliam natus ei erat anno ſuperiori, ſub Innocentii III. tutela relicto. Vide Innoc. III. to. 1. lib. 1. epiſt. 410. 557. & ſeqq.

Decimotertio Chriſti ſeculo, anno 1209. Fridericus Imperator & Rex utriuſque Siciliæ, Regis Aragoniæ ſorori nupſit, ut ait Anonymus Caſſinenſis. Circa annum 1217. Fratres Minoritæ in Calabria, Sanctiſſimo Patriarcha Franciſco adhuc vitam agente, ſanctitate ac miraculis florere cœperunt, quos inter S. Daniel martyr cum ſociis, de quibus infra. Anno 1236. Fridericus, poſtquam Conſentiæ Comitia generalia bis in anno fieri decreviſſet nempe Kalendis Maji & Novembris, Henricum filium quod Imperium uſurpare tentaſſet, in Calabriæ variis in locis carceribus mancipavit, qui tandem in arce Mamertina fame periit. Riccard. a S. German. alii dicunt in arce Conſentina. Vide Ughell. to. 3. in fin. Anno 1250. Fridericus jamdiu ab Innocentio IV. e Chriſtianorum ſocietate ſubmotus in Lugdunenſi Concilio (in quo rubri pilei inſigne Cardinalibus datum proditur) atque Imperio privatus quod nihil de odio in Romanam Sedem, ac pervicacia remitteret, Florentini in Apulia miſere periit, ſive angina correptus, ſive a Manfredo quem ex concubina genuerat præfocatus, incertum. Friderico ſuffectus eſt Conradus ejus primogenitus, tertio poſt anno ab eodem Manfredo veneno ſublatus. Vide Anonym. Caſſin. & Trithem. in Chron. Hirſaugien. Tum Manfredus nomine Conradini Conradi filii Regni adminiſtrationem ſuſcepit. Per hæc tempora linguam Italicam ex longo Bulgarorum, Longobardorum, aliarumque gentium incolatu incrementa ſumſiſſe conjicitur, ſed longe ante primordia; nam Riccardus a S. Germano tempore Friderici II. Imperatoris Eremitam Calabrum orantem commemorat lingua vulgari: *Benedittu, laudatu, e ſantificatu lu Patre: Benedittu, laudatu, e ſantificatu lu Fillu: Benedittu, laudatu, e ſantificatu lu Spiritu Santu*. Auctor quoque Actor. Alexandri III. apud Baronium ad ann. 1154. refert dicteria a mulieribus Romanis Octaviano antipapæ objecta, quem appellabant lingua vulgari: *Smanta compagno*. In Litaniis Carolinis a Mabillonio evulgatis to. 2. analector. Clero fauſta acclamante pro Carolo Magno; populus reſpondebat: *Tu lo juva*, ideſt: *Tu illum adjuva*. Sed & varias Saracenorum voces lingua Italica uſurpavit, ut puta *Meſchino*, *Magazzino*, *Maſchera*, *Gibel* quod montem ſignificat, quo Ætna per antonomaſiam appellatus eſt, poſteaque *Mongibello*. Anno 2265. aut 66. Carolus Andegavenſis S. Ludovici germanus frater ad Regnum vocatus Manfredum vicit ac trucidavit V. Kal. Martias ac biennio poſt Conradinum capite multavit cujus vita Suevicæ familiæ ſtirps prorſus extinguitur. Vide Brietium. Circa annum 1270. Iſabella Regis Aragoniæ filia & Philippi Regis

 Fran-

Francorum uxor Consentiæ ultimum clausit diem. Const. & Collenuc. Anno 1274. S. Thomas Aquinius Belicastrensis, doctrina & sanctitate celeberrimus, de quo infra, in cælum receptus est. Anno 1282. 3. Kal. Aprilis feria secunda post Pascha Siculi Francos dato signo opprimunt, unde Vesperæ Siculæ in proverbium abiere. Fecerunt Siculi non secus ac Galaaditæ adversus Ephrathæos ut habetur Judic. XII. *Dicebant ei Galaaditæ: Nunquid: Ephrathæus est? Quo dicente, Non sum: interrogabant eum: Dic ergo Schibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat Sibboleth: eadem literam spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum jugulabant.* Interrogabant, ut fertur, Siculi Gallos: Nunquid Gallus es? Qui respondebat, Non sum; at illi: Dic ergo *Cicero*; Gallus autem dicebat *Sisero*; non enim eundem vocis sonum exprimere valebat; & sic interficiebant eum. Calabri Siculorum exemplo partim ad Aragonenses descivere. Collenuc. Mortuo Carolo ejus filius suffectus est anno 1285. Verum anno 1292. Aragonenses inter & Francos acerrimum conflatum est bellum. Vide Caraf. lib. 5.

Decimoquarto Christi seculo, anno 1309. Carolo II. Andegavensi e vivis sublato Robertus ejus filius successit, qui anno 1313. Calabriam a Friderico Siciliæ Rege vexatam liberavit. Oderic. Anno 1325. mense Majo Carolus Roberti filius & Calabriæ Dux Panormum obsedit,inde Rhegium appulsus devenit Miletum, ac Montileonum, ut ex historia Salernitana quæ MS. asservatur in Bibliotheca Vaticana. Tum electus est Dux Etruriæ. Vide Collenuc. Anno 1343. Joanna Caroli filia Regno successit, ac Andreæ Caroli Hungariæ Regis filio nupsit, quem post biennium laqueo ad collum inserto Aversæ suspendi ex fenestra jussit, quibusdam Calabris viris nobilibus Regiis familiaribus hoc crimine perperam insimulatis, quos & occidit. Vide Petr. Matthæum hist. de famil. Catanæ, Engen. aliosque. Verum tanti sceleris pœnas luit; nam anno 1381. cum Joanna Clementis VII. pseudopapæ partes foveret, Urbanus VI. Carolum Dyrrhachinum Regem constituit, qui Neapolim ingressus, Joannam eodem mortis genere, eodemque loco qua ipsa virum interimendam jussit. Oderic. Vide Engenium, qui inscriptionem adducit ex qua tempus discrepare videtur. Anno 1385. Calabri atque Apuli Urbanum VI. Summum Pontificem Luceriæ obsessum strenue adjuverunt. Oderic. num. 7. Anno sequenti Carolo e vivis sublato successit ejus filius Ladislaus. Vide Collenuc.

Decimoquinto Christi seculo, anno 1414. Ladislaus veneno periit, cui successit Joanna ejus soror, quæ Consentiam urbem magna ex parte reddidit immunem, ut ex diplomatibus jam cusis fol. 12. Huic Renatus post interregnum trium annorum, ut ait Scipio Mazzella, in Regno successit, quem ultimum ex Andegavensibus anno 1442. Alphonsus Aragonensis exegit, regnoque potitus est. Anonym. Cassin. Sub hoc Principe indictio facta est super locis Baronum, quorum aliqua diruta sunt, de quibusdam vero conjici nequidquam potest ubinam fuerint. Vide Tutin. de Sept. offic. Anno 1443. Pridie Kal. Martias Neapoli Comitia coram Rege habita, in quibus centussis per singulos Focos, modio salis rependendus, Regi decretus est. Vi-

Vide Collenuc. Const. & Summont. Anno 1453. Maij 29. feria 3. Maumethes II. Constantinopolim obsedit expugnavitque Constantino Palæologo Helenæ filio imperante. Sic factum est ut sub Constantino Helenæ filio imperium cœperit, & sub Constantino pariter Helenæ filio desierit; non secus ac Imperium Romanum sub Augusto cœptum in Augustulo periit. Vide Annal. Turcic. Anno 1458. Alphonso e vivis sublato Ferdinandus ejus filius Rex est inauguratus. Mazzell. Per hæc tempora diu Andegavensium inter & Aragonensium factiosos Calabriæ pugnatum est. Vide Collenuc. Tum Scanderbegus, qui summo quoad vixit Turcis terrori fuit, paterna Epiri ditione recuperata, Ferdinandum Regem in fugam actum a Joanne Renati Andegavensis filio tam Pii II. quam ipsius Ferdinandi precibus accitus, mirifice liberavit, ejusque auxilio Ferdinandus pulsis hostibus brevi omnia in potestatem accepit. Hac expeditione variæ per Calabriam Coloniæ deductæ, vulgo *Albanesi*, præsertim in agro Besidiensi, ut colligitur ex monumentis Monasterii S. Adriani, cujus Archimandrita Paulus Basiliani instituti tunc temporis gentes illas benigne excepit. Scanderbegi filia Herina Petro Antonio Sanctoseverino Besidiensium Principi nupsit. Vide Marinum Barlet. lib. 10. de gestis Scanderbegi. Anno 1471. ars typographica in Regno Neapolitano primordia sumsit, Moguntiæ a Joanne Guttembergio inventa anno 1440. & paulo post Sublacum ac Romam introducta. Palmer. Anno 1480 Hydruntum a Turcis obsessum expugnatur: tum S. Francisci Paulitani precibus liberatur. Ibi Nicolaus Piccardus Calaber Martyr occubuit, ut infra dicemus. Vide lib. 2. cap. V. num. 8. Ab anno 1494. usque ad annum 1497. sub Alexandro VI. quinque Reges vidit Regnum Neapolitanum, Ferdinandum nempe senem, Alphonsum II. ejus filium, Carolum Octavum Francorum Regem, Ferdinandum II. Aragonensem, & Fridericum. Vide Guicciard.

Decimosexto Christi seculo, anno 1502. Ludovicus XII. Francorum Rex pulso Friderico Regnum obtinuit, quod cum Ferdinando III. Aragonensi Catholico nuncupato divisum brevi Gonsalvi Ferdinandi ducis invictissimi opera ac virtute amisit. Paul. Jov. Anno 1507. S. Franciscus de Paula Turonis in Gallia ad superos evolavit nonagenario major, de quo infra Anno 1509. Judæi ab Regno expulsi sunt, ut fert Ambros. Leon. hist. Nol. lib. 3. Anno 1516. Ferdinandus vivere desiit, cui successit Joanna ejus filia Philippi Hispaniarum Regis vidua ac Caroli V. Austriaci mater, quæ Carolum ipsum ad Regnum evexit. Anno sequenti Martinus Lutherus hæresiarca nequissimus apud Islebium in Saxonia natus anno 1483. Novembris 10. contra Indulgentias declamavit. Scintilla hæc paulatim magnum excitavit incendium, quo Europa tota conflagravit. Cochl. Vide Card. Ruffens. Anno 1520. Tria millia militum Hispanorum e Sicilia eruperunt, Calabriamque excurrendo diripuerunt. Guicciard. Anno 1528. Post Urbis direptionem quæ superiori anno accidit, Simon Tebaldus Romanus Gallorum Dux Calabriam aggressus varias urbes in deditionem recepit, qui anno sequenti Brundusii periit. Eodem anno Equites Hierosolymitani in Melitam Insulam

ſeceſſerunt. Guicciard. Anno 1530. Apparuit Soriani Imago S. Dominici, de quo infra. Eodem anno Croto ab exercitu Caroli obſeſſa eſt, ut ait Jovius lib. 31. In hac expeditione quatuor Duces Conſentini ſtrenuam navarunt operam, Marcus Arduinus, Ferdinandus Favarus, Ferdinandus Bernaudus, & Santes Guerrerius, ut ex MS. Joannis Antonii Belmonte. Anno 1535. Carolus. V. ubi Tunetum in Aphrica expugnavit, in Siciliam trajecit, inde ſolvens menſe Octobri Rhegium appulit, mox Sinopolim ingreſſus a Paulo Ruffo Comite lautiſſime exceptus fuit. Tum die 3. Novembris Seminariam, inde Montileonum, poſtea Neocaſtrum, Mamertum, Carpacianum, ac Rublanum pervenit, ubi Dominis de Foſſo, qui eum exceperunt calcar pro monimento reliquit, quod modo apud Carolum Sicilia aſſervatur. Hinc per agrum Fillenenſem vulgo *L' Imperadore & Fontana di Carlo V.* Paternum, & Dipinianum, ubi & privilegia conceſſit; mox Teſſano Conſentiam die 7. pervenit, ubi incredibili plauſu ſuſceptus eſt. Decem millia juvenum ex Conſentinis ſuburbiis vulgo *Caſali* ad militiam aptiſſimorum Magiſtratus quo ingreſſus magnificentior fieret, exhibuit, Imperatore ac proceribus obſtupeſcentibus. Aderat tunc Petrus Antonius Sanctoſeverinus Beſidiæ Princeps, qui Regia, ut par erat magnificentia Carolum V. ad villam Mauri venatione celeberrimam in agro Coriolanenſi excepit. Hujus magnificentiæ fama longe lateque proceſſit. Vide Conſt. Gregor. Roſſ. alioſque. Acetorum Familiæ militibus Carolus V. varia privilegia largitus eſt, ut ex Diplomate & ex inſcriptione, quam infra adducemus. Anno 1544. Conſentiæ Crathidis pons nobiliſſimus vulgo *di S. Maria* a celebri Giliberto Architecto Rublanenſi abſolutus fuit, ut ex MS. Belmont. Anno 1554. Carolus V. Regno abdicavit ſeſe, quod Philippo II. ejus filio tranſtulit, Vide Mazzell. anno 1555. Claſſis Turcica Paulam & Nicetum præter opinionem diripuit. Iſabella de Toleto Petri Proregis filia ac Paulæ Domina ſeminuda Montaltum aufugit. MS. Belmont. Vide Engen. anno 1560. in Calabria caritas ſumma. Conſentiæ tritici modius quatuor ſcutatis veniit, quadruplo quam conſueverat. Flor. anno 1561. In quibuſdam Calabriæ oppidis præcipue Vardiæ nunc *La Guardia* hæreſis Calviniana detecta fuit, atque extincta. Vide infra. Anno 1563. Marcus Berardus ex Mangono Conſentiæ Prætura exercitu comparato Crotonem invadit, ſed infelici ſucceſſu: interea Calabriam infeſtat, Regemque vocari affectat, vulgo *Re Marco*. Sed brevi deletis copiis a Fabricio Pignatello tanti criminis pœnas luit. Vide Thuan. lib. 76. Conſt. 3. p. Anno 1571. die 7. Octobris ſub Sanctiſſimo Pontifice Pio V. fœderata Chriſtianorum claſſis in qua erant ad duo millia Calabri milites ad Naupactum de Turcis mirabiliter triumphavit: ducentæ hoſtium triremes partim captæ, partim depreſſæ, pauciſſimæ in fugam actæ. Coſt. & Campan. Biſar. hiſt. Cypri. Anno 1580. tametſi Calabria ſub Alphonſo Primo diviſa fuerit, hoc tamen anno duplex Regium Tribunal decretum eſt. Vide Engen. anno 1582. Gregorius XIII. Calabrorum opera Romanum Calendarium emendavit. Vide infra ubi de Aloyſio Lilio. Anno 1598. Philippus III. Philippi II. filius Rex utriuſque Siciliæ ſalutatus eſt. Conſt.

De-

Decimoseptimo Christi seculo, anno 1621. Philippo III. e vivis sublato Philippus hujus nominis IV. ejus filius Regni gubernacula suscepit. In Calabria anginæ morbus quamplurimos præsertim pueros præfocavit. Flor. Anno 1624. die 7. Junii Crathis fluvius ad viginti palmos excrevit, ut ex monumentis MS. Anno 1638. VI. Kal. Aprilis terræmotus perniciosissimus Calabriam pene totam evertit: mare paulo ante in sinu Lametico ad duo milliaria recessit: terra meatibus amplissimis scissa. In Grimaldi ruinis memoria dignum evenit: duo infantes subter rudera post dies octo vivi reperti alteri porca vulgo *scrofa* ubera præbuit, alteri incompertum; illi *Scrofani*, huic *Trovati* nomen inditum est, ut ait Dominicus Martyre auctor synchronus in suo MS. quod Romæ asservatur in Bibliotheca S. Francisci de Paula ad Montes dicti. Vide Recupit. Anno 1644. Consentiæ Casalia quæ sunt veluti ejusdem Civitatis suburbia a Prorege Medina Magno Etruriæ Duci venduntur, cujus Gubernator Cælici præsidebat. Verum tertio post anno Cives ac populus servituti plane non assueti jugum excusserunt, restitutaque pecunia primam adepti sunt libertatem, Regio Diplomate quod in fine hujus operis adducemus confirmatam. Rogatum fuit Consentiæ publicum Instrumentum a Tabellione Francisco Maria Scavello. Eodem anno Neapoli, quod plebs nimium vectigalibus premeretur, Thoma Agnello duce, vulgo *Masanello*, homine vilissimo, immanis orta est seditio, quæ totum fere Regnum corripuit. Anno sequenti Joannes de Austria Regnum pristinæ tranquillitati restituit: MS. Mart. anno 1656. Pestis sævissima per Calabriam grassata est. Vide infra ubi de Casuono. Anno 1659. terræmotus ingens quo Calabria superior pene deleta est. Vide infra. Anno 1665. die 17. Decembris Philippus IV. vivere desiit, cui Carolus ejus filius suffectus est. Anno 1672. Fames adeo ingens Calabriam afflixit, ut homines noctu incedentes clamarent *Pane*, *Pane*; quamplurimi perierunt, & apud superstites annus iste pro epocha fuit, vulgo *Dal tempo della mala annata*. Sed & post biennium ob Messanæ seditiones compescendas plurimum Calabria perpessa est. Vide Columm. hist. tumult. par 2. Anno 1683. Assiduæ pluviæ in Calabria: mox gelu flumina obriguere, præcipue Crathis juxta Consentiam nunquam in gelu coactus. MS. Mart. Anno 1691. ob nivium copiam variæ domus oppressæ, ac pecora interita: eodem anno ob pestis suspicionem quæ in Apulia grassabatur custodiæ decretæ. Anno 1693. III. Idus Januarii, hora circiter vigesima in Sicilia terræmotus ingens, quo Catana Civitas subversa est. Calabria quoque contremuit. Anno 1694. Annonæ caritas summa, niviumque copia ad decem palmos. Hujusce & ego septennis memini: Tunc enim primo a matre mea Felice vitæ integra ad hæc divinæ indignationis flagella collacrimante, humanæ vitæ ærumnosam conditionem edoctus sum. Anno 1700. Kalendis Novembris Carolus II. improlis vitam cum morte commutavit, ac Philippum Borbonium Andegavensium Ducem sibi heredem scripsit. Vide Otter.

Decimum octavum seculum non Synopsis Chronologicæ, sed integram historiæ materiem suppeditabit in posterum favente Numine concinnandam.

IN-

# INDEX
## CAPITUM
### Quæ in hoc Opere continentur.



Ca-

## LIBER TERTIUS.



## LIBER QUARTUS.



Py-

LIBER QUINTUS



THO

# GABRIEL BARRIUS FRANCICANUS

## *De Antiquitate & Situu Calabriæ*

AD

## BERNARDINUM SANCTOSEVERINUM BESIDIANENSIUM PRINCIPEM.

### *PROOEMIUM.*

CUM ego, ampliſſime Princeps, probe ſcirem & a natura inſtitutum eſſe, & uno omnium ſapientium ore celebratum, tum multorum exemplis confirmatum, ut ſummo nos opere patriæ debeamus: pro qua ſi nobis ingrati animi notam inuri nolumus, ſanguinem effundere, & mortem oppetere, nedum quemvis ſubire laborem cogimur, ſedit animo ultro munia obire, ut totius Italiæ laudes ex pluribus & Græcis & Latinis auctoribus excerpens librum de ejus laudibus, necnon pro lingua Latina, & de Urbis æternitate ſcriberem. Nimirum Latinæ linguæ honos, & urbis laus ad Italiæ gloriam attinent, quod Latium, a quo illa dicta, & in quo urbs eſt, in Italia ſit. Inde vero Calabriæ laudes, quæ itidem ad Italiæ gloriam pertinent, colligere, & librum de ipſius antiquitate & ſitu ſcribere mihi certum fuit: quo patria charitate devinctus penſum meum pro virili parte ſolvens meritis eam illuſtrarem laudibus: quin etiam eam per ſe primum ex nomine ipſo, inde vero poſtea a pleriſque gravibus auctoribus illuſtratam oſtenderem. Ceterum nequaquam legentes id fugere velim, quod movit quoque me ſcilicet, ut pro lingua Latina, & de æternitate Urbis, & de Italiæ laudibus, ac de antiquitate & ſitu Calabriæ ſcriberem, communis omnium ſtudioſorum utilitas & delectatio, non tantum patriæ charitas & amor. Itaque omnes & Latinos & Græcos auctores diurna nocturnaque verſavi manu, ſuccifivis tamen operibus, ut quæque memoratu digniſſima ad Calabram regionem attinentia carptim præſcriberem. Collegi autem plurima omni atque immortali laude digna, quæ fere ſepulta jacebant. Siquidem eam, ut quamque Europæ regionem Auxonum primo habitatione vetuſtiſſimam, inde vero a clariſſimis Græcorum principibus populiſque & ante & poſt Trojæ ruinas habitatam, multis nominibus a Græcis ipſis appellatam, magnis inſuper a Græcis & Latinis ſcriptoribus laudibus celebratam, magnas præterea ac potentes in ea urbes fuiſſe, eamque quamplurimos, & eos præſtantiſſimos viros ac mulieres, variis diſciplinis eruditos, utpote Poetas, & Philoſophos, & Mathematicos, & Medicos, & Legislatores, & Muſicos, aliarumque rerum ſcriptores, ac multarum rerum inventores, tum ingenioſos artifices, necnon ro-

bustissimos athletas, ducesque edidisse reperio. Adde quod a Romanis Coloniis etiam & municipali jure, tum Civitate Romana honestata fuit & exornata. Nec desunt ei sanctissimi viri ac mulieres, quos ipsa peperit regio. Ceterum nequid laudis regioni deesset, eam minutatim ac seriatim, ac cuncta quæ in ea gignuntur, accurate scribere libuit. Nova veteribus junxi, vetera locorum nomina, quoad fieri potuit, vestigavi, ut opus absolutius esset, & Calabrum nomen apud omnes gentes in sempiternum ævum illustrius redderetur, tum venerandum & admiratione dignum. Quandoquidem ut est Calabra regio vetustate, laudibusque prædictis clara: ita & rerum ubertate ac varietate, quæ in Calabria sive ultro proveniunt, sive incolarum cura fiunt, tum ingeniorum præstantia, & corporum robore nulli Italiæ regioni cedit. Quinetiam, absit verbo invidia, omnium Italiæ regionum est nobilissima. Nam præter ea, quæ in reliqua Italia aut parte ejus quota fiunt, multa alia in ea ob soli felicitatem & cæli clementiam aut fiunt aut gignuntur. Has ob res eam Græci Auxoniam primum, inde Calabriam appellavere, quod bonis omnibus scateat, eorumque proventus in dies augeatur. Quod utique nomen nulli aliæ Italiæ regioni convenit. Cum itaque talis ac tanta sit Calabra regio, ac per omnes ætates in ea eruditi floruerint viri, nemo tamen unus per tot secula, hanc provinciam suscepit, hosce labores obivit, ut patriæ gloriam propriæ utilitati præponens eam celebraret. Quod opus ut ipse conficerem nulli parcens labori regionem universam lustravi, neve falsa scriberem, neve in vestigandis veterum locorum nominibus in eos errores inciderem, in quos neutericorum scriptorum plerique, vulgi & leviter eruditorum opinionibus innixi, lapsi sunt: ut Guido Ravennas, Blondus Foroliviensis, Raphael Volaterranus, Pandolphus Pisauriensis, aliique plurimi. Quod opus in quinque libros distinctum tibi, qui in tota regione primarius Princeps es, nuncupavi. Magna quidem ac præstans res magno ac præstanti viro convenit ac debetur. Præsertim etiam quod Sanctoseverina domus antiquissima est & nobilissima, ex qua plurimi præstantissimi viri floruerunt. Et majores tui Besidianensium Principes, tum maxime Petrus Antonius pater tuus, cui regius animus inerat, tyrannidem veris Principibus prorsus exosam semper abhorruerunt: & justitia, clementia, & liberalitate, quibus virtutibus tu quoque præstas, polluerunt. Es quidem tu in tanta expectatione, ut nulli majorum tuorum virtutibus cessurus sis. Neque mater tua Herina laude caret, quæ Schanderbech sanguine genita præstanti animo fuit, pudicitia quoque ac religione nulli matronarum cessit, atque in rei familiaris administratione prudens fuit. Accedit quod id quoque ut hoc agerem me adegit, quod cum tu de hoc libro certior factus fueris, patria charitate incensus, ne tot meæ vigiliæ, totque labores, tot inquam perpetuæ Calabriæ laudes perirent & obliterarentur, hac in me, imo in patriam liberalitate usus es, ut liber ipse tuis auspiciis sumtibusque in medium prodeat. Proinde non mihi modo Calabria universa, verum etiam tibi quandiu cælum movebitur gratias maximas agere, etiam habere majores, & Francicanos cives meos Civitate & immunitate donare debet.

THO-

# THOMÆ ACETI
## IN GABRIELEM BARRIUM
## *ANNOTATIONES.*
# LIBER PRIMUS,
## CAPUT I.
### *Describitur Calabriæ situs. Aschenazæi primi incolæ.*

CALABRIA Italiæ regio, quæ in extremis ejus finibus, (*a*) ut lingua porrecta inter utrumque fretum, inferum superumque interjacet, incipit e mari infero, quod Græci Tyrrhenum vocant, (1) a Talao Flumine; a supero vero, quod iidem Ionium nuncupant, a Syri amni, & protenditur ad Euripum usque, Rhegiumque. Atque Apennini montis jugo "cum reliqua Italia" in longitudinem secta duo cornua emittit, Leucopetram dextra, Lacinium sinistra. Quæ tum montuosa est, tum campestris, Latii instar aquarum scaturiginibus irrigata. Ipsius vero regionis ambitus, ad DCCXXX.M paf. colligit. A Talao enim Fluvio ad Laum amnem milliaria sunt XII. A Lao autem, Strabo fert, ad Euripum, qui a Cænide promontorio incipit, millia paf. sunt Clxix., communi vero existimatione Clxi. Euripi autem tractus, qui ut dixi, a Cænide ad fretum usque, Herculeumque promontorium porrigitur," circiter " lx. millium passuum est: A freto, quod ab Herculeo promontorio initium habet, idem Strabo Polybii auctoritate, ad Lacinium Junonis templum CClxxxviii. intervallum esse tradit. A Lacinio ad Syrim amnem mil. sunt Cxxiii. A Syris fluminis ostiis ad Talai amnis ostia intervallum est M. P. Lxxvi.

Est scilicet Calabria omnium Italiæ regionum vetustissima, a diluvio primum inhabitari cœpta, utpote ab (2) Aschenaz " sive Ascenez" pronepote Noe. Nam post universalem aquarum inundationem cum Gomer major natu filiorum Japhet filii Noe Galatas " in Asia " instituisset, Aschenaz filium majorem natu in Italiam transmisit ad

habitandum " propagandumque humanum genus " Qui " una cum familia sua ex Asia navigio discedens " eo loci, ubi nunc Rhegium est, cum pervenisset, cum quia is sibi locus primus oblatus est, tum vero loci amœnitate captus (viget enim illi perennis quædam ac beata cæli temperies) ibi consedit, urbemque statuit, quam a suo nomine (*b*) Aschenaz, ejusque incolas appellavit Aschenazæos. Josephus enim qui, Tito imperante, floruit, Judaicarum antiquitatum libro primo ita scribit: *Aschenaz instituit Aschenazæos, qui nunc Rhegini vocantur a Græcis* " nunc inquit, suo utique tempore ". Et Hieronymus in quæstionibus Hebraicis super Genesim inquit: *Aschenas Græci Rheginos vocant*. Liquet sane nusquam locorum gentiumque Rheginos alios inveniri, neque a quoquam auctore scribi, quam qui in Calabria sunt. Hanc urbem postmodum Græci R*hegium* dixere aut a fissura, ut quidam volunt ῥήγη enim *fissuram* sonat, quod in ea parte Sicilia ab Italia disjuncta sit. Quam Antiochus Neptuniam appellavit, quod Neptunus ea loca diremerit. Aut quod credibilius est, ab aeris beata & juge temperie: nam ῥήγιον *utile, iucundum, & bonum* notat, Hebraice autem, ut Hieronymus tradit, *Pascua eorum* significat. Inde (3) Cethim patruelis Ascenaz in Italiam & ipse profectus Latium incoluit, urbemque in eo construxit, quam *Cetiam* nuncupavit.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *A Talao Flumine*. Non a Talao, sed a Lao flumine. Ita Plinius lib. 3. *Laus amnis, fuit & Oppidum eodem nomine. Ab eo Brutium litus.* Ptolemæus Geograph. lib. 2. *Calabria alta nunc: Lai fluv. ostia*. Addit Josephus Moletius in Notis: *Laus Plinio, Talaus Straboni*. His notis fortasse usus est Barrius; paulo enim ante quam librum suum excuderet, prodierunt. Cæterum Strabo lib. 6. postquam Brettiorum regionem definivit, addit ab Antiocho: Ταύτην Ἰταλίαν κληθῆναι: *Hanc Italiam appellari*. Nec multo post: Ὅριον δὲ αὐτῆς ἀποφαίνει πρὸς μετὰ τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει, τὸ αὐτὸ ὅπερ καὶ τῆς Βρεττίας ἔφαμεν τὸν Λαὸν ποταμόν: *Terminum autem ei* ( Italiæ ) *constituit* ( Antiochus ) *ad mare quidem Tyrrhenum, quem & nos Brettiis assignavimus Laum flumen*. Fortasse etiam noster Auctor a Talao utpote Sybaritarum Colonia ex eodem Strabone lib. 6. Calabriæ terminos describendos censuit.

2. *Aschenaz*. Nonnulli Aschenaz Germaniam habitasse contendunt, unde *Tuiscones*: Calvisius vero ejusdem pronepotes: ait enim anno mundi 2124. *Fuit autem Hermannus, a quo Germania dicta est, nepos Manni, pronepos Ascanis filii Gomeri, nepotis Japheti*. Veruntamen hoc non officit quin prius Calabriam ille ejusque posteri incoluerint. Nonnulli Phrygiam habitasse volunt, sed quibus fundamentis fulciantur vidimus supra in Differt.

3. *Cethim*. Vide Annotationes lib. III. Cap. XV. num. 9.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Ut lingua porrecta inter utrumque fretum.* Fretum est mare angustum inter duas terras. Cur ergo fretum appellat mare Tyrrhenum & Adriaticum? Sed

Sed poteſt abuſive fretum ſumi pro mari; unde transfretare.

*A Talao flumine.* Talaus nuſquam dicitur, ut latius exponemus.

(*b*) *Aſchenaz.* Nomen molliendum, & ad Latinam normam declinandum, ut fecit Cæſar in Commentariis: dicendumque Aſcanatius. Vide Joſephum, & Hieronymum.

# CAPUT II.

## *De multiplici Calabriæ nomine.*

CAlabria autem multis fuit appellata nominibus: nam primo dicta eſt ab incolis Græcis aut a finitimis (1) *Auxonia* ab *auxo* verbo Græco ideſt *augeo*, quod ſemper ibi rerum proventus augeatur: dicta eſt & tum ab orientalibus Græcis *Heſperia*, quod *Heſpero* ideſt occaſui ſubjecta ſit. Inde dicta eſt *Oenotria* ab (2) *Oenotro* Arcade, poſtea (3) *Italia* ab Italo Oenotrio genere in Calabria nato ac regnante. Quare hallucinantur qui Auſoniam ab Auſone Itali, ſive Ulyſſis filio dictam fuiſſe opinantur. Nam Homerus itemque Strabo Ulyſſem ad Temeſam Calabriæ urbem, quam, necnon & Beſciam, præter alias urbes, Auſones condidiſſe memoriæ proditum eſt, veniſſe ſcribunt. Id quod argumentum eſt ante Ulyſſem Calabriam vocitatam fuiſſe Auſoniam: quod ipſum ex Dionyſio etiam Halicarnaſſeo, conſtat. Dicta eſt autem Auxenia, ut Etymologicus fert, quod eius finitimi eam appellaſſent *Auxenam*, & mutatione *x* in *ſ*, & *e* in *o*. *Auſonam*. Fuere quidem Auſones admodum potentes, de quibus Dionyſius Apher de ea regione, quæ nunc Calabria eſt, loquens ad verbum translata ſententia ſic ait:

> *Hinc Italorum filii in continenti paſcuntur.*
> *Ab Jove Auſonii ſemper magnopere dominantes.*
> *Incipientes a Borea uſque Leucopetram,*
> *Quæ in freto Siculo radicata eſt.*

Quibus ſuper verbis Euſtathius ait: *Italos quondam monarchas magnopere dominatos fuiſſe Dionyſium ait, quos & Auſones appellat, eoſdem enim & Auſones & Italos appellat.* Hinc Auſonius Pontus, ait idem Euſtathius & Suidas, mare, quod orientalem Calabriæ oram alluit, quod & Siculum appellatur. Et rurſus de Locris loquens dicit ipſos Auxoniam tenere, qua currit flumen Halecis. Et Dionyſius Halicar. Occiduam Calabriæ oram Auſoniam dictam ſcribit. Item Strabo libro tertio ait: *Auſonium mare nunc Siculum vocitatur.* Et Plinius orientalem Calabriæ plagam Auſoniam dictam ab Auſonibus primum habitatam tradit. Et Lycophron in Alexandra Philoctetem ab Auxonibus circum Crotonem habitantibus interfectum fuiſſe ſcribit. Quare utramque Calabriæ oram Auſoniam dictam fuiſſe palam eſt.

Fuit & quingentis ſexagintaſeptem annis ante Ilii excidium Oenotria dicta ab Oenotro Arcade in eum ſinum Auxonium adventante, regioniſque occiduam oram occupante. Qui & illic oppida quamplurima condidit. Horum quorundam memoria apud Stephanum extat, a quo hæc ſcribuntur: *Arintha*, *Ariantha*, *Arthemiſium*, *Triſtacia*, *Coſſa*, *Citerium*, *Herimum*, *Ixias*, *Lametia*, *Menecina*, *Malanium*, *Ninea*, *Paticos*, *Sætia*, *Siberena*, *Seſtium*, *Thiella*. "*Reatium*"

Item

Item *Pandosia*, quam Oenotriorum regiam fuisse Strabo prodit. Inde Oenotrii ipsi potentes facti alia Italiæ loca occuparunt. E regione vero Oenotriæ dicta est *Peucentia* a Peucentio Oenotri fratre, qui eam partem sui juris cum fecisset Peucentiam nominavit. Quo vita functo Oenotrus orientalem quoque Calabriæ partem possedit, quæ jure sibi cessit, quam etiam nuncupavit Oenotriam, urbesque in ea quoque parte ædificavit. Postea vero haud multo ante ruinas Trojæ regnante in Latii parte quadam " ubi nunc Roma est " Euandro, ut Dionysius Halicarn. libro primo auctor est, Hercules classem in Italiam advexit, ac Calabriam petens oppida quædam illic extruxit, ac loca quædam a se nominavit, ut est *Promontorium Herculeum*, *Portus Herculis*, aut ab eo factus, aut crebro repetitus. Herculis autem ætate, aut paulo ante Calabria dicta est *Italia* ab Italo quopiam Oenotrio genere hujus regionis rege, sive, ut alii, a bobus. Dein dicta est *Morgetia* a Morgete Itali filio. Exinde pars ejus quota circa Rhegium *Sicilia* nuncupata est. Quota vero pars circum Peteliam & Crotonem appellata est (4) *Chonia* & (5) *Japigia*, & (6) *Salentinia* quod ostendam. Postmodum Græci a rerum copia ac bonitate eam appellarunt *Calabriam*, ut prisci *Auxenam*: Inde *Magnam Græciam* a magnis urbibus " vel a bene magna multitudine eruditorum in omni scientiarum genere ". Postremo pars quædam circum Sybarim *Lucania* dicta est, Lucanis eam partem occupantibus. Atque ita hæc regio ob frequentes Græcorum Colonias, qui loci amœnitate, ac rerum ubertate ac præstantia allecti eo confluebant, tot est appellata nominibus. Novis tamen supervenientibus, vetera aut, ut usu identidem evenire solet, desibant, aut aliam in oram transibant manabantque. Ut Ausonia, Oenotria, & Italia in eam figuram, quæ nunc Italia est: Sicilia in Trinacriam insulam: Calabria in eam modicam oram " Bituntinam " quæ modo Apuliæ pars est. Nam cum Magna Græcia dici est cœpta, desiit interdum vocari Calabria. Dicta quoque fuit pars ejus quota occidentalis *Brettia* a Brettia muliere, sive, ut alii, a Bretto filio Herculis. Sed tandem posteaquam Magna Græcia desiit appellari, *Calabria*, quod nomen regioni præcipue convenit, rursus appellata est " quamquam nunquam hoc nomen penitus amisisset ". Quæ semper a claris Græciæ populis ac principibus & ante & post eversionem Trojæ, fuit inhabitata, magnæque in ea urbes ab ipsis conditæ, quare & Magna Græcia ut dixi appellata est, nam ut retuli, ante Trojæ ruinas Oenotrus & Peucentius fratres Arcades, & inde Hercules eo concessere.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Ausonia*. Vide Dissertationem in principio hujus Operis. Cap. I.

2. *Oenotro*. Vide Dissertationem Cap. II.

3. *Italia*. Samuel Bochartus censet dictam fuisse *Italiam* ab עטר *itar*, cujus emphaticum עטרא pro *pice* occurrit in Tractatu Talmudico Gittin fol. 69. in glossa. Cum enim ille omnes Europæ Colonias a Phœnicibus trahat, eosdem vicinam Siciliam incolentes in Brettiis eximiæ picis uberrimam fuisse copiam putat non latuisse, eoque picem comparaturos pas-

passim se contulisse, atque inde loco nomen indidisse עטריא *Itaria*, quasi *piceariam* regionem dixeris; quod Græci molliori sono Ἰταλίαν *Italiam* extulerint. Addit insuper *Calabriam* quoque derivari ab Hebraica voce קלב *Calab*, quam R. Selomo *resinam* exponit. Quinimo & *Peucetiam* ἀπὸ τῶν πεύκων a *piceis arboribus*. Sed hæc valde incerta sunt, frigidis vocum allusionibus, absque ulla scriptorum auctoritate, suffulta. Etenim Calabria non solum *Italiæ*, & *Peucetiæ* nominibus, verum etiam *Ausoniæ* primum, *Oenotriæ*, *Japigiæ*, *Choniæ*, *Morgetiæ*, *Salentiniæ*, *Saturniæ*, *Posidoniæ*, *Brettiæ*, aliisque potita est, ut omnium scriptorum cum Græcorum, tum Latinorum constans opinio est. Nec *Brettios* a pice sed picem *Brettiam* a *Brettiorum* gente dici satis apparet ex Hesychii verbis: Βρεττία μέλαινα πίσσα ἢ βάρβαρος· ἀπὸ τοῦ τῶν Βρεττίων ἔθνους, *Brettia pix nigra aut barbara a Brettiorum gente dicta*.

4 *Chonia* sive *Chone* olim dicta fuit Calabria testibus Hesychio & Stephano. Nominis originem ad Herculem referunt, qui cum Ægyptiorum lingua *Chon* vocaretur, in Italiam delatus Chones a se quosdam denominaverit. Vide Gulielmum Canterum in Notis ad Lycophr.

5. *Japigia*. A Japhet Noemi filio, quem Græci omnia currumpentes Neptunum dixerunt. In gentibus enim quidquid antiquissimum fuit, ex Scripturis nostris aut petitum est, aut detortum: quod etiam tradunt libri Machabæorum; habetur quippe lib. I. cap. 3. v. 48. *Et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum*. Et sicut fabula de Saturno ad Noemum pertinet, ita Neptuni ad Japhetum. Vide Bochartum lib. I. cap. I. Lactantius siquidem de falsf. relig. cap. II. ait: *Neptuno maritima omnia cum insulis obvenerunt*. *Antiquus Auctor Euhemerus, qui fuit ex Civitate Messana, res gestas Jovis & cæterorum qui Dii putantur, collegit, historiamque contexuit ex titulis, & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur &c. Hanc historiam interpretatus est Ennius & sequutus, cujus hæc verba sunt ibi: Juppiter imperium Neptuno dat maris, ut insulis omnibus, & quæ secundum mare loca sunt omnibus regnaret*. Rhegium porro *Posidonia* aliquando dicebatur, ut nobis testantur Numismata a Goltio, aliisqe relata, quæ Neptunum cum tridente exprimebant, hac epigraphe ΠΟΣΕΔΟΝΕΑ *Posedonea*. Et Strabo lib. VI. Ἀπὸ δὲ Καίνυος μέχρι τοῦ Ποσειδωνίου τῆς Ῥηγίνων στηλίδος *A Cænide usque in Posidonium recessum & Rheginam Columellam*. A dilatatione quippe sumtum est *Japheti* nomen, quo sic alludit Noemus: יפת אלהים ליפת *Japht Elobim lejaphet* idest: *Dilatet Deus Japhetum*. Ita etiam Ποσειδῶν, *Posidon* Græcum Neptuni nomen, quod ex Græca lingua Grammatici frustra explicare conantur, cum Aphricum esse doceat Herodotus in Euterpe: nempe Ποσειδῶν, aut Ποσειδὸν *Posidon* est Punicum פשיטן *Pesitan* quod *latum* & *expansum* sonat. Itaque Ποσειδῶν *Posidon* & *Japhet* sunt plane synonyma, utrumque a latitudine.

6. *Salentinia*. Vide infra cap. VII. num. 2.

SER-

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Auxonia ab auxo verbo Græco, ideſt augeo.* Auxonia non dicta eſt a verbo Græco *auxo*, ſed ab Auxonio filio Ulyſſis & Calypſonis. Fortaſſe non male Barrius. Si Temſam Auſonii ædificaverunt. Vide Dionyſ. Halicarn. & Suidam.

# CAPUT III.

## *De Philoctete, Oreſte, Ulyße, aliiſque ad Calabriam appulſis.*

POſt vero Trojanum excidium complures Græcorum procerum, qui bello Trojano præſentes adfuerunt, in Calabriam contenderunt, ibique civitates ſtatuerunt, ut Philoctetes Herculis comes & heres: Oreſtes, qui & portui cuidam nomen dedit, & in Calabriæ fluminibus ſe eluens matricidium expiavit: Ajax Oileus, ſive, ut alii, ejus ſocii, Sagaris filius: Ulyſſes, a quo inſulæ parvæ contra Hipponium nomen ſunt mutuatæ, (*a*) qui & Minervæ templum inſigne in Calabria extruxit, ut Solinus ait: Epeus, Neſtor, Idomeneus, Menelaus: Item Phocenſes, Athenienſes etiam in Calabriam Colonias miſere. Contulere ſe in Calabriam & Mneſtei Trojani viri comites. Quod autem Calabria hæc nomina, quæ dixi, ſortita ſit, auctores ſunt quamplurimi. Dionyſius enim Halicarn. vir, ait Euſebius, Romanæ hiſtoriæ atque Italiæ peritiſſimus, ita libro primo fatur „ Arcades Græcorum primi ſinum Ionium trajicientes Italiam incoluerunt „ ſub Oenotro Lycaonis filio, qui quintus erat ab Aegeo, & Phoro„ neo, qui primi in Peloponneſo regnarunt.

„ Nam Phoroneus quidem Niombes pater fuit, hujus autem & Jo„ vis filius, ut dicitur, Pelaſgus, Aegeique filius Lycaon, huiuſque fi„ lia Dejanira: & ex ea & Pelaſgo Lycaon alter. Lycaonis filius *Oeno„ trus* decem & ſeptem ætatibus ante Trojam obſeſſam, hoc enim tem„ pus erat, cum colonos in Italiam miſerunt Græci. Reliquit autem „ Oenotrus Græciam non ſatisfaciente ſibi portione ſua. Nam cum eſ„ ſent Lycaoni duo & viginti filii totidem in partes dividi Arcadiam „ oportebat. Hac igitur cauſa Peloponneſum relinquens Oenotrus, claſ„ ſemque inſtruens Ionium ſecat mare, & cum eo Peucentius unus ex fra„ tribus. Secuti vero ſunt eos etiam ex domeſtico populo complures. „ Nam populoſiſſima fuiſſe dicitur hæc gens a principio Græcarum „ omnium quæcunque ex eis regionem ſortitæ ſunt, minorem quam pro „ multitudine ſua. Peucentius igitur in quam partem Italiæ curſus tulit „ ſupra vertices Japigis populum ſuum deportans, ibi collocat. Peucentii„ que ab eodem dicti ſunt, qui circum ea loca habitant. Oenotrus autem „ majorem exercitus partem ducens in alterum venit ſinum ab Occiden„ te ſecundum Italiam diffuſum: & qui tunc Auſonium ex accolis ejus „ Auſonibus dicebatur. Poſtquam vero Tyrrheni denominationem maris „ habuere, ſumſit eam, quam nunc habet appellationem. Inveniens

„ autem

„ autem Oenotrus regionem ipſam multam pecori, multamque cultui
„ percommode expoſitam, magna autem ex parte deſertam, ac ne illam
„ quidem, quæ incoleretur, hominibus frequentatam, cum expurgaſſet
„ barbaris partem ejus quandam, urbes condidit in montibus parvas &
„ crebras, qui mos erat condendi priſcis. Vocata eſt autem ea ora &
„ quidem multa, quantumcumque occupavit, Oenotria, atque homi-
„ nes quibuſcumque imperavit, Oenotrii, tertiam hanc aſſumentes
„ cognominationem. Nam Aegeo quidem regnante Aegei dicebantur.
„ Suſcipiente autem imperium Lycaone, Lycaones dicti ſunt. Oenotro
„ vero tranſportante eos in Italiam, vocati ſunt quoddam tempus Oe-
„ notrii. Teſtimoniumque mihi eſt Sophocles tragicus in Triptolemo.
„ Inducitur enim Ceres in ea fabula docens Triptolemum quanta ei per-
„ agranda ſit regio jaciendis ſeminibus, quæ a ſe acceperit. Atque orien-
„ talis Italiæ primum mentionem faciens, quæ eſt a verticibus Japygis
„ uſque ad fretum Sicilienſe. Poſteaque oppoſita commemorata Sicilia
„ ad occidentalem Italiam rurſus divertit, genteſque maximas mariti-
„ mam oram incolentes percurrit, ab Oenotriorum habitatione principio
„ ſumto. Abunde autem ſufficient hæc ſola de Jambicis dicta, in quibus
„ ait: Hæc autem a tergo manus in dexteram, Oenotriaque omnis, &
„ Tyrrhenus ſinus, & Liguſtica tellus excipiet.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(a) *Qui & Minervæ templum inſigne in Calabria extruxit ut Solinus ait*. Ulyſſes templum Minervæ in Brettiis extruxit? Hoc falſum eſt, legendumque apud Solinum: Mox in Picentibus ab Ulyſſe extructum templum Minervæ. Ibi enim templum ædificavit Ulyſſes, ut habetur ex Strabone in quinto, in promontorio quod prius appellabatur Promontorium Atheneum, nunc *Capo della Minerva*, quod idem ſonat; nam Athini apud Græcos Minerva dicitur. Scylleum Promontorium appellari etiam Promontorium Minervæ, longe errat gentium. Nec verum eſt, Dionyſium Aphrum Scylleum Promontorium Minervæ appellaſſe.

# C A P U T IV.

## *Veterum Scriptorum teſtimonia adducuntur, & præcipue Antiochi & Hellanici ex Dionyſio.*

Antiochus autem Syracuſanus hiſtoricus vetuſtiſſimus, teſte Dionyſio lib. 1. in Italiæ habitatione conditores vetuſtiſſimos diſcurrens, & ut partem ejus quandam ſinguli occuparent Oenotrios primos dicit. Antiochus Xenofanis hæc ſcripſit & ſermonibus priſcis valde credita & certiſſima „ Hanc terram, quæ nunc Italia dicitur, antiquitus „ habuerunt Oenotrii „. Poſtea pertranſiens quemadmodum gubernabantur „ Et ut Italus aliquando rex eorum fuit, a quo denominati „ ſunt Itali, huicque ſucceſſit Morges, a quo Morgetes vocati ſunt.

„ Et ut Siculus hospes Morgeti factus proprium sibi constituens Im-
„ perium, distincta gente huic infertur, atque ita Siculi & Morgetæ,
„ & Itali fuerunt, qui erant Oenotrii. „ Age jam & genus Oenotriorum
quantum erat ostendamus ex priscis historicis testem alium habentes
Pherecydem in Atheniensium originibus nemini secundum. Fit autem
ei sermo de regnantibus in Arcadia sic „ Pelasgo & Dejaniræ fit Ly-
„ caon, hic Cyllenem ducit nympham Najadem, a qua mons Cyllene
„ dicitur „. Postea qui ab his descenderunt enumerans, & quæ unus-
quisque eorum loca incoluerint commemorans, cum Oenotri & Peucen-
tii meminit, sic inquit „ Et Oenotrus, a quo Oenotrii vocantur, qui
„ in Italia habitant, & Peucentius, a quo Peucentii, qui in Ionio si-
„ nu. Quæ igitur a veteribus poetis & fabularum scriptoribus dicta
„ sunt de habitatione Oenotriorum sunt talia, quibus ego assentio, si
„ vera Græca origo ab Aboriginibus fuit, (*a*) sicut a Catone & Sempro-
„ nio aliisque plerisque traditur, Oenotriorum ipsorum progeniem eos fu-
„ isse arbitror. Nam Pelasgam quidem nationem & Cretensem, &
„ ceteros, quicunque alii sedes in Italia posuerunt, posterioribus tem-
„ poribus advenisse reperio. Neque antiquiorem hanc ipsam classem
„ aliam ex Græcia in occiduum Europæ possum ullam percipere. At-
„ que Oenotrios ipsos multa alia loca Italiæ obtinuisse existimo, alia
„ deserta, alia infrequentia occupantes, & quæ Umbriæ pars est etiam
„ quam sibi vendicarint expulsis inde Umbris. Vocari autem Abori-
„ gines puto ex habitatione ipsa montium: nam & illud Arcadum est
„ montes sequi „. Et paucis interjectis „ Italia autem post aliquod tem-
„ pus vocata est a viro præpotente nomine Italo „. Hunc vero bonum
sapientemque fuisse Antiochus Syracusanus dicit, atque aliis finitimo-
rum oratione persuasis, aliis vi adactis, terram omnem ditionis suæ effe-
cisse, quantacumque intra sinus Nepetinum & Scylaticum esset,
eamque primum vocatam esse Italiam ab Italo. Qui postquam hujus
dominus fuit, multosque homines habuit dicto audientes, statim etiam
consequentia appetiit, urbesque congregavit multas: fuisse autem eum
Oenotrium genere. Hellanicus autem Lesbius dicit „ Hercule agente
„ boves Gerionis in Argos, dum esset in Italia juvencus quidam e grege
„ fugiens oram omnem peragravit, & in Siciliam venit, quem Hercu-
„ les persecutus est: atque oram omnem, quantam vitulus permeavit,
„ dictam esse Vituliam. Transisse vero post tempus id nomen in eam,
„ quam nunc figuram habet. Minime mirum est, cum multis etiam
„ Græcorum nominum id acciderit „. Ceterum sive ut Antiochus a du-
ce, quod probabilius est, sive ut Hellanicus putat, a tauro nomen
sumsit, illud certe ex utrisque manifestum est, quod ætate
Herculis, aut paulo ante ita nominata est regio. Nam antea
quidem Græci Hesperiam & Ausoniam eam vocabant; incolæ vero,
ut dictum est, Saturniam. Et rursus libro eodem „ Antiochus Siracu-
„ sanus ait: Regnante in Italia Morgete (erat autem tunc Italia a Me-
„ taponto usque ad Neptuniam maritimam) venisse ad eum virum
„ quendam profugum Roma, sic enim dicit. Cum autem consenuisset
„ Italus, regnavit Morges, ejusque tempore vir advenit Roma Sicu-
„ lus nomine „. Secundum itaque eum antiqua quædam & Trojana
præ-

præcedens tempora Roma invenitur. "Opinandum eſt Siculum hominem alienigenam Morgetis Regis virili prole carentis filiam uxorem duxiſſe, & ei in regnum ſucceſſiſſe, ut Æneæ accidiſſe legitur".

## SERT. QUATTR. ANIMADVER.

(a) *Sicut a Catone, & Sempronio aliiſque*. Cato, & Sempronius, & Beroſus, qui uno volumine includuntur & quorum hic Barrius nititur auctoritatibus, Barbari ſunt & inepti, ac prorſus indigni ut tantis viris adſcribantur; at ab Joanne Annio Viterbienſi confuſi, ac Scholiis illuſtrati, ut fucum faceret literatoribus. *Errat Sertorius Quattrimanus; hic enim ſermo non eſt de Beroſo, & Catone Annianis. Barrius ſiquidem verba Antiochi Syracuſani ex Dionyſio adducit. Ceterum vide orationem apologeticam a cl. viro Franciſco Mariano pro Joanne Annio Viterbienſi Romæ editam anno* 1732.

# C A P U T V.

## *Quo tempore Oenotrus in Calabriam ſeceſſerit: & de Italo Oenotriorum Rege.*

EST autem ætas, ut id etiam dilucidemus, ſecundum quoſdam ſpatium triginta annorum, ſecundum alios triginta trium annorum & quatuor menſium, ita quod tres ætates centum perficiunt annos. Quare decem & ſeptem ætates anni ſunt quingenti ſexaginta ſeptem quattuor menſibus minus; ergo tot annis Oenotrus & Peucentius ante ruinas Trojæ "ex Arcadia" in Calabriam venerunt, ante urbem conditam annis mille. Ergo ab adventu Oenotri hucuſque anni ſunt ter mille trecenti viginti duo. Nam ab adventu Oenotri ad Ilium captum anni quingenti ſexaginta ſeptem, ut dixi, ſupputantur. Ab Ilii excidio ad urbem conditam anni fluxere, ut Solinus tradit, quadringenti triginta tres. Ab urbe condita ad Chriſti natale anni interceſſere ſeptingenti quinquaginta & unus. A Chriſto nato iam annus agitur hic milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus & unus. Licet Naſo Meth. libro duodecimo ætatem (1) centum annorum ſpatium eſſe ſenſerit. Ariſtoteles, ut ad rem redeam, Polit. libro ſeptimo ait: „ Tradunt periti homines Italiæ fuiſſe „ Italum quendam Oenotriæ regem, a quo mutato nomine pro Oenotriis „ Itali ſunt vocitati, oramque illam maritimam Europæ, quæ eſt inter „ Scylaticum & Lameticum ſinum (diſtant vero hæc loca iter meridiei) „ Italiæ nomen primo recepiſſe. Hunc ergo Italum tradunt agricultu„ ram Oenotrios docuiſſe, illiſque leges poſuiſſe, & comeſſationes inſti„ tuiſſe primum. Quapropter etiam nunc quidam illorum populorum „ comeſſationibus utuntur, & legibus quibuſdam ab illo poſitis. „ Incolebant autem eam Italiæ partem, quæ ad Tyrrhenum verſa eſt, Auſones. Alteram vero partem, quæ ad Japygiam & Ionium pertinet, incolebant Chones, (2) Syrtim appellatam: & ipſi quoque ab Oenotriis orti. Inventio igitur comeſſationum hinc primum extitit. Fuit autem (3) Italus, ait

idem Arist. Pol. libro secundo, longe antiquior Minoe Cretensium rege. Strabo etiam libro quinto ait: „ Post infimas Alpium radices, ejus,
„ quam hac ætate Italiam vocant, initium est: Namque majores Ita-
„ liam, quæ ab Siculo freto usque ad sinum Tarentinum & Hipponia-
„ tem progressa est, Oenotriam appellabant. Nomen autem obti-
„ nens usque ad Alpium radices processit. Assumpsit etiam ab ora
„ Ligustica Vari fluminis confinia, marisque proximi a Tusciæ finibus
„ Istriæque usque Polam. Opinari vero cuipiam licet priscos Italorum
„ florentes in communionem devocasse finitimos. Hunc in modum
„ aucti viribus in Romanorum Imperium pervenisse. Tandem vero
„ quandoque ex quo Romani in regni societatem & in civitatem Ita-
„ los vocavere, decretum est & Gallis Cisalpinis & Venetis id hono-
„ ris impertiri, universosque Italos Romanosque vocare, permultas
„ insuper Colonias partim prioribus annis, partim posterioribus emit-
„ tere, quibus meliores alias non facile dixerim. „ Et libro sexto „
„ Tarentinum sinum Chones & Oenotrii incolebant. Antiochus in
„ conscripto ab eo de Italia volumine hanc solam & veram Italiam
„ asserit, deque ea se scribere, quam prisci Oenotriam appellavere,
„ ejus terminum ostendit, quem e Tyrrheno quidem mari Brettiæ
„ terræ diximus Laum flumen, e Siculo autem Metapontum. Ta-
„ rentinam vero quæ Metaponto confinis est terram extra Italiam no-
„ minatim explicat Antiochus. Item antiquitus Oenotrios & Italos
„ appellatos fuisse dicit, qui intra isthmum ad fretum vergunt Siculum.
„ Est autem isthmus ipse inclusa terra pelago viginti mil. paf. intra
„ geminos sinus, Hipponiatem scilicet, & quem Antiochus Nepeti-
„ num dixit, & Scylaticum alterum, navigationis autem ipsius am-
„ bitus & spatium terræ comprehensum ad interiorem Euripum du-
„ centorum quinquaginta millia pass. est. Hucusque vero inquit,
„ Italiæ & Oenotriæ nomen ostenditur, ad Metapontinos & Syriti-
„ des videlicet, & hanc regionem Chones gentem Oenotriam & qui-
„ dem insignem habitasse, & terram nominasse Choniam „. Autumo quod Oenotrii Chonim oppidum " ab Ausoniis conditum " Coloniam deduxerunt, seque Chones ac circumjacentem regionem Chonam appellavere. Licet Apollodorus, apud Strabonem, Philoctetem Chonam oppidum super Crimissam promontorium, verius juxta ipsum, construxisse dicat. Nec quidem quicunque Græci primum Colonias in Calabriam apportarunt, sed Arcades, qui omnes alios Græcos virtute antecellunt. De quibus Polybius libro quarto ait: „ Gens Arcadum
„ quandam omnis virtutis formam habet, non solum propter felici-
„ tatem morum, & benignitatem naturæ, summamque erga omnes
„ hospitalitatem, verum etiam ob pietatem atque observantiam
„ in Deos cum confessione omnium a reliquis Græcis scelere, & cru-
„ delitate differunt. " Arcades, ait Hyginus, primi res divinas Diis fecerunt " Cum igitur Dionysius Halicar. rerum Græcarum diligentissimus & indagator & scriptor Oenotrios primos e Græcia quingentis sexaginta septem annis ante res Trojanas in Auxoniam, id est Calabriam profectos fuisse, & advenas aliunde illo adventasse dicat, ut nulli exploratum non sit; consequens haud dubium est, ante Oeno-
tri

tri adventum in ipſam indigenas, hoc eſt Aſchenazi poſteros Auxones dictos incoluiſſe, etſi rare. Nam Oenotrus eam magna ex parte deſertam, & illam, quæ incolebatur, hominibus minime frequentatam invenit.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Centum annorum ſpatium*. Apud Strabonem ætas eſt triginta annorum ſpatium; ait enim Geogr. lib. II. editionis Baſileæ anno Domini MDXXIII. Corradi Heresbachii opera: *In ea & vinum ad tres hominis ætates, ideſt nonageſimum annum perdurare*. Apud Ovidium eſt annorum centum. Metam. XII.

........................... *Annos*
*Bis centum vixi, nunc tertia vivitur ætas*.

2. *Syrtim appellatam*. A verbo Græco Σύρω *traho*, quaſi σύρσις *tractus*. Etymon id approbat Salluſtius in Jugurtha, ubi a *tractu* Syrtes Africæ appellatas tradit.

3. *Italus*. Hunc Italum Cato de Orig. ſcripſit fratrem fuiſſe Heſperi, Iſidorus Siculi: regnaſſe autem primum in Arcadia, deinde in Celtiberia, tandem Heſpero fratre mortuo, in ea Italiæ parte, quæ eſt inter Lameticum & Scylaticum ſinum, idcirco primo *Italia* appellata, auctor eſt Dionyſius Halicarnaſs. lib. I. Rom. Antiq.

## CAPUT VI.

### *Siculi ex Calabria in Trinacliam ab Oenotriis pelluntur: aliqua notatu digna.*

ANtiochus quoque ut ad inſtitutum redeam, Strabone lib. VI. referente, locum circum Rhegium antiquitus ab Siculis habitatum ſimul & a Morgantiis fuiſſe dicit, qui ab Oenotriis ejecti in Trinacliam trajecere. Item Dionyſius Halicar. libro ſecundo, Siculos ea loca incoluiſſe refert, ubi nunc Roma eſt, qui inde exacti in inferiorem Italiam tranſiere, & inde rurſus ejecti tranſmiſere in Sicaniam inſulam. Thucidides etiam libro ſexto infit: „ Siculi ex Italia, ibi namque habitavere, fugientes Opi„ cos in Siciliam trajecerunt, &, ut credibile eſt, & fama fertur, ratibus „ obſervato, cum ventus poſuiſſet, freto, forte & aliter tranſvecti. Et „ ſane adhuc extant in Italia Siculi, ipſaque regio ab Italo quodam Arca„ dum genere hoc nomen habente, ſic eſt cognominata. Hi magno cum „ exercitu in Siciliam tranſeuntes victis prælio Sicanis, & in partes, quæ „ meridiem Occaſumque ſpectant, remiſſis, fecerunt, ut pro Sicania Si„ cilia vocaretur, & ejus optima quæque loca incoluerunt, & nunc quo„ que mediterranea ejus, atque ad aquilonem vergentia obtinent, an„ nis ex quo tranſierunt prope trecentis ante Græcorum in Italiam „ adventum. „ Dionyſius vero Halicar. libro primo ita ſcribit: „ Hella„ nicus Lesbius ait: Siculi reliquerunt Italiam, tribus ætatibus ante res „ Trojanas. Philiſtius vero Syracuſanus octoginta annis ante Trojanum „ bellum „. Et quidem credibilius eſt octoginta, aut centum annis, ideſt tribus ætatibus ante ruinas Trojæ Siculos ex Calabria pulſos in Sicaniam tranſmiſiſſe. Plinius libro tertio Calabriæ habitatores deſcribens ait:

ait: „ Post Lucanum agrum ager Brettius incipit: nec ibi rara incolarum „ mutatio, tenuerunt eum Pelasgi, Oenotrii, Itali, Morgetes, Siculi, „ Græciæ maximi populi, ultimo Lucani a Samnitibus orti duce Lucio „ Et rursus; „A Locris Italiæ frons incipit, Magna Græcia appellata, in tres „ sinus incedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primum, „ patet lxxxi. mil. pas. ut auctor est Varro, plerique lxxii. fecere. „ Strabo & Polybius plerisque in locis fretum, quod Siculum vocant, quod orientalem Calabriæ plagam abluit, Ausonium mare vocant. Vergilius Aened. libro tertio Helenum Aeneæ ex Epiro in Italiam tendere cupienti loquentem inducens, atque eum docentem quanta ei peragranda sit regio antequam urbem tuto in loco condere queat, circumacta Sicilia Ausonium mare primum scribit, dein Lucrinum & Avernum, Campaniæ lacus: Ait enim:

*Ante & Trinaclia lentandus remus in unda,*
*Et Salis Ausonii lustrandum navibus æquor,*
*Infernique lacus, Ææaque insula Circes,*
*Quam tuta possis urbem componere terra.*

Et rursus eandem Calabriæ regionem, quam Ausoniam appellatam fuisse dixit, Hesperiam quoque, & Oenotriam, & exinde Italiam a rege scribit, inquit enim:

*Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt:*
*Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.*
*Oenotri coluere viri, nunc fama minores*
*Italiam dixisse ducis de nomine gentem.*

" Cum enim hæc tantum regio quæ nunc Calabria dicitur Ausonia, Hesperia, Oenotria, & Italia dicta sit, Vergilius hæc nomina toti suo tempore Italiæ dat". Marcus vero Varro rei rusticæ libro secundo eam a bobus dictam putat. Ait enim: „ Denique Italiam a vitulis, ut scribit Piso, „ Romanorum vero populum a pastoribus esse ortum quis non dicit? „ Et paulo post „ Bos in pecuaria maxima debet esse auctoritate, præsertim „ in Italia, quæ a bobus nomen habere sit existimata. Græcia enim anti- „ qua, ut scribit Timeus tauros vocabat Italos, a quorum multitudine „ & pulchritudine & fœtu vitulorum Italiam dixerunt „. Alii scripserunt quod e Sicilia Hercules persecutus sit eo nobilem taurum, qui diceretur Italus, hic socius hominum in rustico opere, & Cereris minister. Proinde eam tantum regionem, quæ nunc Calabria dicitur, primum Ausoniam, & Hesperiam, & Oenotriam, & Morgetiam, & Italiam appellatam fuisse satis dilucide ostendimus, & ejus partem quotam Chonam, & (1) Siciliam nominatam fuisse. Ceterum Antiochus & Dionysius Halicar. & Arist. & Tucid. & noster Maro Italiam ab Italo rege dictam fuisse rentur: Hellanicus vero, & Piso, & Varro a vitulis.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Siciliam*. Eam nempe Calabriæ partem, quæ circa Rhegium est. Putant tamen aliqui dictam esse *Siciliam* a verbo *Sicilire*, quod idem est ac *dividere*; vel quia olim Calabriæ connexa, postea maris impetu ac terræmotu ab eadem avulsa fuerit, ut Virgil. III. Æneid. Justin. lib. IV. Cap. I. aliique

que quamplurimi, quos lib.III. Cap.II. afferemus, ubi de Rhegio, quod etiam nomen habuit a ῥήγνυμαι *scindor* apud Græcos, ut nos quoque adnotavimus in nostro opusculo Orthographiæ Latino-Italicæ; vel potius a divisione linguarum, ut *Phaleg* sonat, unde Pelasgos ortos esse conjicimus. Verum Rhegium apud Hebræos *Pascua eorum* interpretatur, de quo supra dictum est.

## CAPUT VII.

### *Quota Calabriæ pars Japygia, & Salentina appellata sit.*

PArtem vero Calabriæ quotam, quæ ad orientem spectat, (1) Japygiam (2) & Salentinam appellatam fuisse, ex his, quæ mox subnectam liquebit. Dionysius Halicar. ut ostendi, Orientalem priscam Italiam a verticibus Japygis usque ad fretum Siciliense esse ait, quam a Metaponto & (3) Lao amni initium habuisse in apertum protuli. Ovid. Meth. libro quintodecimo Japygis arva post sinum Tarentinum, quem ipse a Thurio Thurinum appellat, Scylaceum versus ponit, ait enim:

*Præterit & Sybarim, Salentinumque Neæthum,*
*Thurinosque sinus, Melisenque, & Japygis arva:*
*Vixque pererratis quæ spectant littora terris,*
*Invenit Aesarei fatalia fluminis ora.*

Et rursus libro eodem:

*Italiam tenuit, præterque Lacinia templa,*
*Nobilitata dea, Scyllejaque littora fertur.*
*Liquit Japygiam, lævisque Amphissia remis*
*Saxa fugit.*

Strabo quoque libro sexto Japygiam inter Scylaceum & Lacinium promontorium locat: inquit enim: *Post Scylaceum Crotoniatarum fines sunt, & Japygum terna promontoria*, deinde Lacinium Junonis templum" locat." Et rursus: *Crotonem Japyges incoluerunt*. Item Polybii auctoritate, *A Lacinio*, inquit, *ad ultima Japygiæ spatium est lxxxvii. mil. pas. cum dimidio, quod Tarentini sinus os esse ferunt*. Tarentini autem sinus os in littore Coriolani est. De Salentina autem Ovidius, ut supra ostendi Neæthum flumen secundum Crotonem Salentinum appellat. Et Vergilius Aeneid. libro tertio Helenum loquentem inducens Salentinos campos ab Idomeneo Cretensi in Magna Græcia obsessos inter Locros & Peteliam Calabriæ urbes scribit, ait quidem:

*Has autem terras, Italique hanc littoris oram,*
*Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,*
*Effuge, cuncta malis habitantur moenia Grajis:*
*Hic & Naritii posuerunt moenia Locri.*
*Et Salentinos obsedit milite campos,*
*Lyctius Idomeneus. Hic illa ducis Meliboei*
*Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.*

Item

Item Probus in sextam Eclogam Vergilii" de Idomeneo ipso, deque Salentino nomine" infit: „ Varro in tertio rerum humanarum refert, gentis Salentinæ nomen tribus e locis fertur coaluisse e Creta, „ Illyrico, Italia. Idomeneus e Creta oppido Lyctio pulsus per seditionem „ bello Magnesium cum grandi manu ad regem Clivicum venit ad Illyricum. Ab eo item accepta manu cum Locrensibus plerisque profugis in „ mari conjunctus amicitiaque per similem causam societatis Locros appellit, vacuata eo metu urbe, ibique consedit, aliquotque oppida „ condidit, in quibus Uria, & Castrum Minervæ nobilissimum, in tres „ partes divisa copia, in populos duodecim. Salentini dicti quod in salo „ amicitiam fecerint „. Idipsum & Sextus Pompejus tradit, qui Salentinos in Magna Græcia ponit, ait enim: „ Salentinos a salo dictos Cretas, & Illyricos, qui cum Locrensibus societatem fecerunt ejus regionis „ Italiæ, quam Magnam Græciam appellabant. „ Item Livius ab urbe condita lib. decimo inquit: „ Cleonymus Lacedemonius Thurias urbem „ in Salentinis cepit. „ Quæ urbs haud dubio in Calabria est. Et Sallustius referente Servio in tertium librum Aeneid. ait: „ Omnis Italia coacta in „ angustias scinditur in duo promontoria Brettium & Salentinum „. Italia autem, ut omnes innuunt, & res ipsa loquitur, nusquam est angustior quam inter sinus Scylaticum & Terineum, cujus latitudo, ut relatum est, xx. mil. pas. est. Ut autem Italia angustior in hæc duo promontoria scindatur, ea se invicem spectent est necessum. *Brettium* autem promontorium Tyrrheno Pelago in Terineo sinu prominet, *Subarum* vocant accolæ. *Salentinum* vero e regione Brettii promontorii Ausonio mari in Scylatico sinu incumbit, *Stalatum* indigenæ appellant.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Japigiam*. Vide adnotationes Cap. II. hujus libri num. 5.

2. *Salentinam*. Sextus Pompejus Salentinam putat appellatam esse a *Salo* quod pæne circumquaque mari ambiatur: alii a Salentino Promontorio in extremis Peninsulæ finibus sito. Nos autem verosimilius dictam esse arbitramur a *Sale*; cum ibidem sit copia salis terrestris, & Salifodinæ multæ, unde rivuli emanant saliti, & Neætho junguntur, quorum aliqui æstivo tempore præsertim ferventiori in salem candidum coalescunt. Idcirco Ovidius Neæthum *Salentinum* appellat, quod prope hunc fluvium sit celeberrima salifodina quæ ab incolis *Salifodina Neæthi* appellatur. Metam. XV.

*Præterit & Sybarim, Salentinumque Neæthum.*

3. *Lao*. Superius in Cap. 1. *Talaum* dixit, fortasse ob rationes ibidem a nobis adductas.

# CAPUT VIII.

## *Calabriæ etymologia. Magna Græcia cur appellata sit.*

Tot igitur nominibus appellata est Calabriæ regio. Calabriam appellavere Græci a (1) *calon*, quod bonum, pulchrum, & honestum significat, & *brio* idest emano & scaturio, quod bonis omnibus scaturiat. *Ma-*

*Magnam* autem *Græciam* appellaverunt; aut, ut Jamblico placet, ob Pythagoræ frequentes discipulos, qui, inquit, eloquentissimi & doctissimi erant, obque magnum frequensque ejus gymnasium; aut, ut Eustathius in Dionysium Aphrum vult, ob in eam regionem frequentes Græcorum Colonias deductas, civitatesque crebras & magnas ab eis conditas. Siquidem, ut præfati sumus, quamplures Græcorum proceres regionis fœcunditate & felicitate allecti & ante & post Trojanum excidium illo contenderunt. Athenæus autem lib. duodecimo, & Archilogus poeta apud eundem, Calabriam *Græciam Magnam* dictam volunt ob delicias & felicitatem universæ regionis, & multitudinem hominum. Ob has ergo tres causas Calabriæ regio Magna Græcia dicta est. Strabo quoque lib. sexto dum Calabriæ regionem describit, ait: „ Tantopere res Græca am„ plificata fuerat, ut hanc Magnam Græciam appellarent. „ Et de Neætho fluvio loquens, Troja eversa Græcorum complures, navibus a Trojanis mulieribus combustis secundum Crotonem regionis bonitate inspecta multas sedes fecisse, hoc est, oppida condidisse scribit. Trogus item Pompejus libro xx. de Metapontinis loquens infit: „ Omnis illa „ pars Italiæ Major Græcia appellatur „. Item Plinius in Italiæ descriptionis primordio fert: „ Ipsi de ea judicavere Græci, genus in gloriam „ suam effusissimum, quotam partem ex ea appellando Græciam Ma„ gnam „. Quotam inquit, non totam. Et Ovid. Fast. lib. quarto:

*Itala nam tellus Græcia Major erat.*

Omnes quidem qui de Magna Græcia locuti sunt, eam Italiæ partem esse dixerunt, quæ & Ausonia & Hesperia & Oenotria & Italia sola primum dicta est, nunc *Calabria* vocatur. Virg. Aeneid. lib. tertio Helenum Aeneæ in Italiam tendere & Græcas urbes fugere jubentem introducens ait:

*Has autem terras, Italique hanc littoris oram,*
*Effuge, cuncta malis habitantur moenia Grajis.*

Inde Locros & Peteliam commemorat. Quibus verbis Virgilius insinuat eam tantum partem Italiæ, quæ id temporis Calabria dicta est, a Græcis habitatam, alioqui non dixisset Aeneæ Helenus, I in Italiam, & Græcas urbes fuge, si tota nunc Italia, ut quidam falso opinantur, magna Græcia fuisset, præsertim etiam quod hanc oram Itali littoris dicens, eam Italiæ partem intelligit, ubi Locri & Petelia sunt. Jam vero etiamnum nonnulla oppida pagique Græci nominis sunt in Calabria, qui in quotidiano sermone Græca & Latina lingua utuntur; sacerdotes vero Græca lingua ac ritu rem divinam faciunt. Atque cuncta fere Calabriæ prisca oppida, ac pagi, ac propria loca Græcis sunt appellata nominibus. Cicero etiam Tusc. libro quarto inquit: „ Quis est enim qui putet, cum floreret in „ Italia Græcia potentissimis & maximis urbibus ea quæ Magna Græ„ cia dicta est, in hisque primum ipsius Pythagoræ, deinde Pythagoreo„ rum tantum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas „ voces aures clausas fuisse „? Idem passim, & præsertim libro tertio de Orat. scribit. Quibus in locis, & libro primo & quarto Tusc. scribit Pythagoram Magnam ipsam Græciam præceptis omnibusque doctrinis artibusque expolivisse, atque ita Pythagoreos doctos fuisse, ut nulli alii docti viderentur. Qui non Calabros modo, sed reliquos etiam Italos, vel Roma

nos,ut Cicero tradit,atque etiam orientales Græcos institutis ac disciplinis erudierunt": atque e Calabris Pythagoreis Poetis & Philosophis Romanos & poemata, & præcepta philosophiæ complura sumsisse, & in sua instituta transtulisse aperte fatetur Cicero Tuscul. iv. quæ subticere dicit, ne & ab aliis didicisse viderentur: sic enim ait: „ Mihi quidem Appii Cæsi „ carmen quod valde Panætius laudat epistola quadam qui est ad Q. Tube- „ ronem Pythagoreorum videtur. Multa sunt etiam in nostris institutis „ ducta ab illis, quæ prætereo, ne ea, quæ peperisse ipsi putamur, aliunde „ didicisse videamur „. Et Gellius lib. ii. Latinos poetas ex Menandro & Alexide ejus filio Calabris poetis multa sumsisse, imo horum comoedias vertisse ait". Quorum auctoritatem Cicero plurimum apud se valere dicit. Ait enim in Lælio. De immortalitate animæ loquens. „ Plus apud „ me antiquorum auctoritas valet vel nostrorum majorum, qui mortuis „ tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos „ pertinere arbitrarentur, vel eorum, qui in hac terra fuerunt, Magnam- „ que Græciam, quæ nunc quidem deleta est, tunc florebat, institutis & „ præceptis suis erudierunt „. Quibus verbis Cicero Calabros Philosophos immortalitatem animæ tenuisse ostendit. Nam & Philosophi summi, & Poetæ, & Legumlatores, & Rhetores, & Dialectici, & Medici, aliarumque rerum scriptores complures evaserunt.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Calon.* In Dissertatione de Ausonia, Calabriæ etymon exposuimus ex Hebraico חלב *Caleb* quod *lac* significat. Græci postmodum more suo sicut nomina rebus imponere vel mutare, ita, & interpretari conati sunt.

# CAPUT IX.

## *Calabria Brettia & Lucania quare sit appellata. Bellum Lucanos inter & Brettios.*

Subinde procedente tempore Calabriæ pars quota, quæ ad Occiduum & Septentrionem vergit, dicta est (1) *Brettia* ultimo, ut Plinius tradit, pars ejus minima dicta est *Lucania*, circum Thurios. Qui Lucani, ut quidam volunt, Brettii postea dicti sunt. Nam Samnites Lucanos duce Lucio, quos barbaros Strabo vocat, eo Colonos deduxerunt. Ait enim Strabo ipse libro sexto: „ Cum autem res Samnitica eo magnitudinis „ crevisset, ut Chones & Oenotros ejecissent, Lucanos eam in partem „ Colonos Samnites deduxerunt. Cumque Græci utrumque simul littus „ ad fretum usque tenerent, inter Græcos & Barbaros diuturnum con- „ flatum est bellum. Demum postea barbari, hoc est Lucani, a Græcis in- „ de exacti sunt. Brettii autem admodum potentes extitere „. Nam Apuliæ & Lucaniæ, quæ trans Laum amnem est, partes quotas bello armisque sui juris fecerunt, & Colonias aliquot ibi deduxerunt. Nam Sypontus Apuliæ civitas, Brettiorum Colonia fuit, Livio lib. octavo prodente. Tarentinos infestarunt, ita ut Tarentini Alexandrum Epiri regem-

ac

accire cogerentur, ut sibi opem ferret, ut Livius libro octavo prodit, qui apud Pandosiam urbem a Brettiis trucidatus est. Brettii autem, ut Diodorus Siculus in Philippo auctor est, (*a*) in ditionem suam redactis Arponio, Thuriis, aliisque aliquot urbibus sibi suam remp. instituerunt. Atque Q. Servilio & M. Rutilio Conss. cum milites Timoleontis ab eo uti desertores urbe pulsi duce Thrasio ex Sicilia in Italiam transissent, oppidum maritimum Brettiorum & occuparunt & diripuerunt. Qua injuria Brettii commoti coactis magnis copiis contra eos profecti sunt, oppidoque, in quo erant, vi potiti omnes eos trucidarunt. Et Justinus libro vigesimo tertio, sic ait: „ Agathocli Siciliæ regi in Italiam transeunti Brettii pri„ mi hostes fuere, qui fortissimi & opulentissimi videbantur, simul & ad „ injurias vicinorum promti: Nam multas Civitates Græci nominis „ Italia expulerunt. Auctores quoque suos Lucanos bello vicerunt, & „ pacem cum eis æquis legibus fecerunt. Namque Lucani iisdem legibus „ liberos suos, quibus & Spartani, instituere soliti erant. Ab initio puber„ tatis in silvis inter pastores habebantur sine ministerio servili, sine ve„ ste, qua induerentur, vel cui incumberent, ut a primis annis duritiæ „ parsimoniæque sine ullo usu urbis assuescerent. Cibis his præda venati„ ca, potus aut mellis, aut lactis, aut fontium liquor erat. Sic ad labo„ res bellicos indurabantur. (*b*) Horum igitur ex numero quinquaginta „ primo ex agris finitimorum prædari soliti, confluente deinde multitu„ dine & cum plures facti essent, infestas regiones reddebant. Itaque „ fatigatus querelis sociorum Dionysius Siciliæ tyrannus sexcentos Afros „ ad compescendos eos misit, quorum castellum proditum sibi per Bret„ tiam mulierem expugnarunt: ibique civitatem concurrentibus ad opi„ nionem novæ urbis pastoribus statuerunt, Brettiosque se ex nomine „ mulieris vocaverunt. Primum illis cum Lucanis originis suæ auctoribus „ bellum fuit, qua victoria erecti cum pacem æquo jure fecissent, etiam „ cæteros finitimos armis subegerunt. Tantasque opes brevi assecuti ut „ perniciosi etiam regibus haberentur. Denique Alexander rex Epiri „ cum in auxilium Tarentinorum cum magno exercitu in Italiam venis„ set, cum omnibus copiis ab his deletus est. Quare ferocia eorum suc„ cessu felicitatis incensa diu terribilis finitimis fuit. Ad postremum im„ ploratus Agathocles spe ampliandi regni a Sicilia in Italiam trajecit. „ Principio adventus opinionis ejus concussi, legatos ad eum societatem „ amicitiamque petentes miserunt. Quos Agathocles, ad cœnam invi„ tatos, ne exercitum trajici viderent, in posterum statuta his die conscen„ sis navibus frustratus est: sed fraudis haud lætus eventus fuit. Siqui„ dem revertendi eum in Siciliam interjectis paucis diebus vis morbi coe„ git „. Dicta est autem Brettia longe ante Dionysium tyrannum a Brettio Rege, sive a Regina Brettia, ut Oenotria ab Oenotro, & Italia ab Italo, & Morgetia a Morgete, & Sicilia a Siculo duce. Nimirum Alexis Sybarita poeta comicus vetustissimus inter alias comœdias, unam scripsit quam Brettiam appellavit. Ait itaque Jernandes eo in libro quem de rebus Geticis scripsit: „ Brettiorum regio nomen quondam a Brettia sortitur „ regina „. Itaque respublicæ Calabræ Dionysium non socium habuerunt, sed aut tyrannum pertulerunt aut hostem. Stephanus vero, & Eustathius, *Brettium* nomen a *Brento* deductum autumant; ait enim ille in libro

 de

de Urbibus: „ Brettium urbs Brettiorum Tyrrhenorum a Brento filio „ Herculis, & Baletiæ, quæ fuit Baleti, incolæ Brettii, & regio Bret- „ tia, & (2) lingua „. Ariſtophanes ait: „ Nigra gravis lingua Brettia eſt. Antiochus, autem Italiam dicit appellari Brettiam, deinde Oenotriam. Hic vero in Dionyſium Aphrum ait: „ Brettii a Brento filio Herculis „ dicuntur, qui Brenti per n, vel Brettii per duplex tt ſcribi debent. Jam vero omnes Græci Auctores *Brettios* ſcribunt, & ipſimet Brettii in ſuis numiſmatibus *Brettii*, per duplex tt inſcribunt. Cudebant enim numos tum æreos tum argenteos variis Signis, Græcis literis inſcriptos inſcriptione hac, Βρεττίων, hoc eſt, *Brettiorum*; nam ut opinari licet Græca & Latina lingua, & fortaſſe etiam barbara, ideſt Lucana utebantur, quod Lucaniæ finitimi eſſent. " Hinc *bilingues* a quibuſdam dicti ſunt: ſicut Horatius lib. 1. ſerm. Canuſinos conterraneos ſuos *bilingues* vocat, quod Latina & Græca lingua uterentur. Porphyrius in Horatii verba „ Canuſini more bilinguis, ait, Quoniam utraque lin- „ gua uſi ſunt, ſicut per illum omnem tractum Italiæ, quem magna ex par- „ te Græci incoluerunt, ex quo Magna Græcia nomen accepit „ ". Ceterum de Brettii nominis origine hallucinatur Juſtinus ſive Trogus. Nam ſub id tempus, quo Dionyſius regnabat, quatuor in Calabria Reſp. erant, Rhegina, Locrenſis, Crotonienſis, & Thurina, quæ totius Calabriæ regionis dominabantur. Et Thurina ejus quoque partis dominabatur, quæ Lucanis ultra Laum amnem contermina eſt. Proinde fieri nequaquam poteſt ut L. paſtores quicunque hi fuerint Thuriorum, quorum potentia non modica erat, oppidum aliquod etiam confluentibus accolis expugnarent. Neque Thurii adverſus illos externo auxilio egebant, ut illos profligarent, neque, ſi eguiſſent, illud a tyranno, quocum nullam unquam ſocietatem habuerunt, imploraſſent. Qui jam Thurios oppugnare conatus eſt. Nam quod Diodorus Siculus dicit Brettios Arponium & Thurios infeſtaſſe, id non a L. paſtoribus, ſed a Brettiis Calabriæ populis ubi ſucceſſu temporis potentes effecti ſunt, fuiſſe dicendum. Sed neque etiam fortes & bellicoſos viros a muliercula proditrice cognomen ſumere credendum eſt. Nam proditoribus nulla amplius fides habetur, nullus honos.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Brettia*. Vide Diſſertationem de Origine Brettiorum in principio hujus operis.

2. *Lingua*. Mendum eſt in Stephano & Ariſtophane. Etenim pro γλῶσσα *lingua* πίσσα *pix* reſtituenda eſt. Vide Bochartum.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(a) *In ditionem ſuam redactis Arponio & Thuriis*. Mendum eſt in Diodoro, legendumque *Hipponio*.

(b) *Horum igitur ex numero quinquaginta*. Legendum quingenti ex antiquiſſimo Japini codice.

CA-

# CAPUT X.

## *De Brettiorum Numiſmatibus.*

SIgnabant quandoque Brettii in denario ducem exercitus ſui, ſive præfectum regionis ſine nomine galeatum, (*a*) & in galea Gryphonem qui velocitatem ſignificat, & a tergo victoriam alatam & tropœum: (1) duos clypeos & malleum Vulcani inſtrumentum, & amaltheæ cornu regionis ubertatem ſignificans. Quandoque a tergo ſignabant Palladem cum aſta & clypeo, & juxta nunc lyram, nunc lampadem, nunc noctuam. Aliquando effingebant Jovem, & ex poſtico nunc Martem cum haſta & clypeo quaſi pugnantem, & clypeo fulgur, nunc aquilam fulgur pedibus habentem, & juxta nunc Amaltheæ cornu, & ſupra ſtellam Martis, nunc juxta aquilam, incudem, & forcipes Vulcani inſtrumenta, quibus fulgura Jovi fabricare fingitur: nunc hexangulum mutuo nexu conjunctum, ſex lineis conſtantem Pythagoræ Symbolum, quod ſanitatem & animorum concordiam nuncupabat. Quandoque effingebant (2) Milonem Crotoniatam juvenem Leonis tergum in capite habentem: item clavam quaſi alterum Herculem, & ex adverſo Palladem poſt ſe reſpicientem, quaſi præterita contemplantem, cum haſta & clypeo, item fulgur. Interim ſculpebant Jovem altera manu fulgur quaſi in terras jacientem, altera ſceptrum habentem: item ſtellam, & amaltheæ cornu, & ex adverſo Victoriam. " Quandoque ſignabant Jovem coronatum lauro, & circumdatum corona querquea, & ex alia parte Aquilam. Aliquando ſignabant caput Martis galeatum, & ex poſtica facie Aquilam. " Nonnunquam imprimebant Apollinem, & ex poſtico bigam cum auriga & fulgur. Interdum ſignabant Neptunum tenentem tridentem pede tauri capiti oppoſito: item cancrum, & ex altera facie pietatem ſive Junonem & (*b*) pyrauſtam, quæ vigilantiam notat; nam opes, quas Juno ſuggerere dicitur, ſine vigilantia haberi non poſſunt. Aliquando effingebant Martem amiculum in capite habentem, & manu aſtas & ſpolia, & ex poſtico caput victoriæ alatæ. Signabant quandoque Minervam caſſidem cancri inſtar in capite habentem, & ex poſtico cancrum & bovis caput. Item ſculpebant Jovem in biga, fulgur in terras jacientem: & ex parte adverſa victoriam. " Utebantur Brettii in bello parmis, quæ a Brettiis ipſis Brettianæ dicebantur.

### THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Duos clypeos*. Parmulas nempe, quibus Brettii milites utebantur. Vide Diſſertat. Et *Feſtum* verbo *Parmula*.

2. *Milonem*. Herculem potius hoc numiſma videtur ſignificare. Vide Goltium de Numiſmat. Magnæ Græciæ.

## SERT. QUATTR. ANIMADVER.

(a) *Et in galea Gryphonem*. Quid est Grypho? aut unde hoc? Potius bubonem, quæ vigilantiam denotat, quæ in bellis apprime est necessaria, & Palladi sacra est, quæ præest bellis, & Dea est prudentiæ?

(b) *Et Pyraustam, quæ vigilantiam denotat*. Pyrausta vigilantiam denotat? ubi hoc?

# CAPUT XI.

## *Quare pro Brettiorum nomine Brutium a nonnullis scribatur.*

JAm vero neoterici quidam scioli ac perversi & in scriptis suis & in veterum auctorum libris de industria (1) pro *Brettio* nomine *Brutium* convicii loco falso ac temere scribunt & immutant, quasi Brutiorum, Rusticorum, Porciorum, & Bestiarum nobilissimæ Romanorum familiæ a brutis, rusticis, porcinis, & bestialibus moribus dictæ sint! " Neque Sentinates Umbriæ populi a sentina ima, eaque vili parte navis, aut a sceleratorum hominum receptaculo dicti sunt." Non enim cognomen a vili re deductum posterorum moribus animisque obest: neque parentum vitia in posteros perpetim manant, ut iis accidit qui sub eadem cæli gravitate, naturali & ingenito quodam vitio nascuntur. Qui hujusmodi mordacissimi & maledicentissimi homines, Calabros, quia morum probitate, animorum magnitudine, & corporum robore pollent, regionis felicitate valent, judicio florent, & ingenio præstant, livore quodam, & rurestri atque incitatissimo odio prosequentes, genuino dente mordent, in ipsosque sua ac suorum civium probra irrogant " arbitrantes quod linguæ procacitate crimina sua eluantur". Ansam quoque ipsos conviciis impetendi ex Gellii textu libro decimo ab ipsismet depravato sumentes; in quo legunt, *Brettios*, quos ipsi *Brutios* perverse scribunt, primos totius Italiæ populorum post aliquot adversas Romanorum clades ab Annibale acceptas ad ipsum descivisse: & ob id devicto pulsoque Italia Annibale Brettios ignominiæ causa (2) non milites scripsisse, nec pro sociis habuisse: sed magistratibus in provincias euntibus parere & præministrare servorum vice jussisse, magistratibusque secutos, & quos erant jussi, vinxisse aut verberasse. (*a*) Quem Gellii locum a malignis ipsis, ut dixi, ac pravis depravatum, & pro *Boiis* & *Boianis* sive *Baianis Campanisque* immutatum esse ex his, quæ mox promam liquido patebit.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Pro Brettio nomine Brutium.* Latini ut a Græcis differrent *E* in *U* permutarunt, quemadmodum a voce Βρενδήσιον *Brendision*, vulgo *Brindisi*, fe-

fecerunt *Brundusium*. Vide Disertationem, *De origine Brettiorum*.

2. *Non milites scripsisse*. Vide Dissertationem.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

*Pro Brettio nomine Brutium convicii loco falso ac temere scribant & immutent*. Quos Græci Brettios appellant, Latini corrupto nomine Brutios dicunt, non convicii loco, sed linguæ proprietate.

(*a*) *Quem Gellii locum a malignis ipsis &c.* Non est Gellii codex corruptus, nec pro Brutianis, Bojani, aut Bajani legendum, quia Bojani primi ad Annibalem desciverunt, & antequam in Italia pugnaret. Gellius autem scribit post aliquot adversas pugnas a Romanis acceptas; ergo Brutiani omnino legendum, & incusandus Gellius qui livore animi in Brettios invehitur, & contra omnem historiæ fidem. Vel dicendum, Gellium incidisse in corruptum M. Catonis Codicem. Vel legendum, *Bajani*, idest Campaniæ populi e Bario; sed *Campani* potius; nam Campani defecerunt a Romanis ad Annibalem; verum nec Bajanos, nec Campanos hac ignominia a Romanis affectos legitur, quod sciam. Vel dicendum has tres voculas post aliquot pugnas ab aliquo quopiam additas, qui Gellii Codicem corrupit, ac in Brettios extorsit, quod ille in Bojanos dixerat.

# CAPUT XII.

## *Bellum Punicum describitur. Boji, non Brettii, primi ad Annibalem defecerunt.*

QUandoquidem si hæc ignominia merito iis inurenda fuit, qui primi a Romanis ad Annibalem desciverunt, porro ex transpadanis, Bojis; ex cispadanis, Campanis inusta est: " ipsorum quippe neotericorum scriptorum adnotationibus lacessitus, qui petulanter alios carpunt, suorum majorum ignominias ex priscis auctoribus excerpens, hic scribere sum coactus. Quare nihil est quod mirentur, molesteque ferant, si male audiunt ". Si quidem, ut rem altius repetam, Annibal non ex Sicilia ut Brettii primi ei occurrerent, sed per Alpes Coccejas in Italiam iter fecit. Cui primi ex cisalpinis in Italiam adventanti Boji, qui inter Padum & Trebiam amnes sunt, occurrerunt. Qui multis Romanorum millibus ab ipsis cæsis, Italorum primi ad Annibalem desciverunt. Qui longe ante Annibalis in Italiam adventum infensi erant Romanis. In quos ingenti odio flagrantes transalpinos Gallos contra ipsos acciverunt, ut apud Polybium libro secundo scriptum legimus. Qui sic ait: „ Boji & Insubres trans alpes legatione missa Congolitanum, atque Anerpestem Gallorum reges, „ itemque alios ejus provinciæ circa Rhodanum populos hortantur, „ ut coacto exercitu in Italiam contra Romanos transeant „. Id arbitror tum fuisse, cum Romani audito Gallico tumultu septingenta mil.

mil. ped. & lxxx. mil. equitum absque ullis externis auxillis, & absque transpadanis armaverunt. Quibus non modico adjumento eo in bello fuit Ibicus Poeta idemque Musicus patria Rheginus. Inde antequam Annibal Pyrenæos montes transisset, ait in eo Plutarchus: „ Boji legatis Romanorum per fraudem captis, Manlio Prætore magna clade affecto, solicitatis Insubribus ad Pœnum defecerunt. Quem fluctuantem animo in Italiam transire, an adversus Cornelium Consulem Massiliæ commorantem exercitum ducere, legati Bojorum in eam partem traxerunt, ut omnibus rebus postpositis in Italiam concederet. „ Et rursus: „ Satis constat magnam multitudinem Ligurum & Gallorum ad Annibalem confluxisse, qui non minori odio in Romanos, quam Pœni, ardebant „. " Et ut apud Livium bell. Pun. lib. 2. videre licet, Ligures Annibalem opibus auxiliisque suis contra Romanos juvarunt. " Atque, ait Livius belli Punici libro primo, solicitatis Insubribus defecerunt ob veteres in populum Romanum iras: & quod Placentiam & Cremonam Colonias in agrum Gallicum deduxissent. „ Ii (ait idem libro tertio) exercitu Romano deleto poculum ex calva L. Posthumii consulis fecerunt „. Quinetiam Romanorum proditores fuerunt, nam, ait idem Bel. Pun. libro primo. „ Ex castris Romanorum, quæ Placentiæ erant Galli auxiliares ad duo millia peditum, & ducenti equites, vigilibus ad portas trucidatis, ad Annibalem transfugerunt, quos Pœnus benigne alloquutus, & spe ingentium donorum accensos in civitatem quemque suam ad solicitandos popularium animos dimisit „. Quare Boji ipsi pulso Italiam Annibale a L. Valerio consule fusi sunt, ac graviter a Romanis multati fuere, nam Lorarii ac Lictoris carnificisque officiis attributi sunt. Unde etiamnum ab omnibus Italis, vulgari vocabulo carnifices Boji nuncupantur, & (1) Bojæ vincula, & torquis damnatorum. Clastidium vicus quo magnum frumenti numerum congesserant Romani a P. Brundusino præfecto præsidii numis aureis quadringentis acceptis Annibali traditur, ut idem Livius, & Polybius libro tertio tradunt. Per id autem tempus, quo Annibal Placentiæ erat, Carthaginienses viginti quinquiremes naves, atque inde trigintaquinque quinquiremes ad maritimam Italiæ oram vastandam miserunt, ut idem Livius libro primo bel. Pun. indicat. Qui ait. „ Amilcar Carthaginiensis classis præfectus vastatis Locrorum & Brettiorum agris cum omni classe in Panormitanum agrum revertitur „. Id ipsum scribit Polybius libro primo. „ Vibonienses autem „ ait Livius „ libentius agri depopulationem, urbisque terrorem pati, quam a Romanorum fide discedere voluerunt. Senatusque postea hoc percito Sexto Pomponio legato cum vigintiquinque longis navibus Viboniensem Agrum, maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit „. Et libro quarto Græcas urbes in Romanorum societate manentes Hamnonem tentasse, Locrensesque, inter alios, sua sponte urbem omnibus necessariis rebus, quo Pœnis pertinacius resisterent, instruxisse scribit. Non enim Carthaginienses Locrorum, Brettiorum, Viboniensiumque agros, ac demum utramque Calabriæ maritimam oram omnem vastassent, depopulatique fuissent, si hi populi ad Pœnos desci-

sci-

sciviſſent ſocietatemque cum illis iniiſſent. Itaque ex tranſpadanis Italis Boji primi omnium Italorum & cum ipſis Inſubres & Ligures a Romanis ad Annibalem defecere, ſocietatemque cum eo iniere, non Brettii ceterique Calabri. Qui, ut dixi, ſimul atque Cartaginienſes in Calabris oris ſeſe oſtendere, Urbes neceſſariis rebus munierunt, atque juxta cum aliis fidis ſociis & amicis Romanorum in fidem perſtitere, damnaque plurima perpeſſi ſunt.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Bojæ*. Vincula damnatorum ad collum appoſita, ex corio bubulo, vel ex ligno, vel ex ferro a Βόεια *bubula* quod ex corio bubulo olim fierent. Feſtus, & Plaut. Aſin. Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Theodori: *Miſerunt bojam in collum ejus*. Et paulo poſt: *Imbojatos miſit Ravennam*.

## CAPUT XIII.

### *Campani ex Ciſpadanis primi ad Annibalem defecerunt.*

EX ciſpadanis autem Italis primi ad Annibalem deſcivere Campani. Qui etiam ignem in urbe circa forum domibus injecere eo animo ut totam urbem incenderent. De quibus Q. Flaccus, qui Campanos mœnibus incluſos tenebat, ita de eis apud Livium bel. Pun. libro ſexto Levinum Conſulem alloquens dixit: „ Sibi privatam ſimultatem cum Campanis negare ullam eſſe: publicas inimicitias & „ hoſtiles eſſe, & futuras, quoad eo animo in populum Romanum eſſe ſci- „ ret. Nullam enim in terris gentem eſſe, nullum infeſtiorem populum „ nomini Romano; ideo ſe mœnibus incluſos tenere eos: quia ſiqui eva- „ ſiſſent aliqua, velut feras beſtias per agros vagari, & laniare, & tru- „ cidare quodcumque obvium detur, alios ad Annibalem transfu- „ giſſe, alios ad Romam incendendam profectos. Inventurum in „ ſemiuſto foro Conſulem veſtigia ſceleris Campanorum. Veſtæ ædem „ petitam, & æternos ignes, & conditum in penetrale fatale pignus „ Imperii Romani: ſe minime cenſere tutum eſſe Campanis pote- „ ſtatem intrandi Romana mœnia fieri. „ Jam vero Vibius Campanus homo apud Livium libro eodem ſuos alloquens faſſus eſt Campanos Annibalem ad opprimendos Romanos vocaſſe, ipſumque ad oppugnandam Romam miſiſſe, in defectione præſidium Romanum, quod poterat emitti, per cruciatum ad contumeliam necaſſe, aliaque multa, quæ adverſus Romanos egerint, recenſet. Et belli Mac. libro primo L. Ruffus legatus de Campanorum ignominia hunc in modum verba fecit: „ Capua quidem ſepulcrum & monumentum „ Campano populo data, extorri, elato, & ejecto populo ſupereſt urbs „ trunca, ſine ſenatu, ſine plebe, ſine magiſtratibus prodigium re- „ licta, crudelius habitanda, quam ſi deleta foret. Et paulo poſt Campanorum ingratitudinem exprobrans, eoſque ex ciſpadanis Italis primos a Romanis ad Annibalem defeciſſe oſtendens infit: „ An Cam-

„ panorum pœnæ, de qua neque ipſi quidem queri poſſunt, nos pœniteat?
„ Hi homines, cum pro his bellum adverſus Samnites per annos pro-
„ pe ſeptuaginta cum magnis noſtris cladibus geſſiſſemus, ipſos fœ-
„ dere primum, deinde connubio, atque inde cognationibus, poſtre-
„ mo civitate conjunxiſſemus, tempore noſtro adverſo primi omnium
„ Italiæ populorum, præſidio noſtro fœde interfecto, ad Annibalem
„ defecerunt ; deinde indignati ſe obſideri a nobis, Annibalem ad op-
„ pugnandam Romam miſerunt . Horum ſi neque urbs ipſa , neque
„ homo quiſquam ſupereſſet , quis id durius , quam pro merito ipſo-
„ rum ſtatutum, indignari poſſet ? Plures ſibimet ipſi conſcentia ſce-
„ lerum mortem conſciverunt, quam a nobis ſupplicio affecti ſunt.
„ Ceteris ita oppidum, ita agros ademimus, ut agrum locumque ad ha-
„ bitandum daremus. Urbem innoxiam ſtare incolumem pateremur, u-
„ qui hodie videat eam, nullum oppugnatæ captæve ibi urbis veſti-
„ gium inveniat „ . Et rurſus de Campanorum natura : „ lib XXV.
„ Inde ingens ferocia ſuperbæ ſuopte ingenio genti crevit „ . Et bel-
li Pun. libro tertio : „ Campani cum poſtularent Senatum Roma-
„ num , ut alter Conſul Campanus fieret , ſummoti indignatione a
„ curia ſunt, atque per lictorem ex urbe educti, extra fines Romanos
„ manere juſſi ſunt „. Cujus rei meminit etiam Cicero in prima ora-
tione de Lege agraria contra Rullum , ubi , præter cætera , inquit:
„ Majores noſtri Capua magiſtratus , Senatum, conſilium commune,
„ omnia denique inſignia reip. ſuſtulerunt, neque aliud quicquam niſi
„ inane nomen Capuæ reliquerunt „ . Et in oratione ſecunda : „ Ita-
„ que illam Campanam arrogantiam , atque intolerandam ferociam
„ ratione & conſilio majores noſtri ad inertiſſimum & deſidioſiſſimum
„ ocium perduxerunt . Et nervis urbis omnibus exectis urbem ipſam
„ ſolutam ac debilitatam reliquerunt „ . Et rurſus : „ Coloni Capuæ
„ in domicilio ſuperbiæ , atque in ſedibus luxuriæ collocati ſunt „ .
Item Livius libro ſexto de Campanorum pœna & ignominia ait: „ Se-
„ natores Campani catenati, in cuſtodia miſſi , inde ad palum deliga-
„ ti, virgis cæſi , & ſecuri percuſſi ſunt ; multi venundati, multi per
„ Latinas urbes in cuſtodiam miſſi , variis ſuppliciis interfecti ſunt „ .
Et Plutarchus in Annibale: „ Campani ita turpiter ſe ſummiſerunt Pœ-
„ no, ut quaſi libertatis obliti non ſocium in urbem , ſed dominum
„ accepiſſe viderentur „ . Fuere quoque Campani infidi Romanis &
eorum ſociis , nam cum Romani ipſi Pyrrhi bello legionem Campa-
næ gentis præſidium Rhegium ſibi amicam & ſociam urbem miſiſſent,
Campani ipſi ſcelerati & nefarii Rhegium & Cauloniam , atque alias
Calabriæ urbes Romanis ſocias diripuere , ſed debitas luere pœnas .
Proinde liquet ſane ex tranſpadanis Boios & cum eis Inſubres & Ligu-
res , ex ciſpadanis vero Campanos primos omnium Italorum a Ro-
manis ad Annibalem deſciviſſe , & magnis pœnis & contumeliis a Ro-
manis affectos fuiſſe , non Brettios .

CA-

# CAPUT XIV.

## *Annibal Urbes Brettiorum in Romana societate manentes infestat.*

POst autem Cannensem cladem Campani, Lucani, Hirpini, Samnites, Apuli, Cisalpini omnes Galli, aliique multi Italiæ populi non ab Annibale infestati, sed odio in Romanos moti ab ipsis ad Pœnos defecerunt, ut in Livio bel. Pun. libro secundo, & in Plutarcho in Annibale scriptum est. „ Ut vero ex Campania „ (ait Livius bel. Pun. libro quarto) „ in Brettios reditum est, Hanno Græ„ cas urbes in societate manentes Romana tentavit, Rhegium obse„ dit, sed aliquot dies nequicquam absumsit. (1) Peteliam validum „ propugnaculum post longam, undecim inquam mensium, obsidio„ nem vi cepit. Locrenses urbem omnibus necessariis rebus, quo per„ tinacius Pœnis resisterent munire statuerunt, sed magna civium mul„ titudine in agris ab Carthaginiensibus intercepta, ipsos in urbem „ accipere coacti sunt, præsidio tamen Romano clam in portum in„ columi deducto, & in naves imposito, ut Rhegium deveheretur. „ Croto vi oppugnata est. Petelia recepta, Pœnus ad Consentiam co„ pias traducit, quam intra paucos dies in deditionem recepit „. Nam cum illi populi tam potentem & efferum hostem domi haberent, viderentque Peteliam validum propugnaculum illius potentiæ obsistere non potuisse, sed vi expugnatam fuisse, & Romanos Petelinis opem ferre non potuisse, noluerunt extrema experiri, ac perpeti. Præsertim quod eam copiam a Senatu Petelinis, ut quod vellent, agerent, factam, sibi quoque tacite factam intelligerent. Respondit enim Senatus Petelinorum legatis, nil tam longinquis sociis in se præsidii esse, atque sibimetipsis in puncti fortuna consuli jussit „. Jam vero Livius bel. Pun. libro sexto ait. „ Annibal Roma ejectus in „ Brettios proficiscens repentino adventu illos populos incautos op„ pressit „. Et Plut. in Annib. infit. „ Annibal Asdrubalis fratris „ morte audita se in Brettios recepit, ubi excursionibus magis, quam „ justis præliis bellum gerebat „. Et rursus idem, & Eutropius libro tertio, Peteliam, & Consentiam, & Pandosiam, aliasque in Brettiis urbes ab Annibale expugnatas, non ultro illi datas scribunt. Thurini autem, Romanis fœdere & societate conjuncti erant, ad Annibalem defecerunt moti ira in Romanos propter obsides nuper interfectos, ut Livius bel. Pun. libro quinto prodit. Et libro nono: „ Latro„ ciniis magis quam justo bello in Brettiis habebantur res a Numi„ dis, Brettiis, & Romanis militibus „. Q. Fulvius Flaccus Crotone Junonis templum detegit. Pleminius Locris Proserpinæ delubrum spoliavit, & Locrenses utriusque sexus, & omnes ætatis infandis contumeliis injuste affecit. Nam quod Livius Peteliam Brettiorum urbem scribat, eamque a Pœnis & a Brettiis ob separata ab se consilia oppugnatam dicit, miror, cum Petelia Græca urbs a Philoctete con-

 di-

dita sit : Sed hi Brettii, qui Pœnis adjuncti non adversus Romanos dimicavisse, sed Calabræ regionis Græcas urbes infestavisse dicuntur, qui, ideft ex qua urbe fuerint, compertum non est. Opinandum est ipsos agrestes & tumultuarios, & exules latrociniis addictos fuisse. Quanquam negare non ausim Brettios quosdam stipendiarios Annibalis fuisse. Thurini autem haud diu in Annibalis fide permanserunt, sed & ipsi & Consentini ultro ad Romanos redierunt, rediissentque & alii multi, ni Romani ducis temeritas obstitisset. Ait enim Livius Bel. Pun. libro quinto: „ Ex duodecim populis Brettiorum, qui priore anno ad Pœnos desciverant, Consentini & Thurini in fidem populi Romani redierunt & plures rediissent, ni L. Pomponius Vejentanus præfectus sociorum prosperis aliquot populationibus in agro Brettio justi ducis speciem nactus tumultuario exercitu coacto cum Annone conflixisset, magna ibi vis hominum, sed inconditæ turbæ agrestium sociorumque cæsa, aut capta est; minimumque jacturæ fuit quod præfectus inter ceteros est captus, & tum temerariæ pugnæ & ante publicatus, omnibus malis artibus & reipublicæ & societatibus infidus damnosusque „. Et libro sept. „ Ad Q. Fulvium Consulem Hirpini & Lucani & Volscentes traditis præsidiis Annibalis, quæ in urbibus habebant, dederunt sese, clementerque a Consule cum verborum tantum castigatione ob errorem præteritum recepti sunt. Et Brettiis similis spes veniæ facta est, cum ab iis Vibius & Pactius fratres longe nobilissimi gentis ejus, eandem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes venissent „. Et libro nono: „ Devicta Petelia a P. Sempronio Consule Consentia & Pandosia, & ignobiles aliæ civitates voluntate ad Consulem in deditionem venerunt „. Et libro decimo: „ Consentia, Uffugum, Vergæ, Besidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, (*a*) Dapetia, multique alii populi ad Cn. Servilium Consulem redierunt, qui cum Annibale in agro Crotoniensi acie conflixit, nihil ultra rei in Italia ab Annibale gestum „. Et rursus. „ Annibal inutili militum turba præsidii specie in oppida Brettii agri, quæ pauca magis metu, quam fide continebantur, dimissa, quod roboris in exercitu erat, in Africam transvexit, multis Italici generis, qui in Africam secuturos abnuentes, concesserant in Junonis Laciniæ delubrum, inviolatum ad eam diem, in templo ipso fœde interfectis „. Et Eutropius libro tertio ait. „ Q. Cecilio & L. Valerio conss. omnes civitates, quæ in Brettiis ab Annibale tenebantur, anno quarto ante Annibalis recessum Romanis se tradiderunt, anno xiii. postquam in Italiam venerat, abiit autem ex Italia anno xvii.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Peteliam*. Nonnulli *Petiliam* appellant. Hoc de Petiliæ fide testimonium adducit Valerius Maximus lib.VI. cap.VI. in fine: *Idem præstando Petilini eundem laudis honorem meruerunt: ab Annibale, quia deficere a nostra amicitia noluerunt, obsessi, Legatos ad Senatum auxilium imploran-*

*rantes miserunt, quibus propter recentem cladem Cannensem succurri non potuit. Ceterum permissum est eis, ut facerent quod utilissimum incolumitati eorum videretur. Liberum ergo erat Carthaginensium gratiam amplecti: illi tamen feminis, omnique ætate imbelli urbe egesta, quo tutius armati famem traherent, pertinacissime in muris constiterunt; expiravitque prius eorum tota civitas, quam ulla ex parte Romanæ societatis respectum deposuerit. Itaque Annibali non Petiliam, sed fidum Petiliæ sepulcrum capere contigit.* Vide Dissertationem.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) D*apetia*. Legendum *Lampetia*, nunc *il Citraro*.

# CAPUT XV.

## *Brettii vi capiuntur, qui tandem ad Romanos redeunt. In alios populos perduelles animadvertitur.*

ITaque perspicuum quidem est Brettios populos repentino adventu ab Annibale oppressos fuisse; quosdam Romana ope destitutos, aut vi captos, aut necessitate ad Pœnos desciviſſe; eorum quosdam intra defectionis annum ad Romanos rediisse; quosdam, ne redirent, temeritate Romani ducis præpeditos; tandem eorum multos voluntate ad Q. Fulvium consulem, paucos alios metu prius ab Annibale detentos ad Cn. Servilium consulem existente adhuc in Italia Annibale, anno quarto antequam Italia excessisset, voluntate ad Romanos rediisse, ac siquid a Brettiis quibusdam erratum fuit a consule eis ignotum fuisse. Qui nunquam postea a Romanis desciverunt, quemadmodum Italorum plerique fecerunt, qui non modo existente in Italia Annibale, sed longe etiam post ipsum ejectum rebellabant, ut Ligures, quos Maro libro xi. vanos, & elatos, & superbos, & lubricos, id est inconstantes, & fallaces vocat; & L. Aemilius Paulus conss. apud Liv. Bel. Mac. libro x. latrones appellat, qui fraude pace petita induciis datis per ipsum induciarum tempus contra jus gentium ad castra Romana oppugnanda iverunt. Et Cicero in Orat. contra Rullum Ligures duros vocat & agrestes, Cato fallaces, qui sæpe rebellarunt. Item Boji „ Bojorum gentem universam, ait Eutropius „ lib. quarto, quæ, ejecto Italia Annibale, duce Amilcare Cremonam „ & Placentiam vastaverunt, Marcellus & Furius conss. igni ferroque „ vastantes propemodum usque ad nihilum deleverunt„. Aliique cisalpini Galli, item Picentes, Lucani, Samnites, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Umbri, ut Livius Bel. Mac. lib. lxxii. & lxxiv. passim & Appianus Bel. Civilium lib. primo scribunt, unde sociale bellum est exortum. Samnites per centum annos cum Romanis conflixere, ut in Liv. Bel. Pun. libro tertio scribitur. De Samnitum autem perfidia & ignominia Strabo libro quinto infit: „ Samnites in „ perfidia adversus Romanos soli consistentes a Sylla aliisque Roma-

„ nis

„ nis ducibus deleti sunt. Qui vero arma projecerunt ad millia tria, „ vel, ut alii, quatuor in campo Martio ad ovilia coacti jugulati „ sunt „. Et Livius, referente Floro in epitome libro lxxxviii; „ Samnites soli Italicorum populorum arma non deposuerunt, eorum „ octo millia deditorum in via publica Sylla trucidavit „. " Samnites, ut ait Eutropius, sexagies rupti foedere arma contra Romanos sumsere ". Et Augustinus libro quinto de Civitate Dei: „ Jam pacata Italia, multisque aliis nationibus Romano Imperio subjugatis, „ deletaque Carthagine, Picentes, Marsi, & Peligni post diuturnam sub Romano Imperio servitutem, in libertatem caput erigere tentaverunt, in quo bello Romanis sæpissime victis, ubi duo consules, & alii nobilissimi Senatores perierunt „. Quintus ei annus finem dedit. Multi externos hostes adversus Romanos concitarunt, ut Boji Gallos transalpinos & inde Annibalem, ut ostendi. „ Etrusci „ (ait Livius ab urbe condita libro quinto)„ a quibus Romani bellum „ Gallicum in se averterant, cum viderent Gallos in agrum Romanum incursiones facere, & Vejos præsidium & spem ultimam Romani nominis oppugnare volentes, ingrati Romanos irridebant, „ eisque Romanæ clades ludibrio erant, at luere pœnas „. Rursus ait idem libro decimo; „ Induciarum tempore bellum parant ac societatem cum Gallis hostibus ineunt, & adversus Romanos pugnarunt „. Tarentini, ut ait Strabo, Cleonymum Lacedæmonium adversus Romanos accivere. Item & Tarentini ipsi, & Campani, & Apuli, & Samnites, & Lucani, & Mesapii Pyrrhum ex Græcia adversus Romanos accersiverunt. Quare plerisque Italiæ populis ob voluntariam defectionem, infidelitatem, & perfidiam in Romanos ignominiæ nota inusta est. Nam ut pecudes ad palum ligati, sub hasta & corona ut mancipia venditi, jugulati ut pecora, sub jugum ut boves missi fuere, ut in Livio scriptum legimus. Samnites enim nudi sub jugum missi, & eorum multi jugulati. Tusci & Tarentini venundati. Volsci sub jugum missi, sic & Æquiculi, ut Val. Max. lib. secundo auctor est, Istri sub corona venditi, eorum quinque millia Dcxxxii. auctores belli virgis cæsi, & securi percussi sunt. Ligures securi percussi, & eis Posthumius arma ademit. Campani catenati ut amentes, ad palum ligati ut pecudes, virgis cæsi & venundati ut mancipia, securi percussi ut pecora, extra solum Romanum ut in portum pulsi, agris privati ut rebelles & obstinati, atque infidi. Rursus Campani omnes, Attellani, Calatini, & Sabatini Romano & Latino nomine privati sunt. Ni quidem tale de Brettiis reliquisque Calabris ab aliquo prisco auctore scribitur. Ita ne merebant Rhegini, Cauloniates, Locrenses, cæterique illius oræ populi, qui Pyrrhi bello ob præclaram in Romanos fidem tot mala & a Pyrrho ipso, & a scelerata Campana legione perpessi sunt? Et Mamertini Brettiorum, qui soli per se absque Romano duce aut milite Pyrrho ex Sicilia per Mamertinum agrum Tarentum eunti opem Tarentinis adversus Romanos ferenti cum decem millibus armatorum obviam facti cum ipso conflixerunt? Et Terinei, quorum urbs ab Annibale solo æquata est? Rursus Rhegini, & Petelini, qui ad ultimum in fide Romana permanen-

nentes mala plurima a Pœnis pertulere ? Et Locrenses, Vibonienses, Brettii, ac demum utriusque Calabræ oræ populi omnes, qui existente apud Placentiam Annibale mala ingentia passi sunt, & soli sua sponte urbes muniebant, ut Pœnis ipsis obluctarentur ? Rursus Rhegini quorum unus Ibicus, ingenio & artificio suo, magno adjumento Romanis in Gallico conflictu fuit ? Crotoniatæ, quorum urbs post longam obsidionem vi expugnata fuit, & Pyrrhi bello ingentem calamitatem perpessa est ? Licet Livius Brettios & aliquot Græcas urbes post Cannensem cladem cum aliis Italiæ populis ad Annibalem descivisse scribat : Thurini ; qui semel a Romanis data causa defecerunt, ipsi & alii ante annum voluntate ad eos redierunt, qui & omnium primi Romanos statua & aurea corona donarunt, ex quorum urbe, " vel pago quopiam " Octavius Augustus oriundus fuit ? Merebant inquam hi & alii Calabri, qui improviso adventu ab Annibale oppressi, non fide, sed metu ab eo detinebantur, qui sponte vel existente in Italia Annibale ad Romanos rediere ; & siquid erroris patraverunt, in partem veniæ, atque Lucani, Hirpini, & Volscenses a consule recepti sunt, ut lorarii & lictores essent ? Quos Romani & socios & cives suos esse voluerunt. Siquidem Livius ab urbe condita libro nono inter alios Italiæ populos, quos Alexander Magnus si in Italiam Romanis bellum illaturus venisset, aut socios validos Romanis, aut bello fractos invenisset, Thurinos, omnemque Græcorum inferi maris oram scribit. Cumque (*a*) nullibi scriptum legatur Thurios Græcamque Calabriæ oram ad eam diem bellum cum Romanis gessisse, restat, ut Thurini & alii illius regionis populi validi socii tum Romanis dicantur. Et libro quarto Bel. Pun. Annonem, ut ostendi, Græcas urbes in Romanorum societate manentes tentasse scribit. Et libro quinto L. Pomponium temeritate insimulat, quod in agro Brettio sociis infidus damnosusque fuerit. Et libro sexto D. Quintius a sociis Rheginisque debitas exegit naves, & circa Crotonem Sybarimque suppleverat remigio naves.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Nullibi scriptum legatur.* Nullibi vox est barbara, utuntur tamen viri eruditissimi Petrus Bembus, Antonius Telesius, Petrus Victorius, Julius Cæsar Scaliger. Dicendum omnino *nusquam*.

*Utuntur tamen hac voce* nullibi *Vitruvius lib. 7. cap. 1. aliique scriptores. Nec notandus est Barrius.*

## CAPUT XVI.

### *Brettii post bellum Punicum, socii Romanorum, & Milites scribebantur; Civitate ac Municipio donati sunt. Aliqua notatu digna.*

POstea vero quam Brettii Calabrique reliqui omnes ad Romanos, anno scilicet quarto, ut ostendi, ante Annibalis ex Italia recessum,

ſum, redierunt, Romani ipſos pro ſociis, ut antea habuerunt, & milites ſcripſerunt. Livius enim Bel. Pun. libro nono ſcribit legatis Locrenſium in ſenatu de Pleminio querentibus quod phana ſpoliaſſet, reſponſum fuiſſe, *Senatum populumque Romanum eos viros bonos, ſociosque, & amicos appellari velle*, & libro xlii. ab urbe condita: „ Q. Fulvius Flaccus, qui Crotone Junonis templum detegit, in Se- „ natu increpitus eſt, quod ſociorum templum detegiſſet „. Et rurſus libro eodem: „ Lucretius juſſus ab ſociis ex fœdere acceptis navi- „ bus ad Cephaloniam claſſi occurrere ab Rheginis triremi una, a „ Locrenſibus duabus, ab Uritibus quatuor „. Et bell. Maced. libro quinto: Stipendium naveſque Romanos ab Rheginis ex fœdere accepiſſe ſcribit. Et libro ſexto „ G. Livius præfectus Roma- „ næ claſſis ab Rheginis, Locriſque & ejuſdem juris ſociis debitas exe- „ git naves „. Cæſar bel. Civ. libro primo. „ Cato naves novas ci- „ vitatibus imperabat in Lucanis, Brettiiſque per legatos ſuos „. Thurini, ut dixi, Romanis fœdere & ſocietate conjuncti erant, & omnium primi Romanos ſtatua & aurea corona donarunt. Cumque ſæpe e tota Italia militum delectus habitus ſit Senatus conſulto, & interim rep. in extremo periculo poſita ſublatis vacationibus, ut Appianus, & Livius, & Cicero, & Cæſar. vulgo ſcribunt, quis neget hujuſmodi delectum in Calabria, quæ non modica Italiæ pars eſt, & ubi gens admodum fortis & ad bellicos labores apta viget, fuiſſe habitum? Jam vero Livius libro xxiv. ait: „ Conſules delectum habere „ inſtituerunt, & ad novas ſcribendas in Brettios legiones, & in ce- „ terorum ( ita enim juſſi a Senatu erant ) exercituum ſupplemen- „ tum „. " Vides nunc falſari, ac mordaciſſime obtrectator, Romanos pulſo Italia Annibale Calabros Brettioſque & ſocios habuiſſe, & milites ſcripſiſſe " ? Ergo ne ex omnibus Italis ſoli Calabri Brettiique bellicoſi homines ac robore præſtantes a Romana militia repellendi erant? Quibus igitur ex Italis magis quam Calabris bellicis in rebus fidendum erat? Apulis fortaſſe, quos Silius fallaces armis appellat? Lucanis, & Meſapiis, qui una cum Campanis, & Samnitibus Pyrrhum regem ab uſque Epiro in Italiam contra Romanos accivere? An Campanis infidis & Romano nomini infeſtiſſimis, qui ex ciſpadanis primi ad Annibalem deficientes ipſum ad opprimendos Romanos vocavere, & ad oppugnandam Romam miſere, eamque incendere tentaverunt? Quos Romam ingredi Conſul minime tutum cenſebat, & iccirco eos mœnibus incluſos tenebat? An Samnitibus, qui vel longe poſt pulſo Italia Annibale in perfidia manentes diu bellum adverſus Romanos geſſere? An Tuſcis perpetuis Romano nomini hoſtibus, qui, præter cetera, induciarum tempore bellum Romanis paraverunt & fœdus cum Gallis inierunt, " & quorum exercitus impetum unus Horatius homo Romanus fortiter ſuſtinens pontis cuſtodiam, ne in urbem ingrederentur, obtinuit " ? Et quos Tarcon eorum Rex apud Virg. lib. xi. impudentes quod nunquam doleant, hoc eſt nunquam ſe ſceleris pœniteat, item timidos, inertes, ignavoſque, & imbelles vocat, quod magnam ipſorum turmam Camilla Volſcorum Regina parva manu, parvoque negocio profligarit, & inertiæ, ac luxu-

luxuriæ, ac gulæ addictos his verbis objurgat, imo vero Virg. ipse sub Tarcontis persona eorum vitam describit:

*Quis metus, o nunquam dolituri, o semper inertes*
*Tyrreni, quæ tanta animis ignavia venit?*
*Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?*
*Quo ferrum, quidve hæc geritis tela irrita dextris?*
*At non in Venerem segnes, nocturnaque bella;*
*Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,*
*Expectare dapes, & plenæ pocula mensæ:*
*Hic amor, hoc studium; dum sacra secundus aruspex*
*Nunciet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.*

An Liguribus" fidendum erat", qui & ipsi, ut dixi, vel induciarum tempore castra Romana oppugnarunt? Quos consul latrones, & Cato in Orig. fallaces vocant. Et Virg. lib. xi. eos vanos, elatos, superbos, fallaces, & lubricos idest inconstantes his verbis appellat:

*Vane Ligur, frustra animis elate superbis*
*Nequicquam patrias tentasti lubricus artes,*
*Nec fraus te incolumen fallaci perferet Auno.*

An Cisalpinis Gallis, Bojis præsertim, qui cum Insubribus transalpinos Gallos, & inde primi ad Annibalem descivente, ipsum in Italiam adversus Romanos accersivere? quorum corpora ut in Livio legitur, magna magis, quam firma esse; item emollida ac fluida & intolerantissima, humori & frigori assueta, tum æstu & angore vexata, quorum prælia, præter prima, minus quam feminarum esse experientia deprehensum erat. Quos tandem Romani Italia ejecerunt Quin etiam Romani multas Colonias in Calabriam deduxere quot in nullam aliam Italiæ regionem deductæ sunt, ut Temsam, Hipponium, Crotonem, Rhegium, Scylaceum, Peteliam, Cosam aliasque in agro Thurino & Brettio. Item Rhegium & Thurium municipia fuere populi Romani, aliæque urbes, ut Cicero in oratione pro Planco insinuat, ubi sic ait: „ Iter a Vibone Brundusium terra petere con„ tendi, cum omnia illa municipia quæ sunt a Vibone Brundusium, in „ fide mea judices essent, tunc iter tutum multis minitantibus magno cum „ suo metu mihi præstiterunt „. Fuit siquidem Cicero totius Calabriæ patronus, ut ipse hic innuit. Et lib. secundo de leg. Locrenses clientes suos vocat. Fuit enim apud Romanos mos, ut socii P. R. in clientelam sese darent Romanis proceribus, qui eos sibi adoptabant non solum publice, sed etiam privatim. Municipes autem honoribus & magistratibus populi Romani fungebantur, & suis moribus & legibus utebantur. De quibus, & de Coloniis plura Gellius libro quinto & xvi. Calabriæ etiam oppida Romanis societate conjuncta, civitate Romana donata sunt, sicut & alia Italiæ oppida societate Romanis conjuncta, ut Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo scribit. Qui ait: *Lege Julia civitas Romana est sociis & Latinis data.* Et Plinius lib.xxxvi. de Praxitele loquens inquit: *Hic in Græcia, Italiæ ora, natus & civitate Romana donatus cum iis oppidis.* Donati autem civitate cives Romani erant, & civium jura habebant Unde L. Posthumius Temsanus Romæ Prætor fuit, & Q. Manilius Thuri-

nus Ædilis plebis & inde Prætor. Honestaverunt quoque ac decorarunt Romani Calabriam ingentium sumtuum ædificiis, nam præter cetera Hipponii pro statua araque Proserpinæ reficienda Dcclxx. M. xc. HS. hoc est vigintinovem millia numorum aureorum & duos cum dimidio supra ducentos expendere. Proinde satis abunde ostensum est non Brettios reliquosque Calabros primos ad Annibalem descivisse, sed Bojos, & Campanos; Brettias vero, Græcasque Calabriæ urbes in fide, & societate Romana manentes ex improviso ab Annibale oppressas, vi ac metu tentas, brevi ultro longe ante quam Annibal ex Italia excessit, ad Romanos rediisse, & nunquam amplius ab eis defecisse, & si quid erratum fuerat, ipsis a Consule ignotum fuisse; & ab eis, quibus parcitum est, Romanos ob eam ipsam culpam pœnas exegisse asserere quis audet? Senatum Romanum ipsos socios & amicos habuisse, milites scripsisse, Romana civitate donasse, Colonias in Calabriam deduxisse, jus municipii ipsis impertiisse. Cum igitur sic se res habeat Gellii textum a perversis depravatum fuisse, & non Brettios sed Bojos, non Brettianos sed Bojanos, & Bajanos & Campanos lorariorum & lictorum officiis fuisse addictos liquido constat. Decuit enim, ut qui agresti & incitatissimo odio in Romanos exteras gentes adversus eos excitarunt, primi ad ipsas defecerunt, & perfidia in ea defectione quandiu licuit perstiterunt, ac sæpe rebellaverunt, quive ad palum ligati, virgis cæsi, & vincti ac catenati, & securi percussi sunt, hi lorariorum & lictorum officiis assignarentur, qui sontes noxiosque sui similes vincirent, virgis cæderent, & securi percuterent, quæ in se ipsis experti fuerant. Quare quicquid contumeliæ in priscis auctoribus Brettiis aliisque Calabris attributum legitur, a falsariis maledicentissimis ob trectatoribus adscriptum, aut immutatum esse hærendum non est. Ab his præsertim, quibus ob in Romanos odium & perfidiam ignominiæ nota est inusta. Arbitrantes hujusmodi homines eam sua in alios maledicentia dilui posse. Nam quod Silius lib. undecimo dicat: *Brutius ambiguis, fallax mox Appulus armis.* Brutius ambiguis, scilicet fortuna; Appulus fallax armis. Id quod non vidit lusciosus vulgaris scriptor Leander, qui quod Latine scribere nescisset, ingens volumen conviciis & mendaciis refertum sibi suique similibus dignum scripsit. Videat nunc eruditus & pius lector obtrectatorum ac detractorum malignitatem & perversitatem, sitque æquus judex. In bellis autem civilibus Calabria universa Cæsaris partibus studuit, ut in commentariis ejus, & in Appiano liquet. Ac subinde Octavio favit uti ex ea oriundo, ut in Appiano constat. Quæ regio cum plurima damna a Q. Pompejo accepisset, Octavius ad Brettiorum maritimam oram, quam Pompejus diripuerat, milites pro custodia misit, ut idem App. bel. civ. libro quinto prodit. Ac sæpe numero ipse Hipponium ac Rhegium se conferebat, & interdum ob securitatem præter Locros Rhegium pedester uno famulo comite meabat, ut Suet. tradit. Et quanquam, ut reliqua prosequamur, omnium eruditorum ac prudentium sententia propalam sit Europam, & habitatoribus & rebus Aphrica, atque Asia nobiliorem ac præstantiorem esse; quia tamen Trojana Asiæ gens a Marone in Ju-

Juliæ familiæ gratiam celebratur, oſtendendum eſt etiam plures Trojanorum, qui cum Aenea, quem ex Latio oriundum in libro de æternitate urbis demonſtravimus, in Italiam contenderunt, in Calabria conſediſſe. Ait enim Dionyſius Halicar. lib. primo: „ Qui vero cum Aenea erant, „ non unum in locum omnes Italiæ deſcenderunt, ſed alii cum pluribus „ navibus, ad Japigis arces advecti ſunt, qui tunc campus Salentinus di- „ cebatur. Reliqui vero juxta Atheneum, quod & obviam Aeneas ha- „ buit, aſcendens in Italiam. Hic autem locus eſt promontorium, & in „ eo ſtatio æſtiva, quæ ex illo portus Veneris vocatur. Præternaviga- „ verunt autem uſque ad fretum manutenentes Italiam, & in eis locis „ etiam veſtigia relinquentes adventus ſui, cum alia tum pateram Ae- „ neam in templo Junonis ſcriptura vetere demonſtrantem Aeneæ no- „ men donantis deam „. Item Strabo libro ſexto & Lycophron in Alexandra ſcribunt Trojanas mulieres captivas juxta Sybarim, & Neæthum flumen Crotonis Græcorum naves incendiſſe; qua ex re Græcos cum Trojanis, & viris & mulieribus captivis ibi manſiſſe coactos fuiſſe: Trojanoſque alios multos ibidem conſediſſe, ut ſuis locis oſtendemus. Sunt Calabri, abſit verbo invidia, ſuopte ingenio benignitate præditi, atque erga omnes hoſpitales; erga Deum vero ac cælicolas religione ac pietate affecti, ut minime ab Arcadibus, qui in Calabria conſedere, & ab Athenienſibus, qui complura illic oppida conſtruxerunt, aut Colonias deduxerunt, & a Romanis, qui multas ibidem Latini ſanguinis Colonias deduxerunt, degeneres videantur. Vigent inſuper in Calabria vegeta fervidaque ingenia ſeu gubernandæ reip. virtutem, ſeu bonarum artium juriſque ſcientiam propoſueris, ſeu etiam in re militari robur & animorum prontitudinem. Calabri anno a Chriſto nato MLXX. Roberto Guiſcardo duce Lucaniam, Apuliam, Campaniam, & Samnium quæ nunc una appellatione regnum Siciliæ citra pharum dicitur, quod Calabriæ pars circum Rhegium Sicilia quondam dicta ſit, Roberto ipſi ſubegerunt. Quare, & ob id, & quod Calabria, & antiquitate & rerum omnium copia ac varietate aliis ſupraſcriptis regionibus nobilior ſit, Regis filius major natu Calabriæ Dux appellatur, ac patri in regno ſufficitur.

## CAPUT XVII.

### *De Calabria Chriſtiana; deque viris tum ſanctitate, doctrina, & dignitate conſpicuis, ad Calabriam pertinentibus.*

CHriſti autem fidem Calabri Italorum primi, Romanis exceptis, ſunt complexi, Paulo Apoſtolo Rhegii concionante. Qui ut in geſtis Apoſtolorum ſcriptum eſt, ex Judæa in Italiam tendens Rhegium pervenit, quinto & vigeſimo anno a paſſione Chriſti. Atque illic diem unum commoratus, Deique verba faciens Rheginos ad Chriſti pietatem ac fidem traxit, & Stephanum ibi Archiepiſcopum ordinavit; reliquitque.

que. Stephanus autem ipſe circumvicinos populos ad Chriſti fidem convertit, & Epiſcopos ac Sacerdotes ordinavit. Qui aliquot poſt annos cum Suera Epiſcopo, atque aliis & viris & mulieribus, ut ſuo loco dicemus, obiit martyr. Hinc Rheginus Archiepiſcopus in generalibus Conciliis poſt Romanum pontificem ſive ejus legatum ſemper primum locum obtinuit. "Quæ regio tanti Apoſtoli diſcipula, nunquam a ſui magiſtri doctrina ac fide deſcivit, nunquam hæreſi infecta eſt. Crotonienſes vero ad Chriſti fidem convertit Dionyſius Areopagita, Pauli Apoſtoli diſcipulus". Quare permultos utriuſque ſexus, & omnis ætatis Sanctos viros & martyres, & confeſſores, Virgineſque atque viduas ex Calabria extitiſſe opinandum eſt, ſed ſcriptorum incuria, aut fortaſſe dolo derelictos, aut aliis provinciis, & præſertim Calabriæ finitimis attributos. Atque ita fit ut certi maligni ac perverſi homines ſua ſuorumque civium aut aliorum probra & ignominias (tanta eſt horum inCalabrum nomen iniquitas & invidia) maligne ac perperam Calabris adſcribant. Contra vero Calabram gloriam, claroſque & doctrina & ſanctitate Calabros viros ſuis, aut aliorum regionibus, ac civitatibus tribuunt. Caſſiodorum Calabrum hominem in Apuliam, divum Thomam cognomine Aquinum itidem Calabrum hominem in Frentanos Samnii partem, Steſicorum poetam Calabrum & ipſum hominem in Siciliam inſulam, Auguſtinum Nipham Calabrum quoque hominem Sinueſſam repetunt. Raphael Volaterranus divum Franciſcum Paulitanum Siculum ſcribit. Franciſcus Maurolicus homo Siculus in Martyrologio ubi ſeptem Martyres Minoritæ Calabri homines, pro Chriſti fide occubuerint ſcribit, ſed cujates fuerint, ſubticet, Beatum Phantinum Calabrum hominem quaſi Julia lege repetit Syracuſas. Quidam veteres Latinos auctores emendare exiſtimantur, in tertio Ciceronis de Orat. libro locum quendam ſecus atque res eſt legunt. Nam cum (1) Philolaus Architam doctrinis inſtituiſſet, locum illum immutarunt, quaſi Architas Philolaum inſtituerit. Cum ibi Cicero primo rectum, inde obliquum caſum, id eſt, primo præceptorem, inde diſcipulum ponat; ſic Lyſias Aepaminundam, Xenophon Ageſilaum, Philolaus Architam, Pythagoras Italiæ Græciam. Fuit quidem Philolaus Pythagoræ auditor, Architas vero Platonis tempore qui Pythagoram non vidit. Alii ſive errore & incuria, ſive quia ſola Calabria initio Sicilia, & Magna Græcia, & Italia dicta eſt, unde etiamnum Rex, qui Calabriæ & Trinacliæ inſulæ, quæ nunc Sicilia dicitur, dominatur, utriuſque Siciliæ citra & ultra pharum Rex cognominatur; & Innocentius tertius ad Conſentinum Epiſcopum ſcribens Conſentinam Eccleſiam unam ex antiquioribus Eccleſiis regni Siciliæ eſſe ait: quidam res, urbeſque Calabras, necnon Calabros etiam & doctrina & ſanctitate, & dignitate claros homines patrium ſolum reticentes confuſe & indiſtincte aut ſub Siciliæ, aut ſub Græciæ, aut ſub Italiæ nomine ſcribunt. Ceterum nequaquam quidem recte; nam nemo ſua propria laude eſt fraudandus, ſed unicuique regioni, civitati, pago, homini ſua propria laus, omni ſimultate atque invidia poſthabita, eſt tribuenda. Et ubi Siculi ex Calabria exacti in Trinacliam tranſmiſere, eaque Sicilia dici cœpta eſt, & Italiæ nomen ex Calabria alpes uſque manavit, & Calabria quibuſdam locis exceptis, Latina facta eſt, neutiquam amplius Calabræ res confuſe & indiſtincte,

urbis

urbis ac loci nomine sublato, sub Siciliæ, & Græciæ, & Italiæ nomine scribendæ sunt. Stephanus Bizantius in libro de urbibus Mistiam Calabriæ urbem Samnii esse dicit; Scylleum vero & Metaurum, & Lagariam, & Prostropeam Calabras urbes, Siculas scribit. Multas insuper alias Calabriæ urbes, ut Acram, Crimissam, Macallam, Morgetiam, Petiliam, Sybarim, Taurianum, Temesam, Terinam, Reatium confuse & indistincte Italiæ urbes scribit. Item quidam Leonem secundum, & Agathonem, & Stephanum tertium sive quartum Romanos Pontifices, Calabros homines, Siculos scribunt. Joannem xvi. sive xvii. Romanum Pontificem gente Calabrum, patria Rossanensem, lingua Græcum hominem, Græcum gente fuisse omnes perhibent; sed ex qua Græcia, orientali, an occidentali, id est ex Calabria, & ex quo oppido is fuerit, elucidat nemo eorum, qui vitas Romanorum Pontificum scribunt. Cum, ut ostendi, Calabria a Græcis habitata magna Græcia appellata fuerit, & Rossanensis Ecclesia abhinc paucos annos Latina facta est. Exstant etiamnum in Calabria divi Basilii & virorum & mulierum cœnobia pleraque, qui mysteria Græco sermone ac ritu peragunt. Quin etiam oppida sunt non pauca Græca, & in horum agris pagi complures Græci, & oppidani utraque lingua Græca & Latina utuntur, sacerdotes vero rem divinam Græca lingua Græcove ritu faciunt. Quare haud dubio censendum est & Telesphorum, & Dionysium monachos, & Anterium, & Zosimum, & Joannem Sextum, & Zachariam Romanos Pontifices, lingua Græcos homines, quorum patrium solum scriptores sive per ignorantiam, sive potius per malitiam subticent, occidentales Græcos id est Calabros fuisse. Utique credibilius est Græcos Calabros, utpote in Italia natos, quorum vita & doctrina nota erat Romanis, potius Romanos Pontifices eligi, quam Græcos orientales in longinquis partibus ortos, ut jam de Philolago Rossanensi homine lingua Græco, Joanne xvi. sive xvii. dicto accidit. Græciæ orientalis, & ulterioris Siciliæ, hoc est Trinacliæ res memoratu dignas aperte & distincte scribunt, Calabriæ vero non item. Adde quod nec desunt, qui libros etiam a Calabris eruditis viris compositos sibi attribuentes nomine suo foras dederunt. Cum itaque, ut unde digressa est redeat oratio, Calabria a Paulo Apostolo ad Christum conversa sit & a conversione sua usque ad Constantini & Silvestri tempora anni propemodum trecenti fluxerint, & Imperatorum sævitia in Christicolas ubique efferbuerit, qui fieri potuit, ut soli Calabri hanc rabiem effugerent, impunesque essent, & qui in Calabria commorabantur, & qui in urbe, aliisque locis reperiebantur? Quare opinari, imo credere licet permultos Calabros utriusque sexus, & omnis ætatis & ordinis ob Christi fidem mortis subiisse sententiam; sed, ut dixi, aut scribi omissi sunt, aut aliis provinciis attributi. Jamvero statim a suæ conversionis primordiis persecutionis rabiem perpessa est: nam, ut suo loco ostendemus, Stephanus a Paulo Apostolo Rhegii constitutus Episcopus cum aliis quibusdam eadem die pro Christi fide necati sunt. Et in Martyrologio Caroli magni xviii. Kal. Octob. legitur: „ Apud Calabriam Sanctorum martyrum Senatoris, Via„ toris, & Dominatæ earum matris „ quorum corpora in æde Episcopali Marci urbis quiescunt. Et nudius tertius, ut sic dicam, divi Francisci Asisini ævo septem Calabri ejusdem Francisci cœnobitæ martyrii palmam

mam adepti sunt. Cumque etiam Romani præsules a Lino ad usque Silvestrum tot Episcopos, presbyteros, & diacones ordinaverint eosque ad diversa Italiæ loca miserint, quis neget horum aliquos fuisse Calabros, quosdamque in Calabriam, quæ non modica Italiæ pars est, misisse? Jam vero universæ Ecclesiæ a Constantino pace reddita, Nicænæ primæ universali synodo ipsius Constantini, & Silvestri tempore celebratæ adfuit præsens Marcus Episcopus Calabriæ, utique Rheginus, solus ex tota Italia, Victore & Vincentio Romanis presbyteris exceptis, qui gessere vices Papæ una cum Marco ipso præsule Rhegino. Et deinceps aliis synodis sub Julio primo, Sixto, Hilario, Felice, & Symmacho Romanis Pontificibus celebratis Episcopi Calabri plerique, quod ostendam, interfuere. Qui non a Silvestro vel a Julio primo consecrati & ordinati fuere, sed ab aliis ante Silvestrum ipsum. (2) Agatho Romanus Pont. Calaber duos conterraneos suos Episcopos, Joannem Rheginum & Abundantium Paternensem Constantinopolim ad synodum misit, qui una cum Joanne Episcopo Portuensi vices suas gererent. Sunt nunc in Calabria sedes Episcopales quatuor & viginti, metropolis Rhegina est. Olim plures fuere, nam Amanthea, Hipponium, Taurianum, Stilum, Tabernæ Episcopales sedes fuerunt. Fuit præterea Calabria quondam altera Aegyptus, Monachorum Monialiumque & parens & nutrix sanctorum Basilii, Benedicti, & Bernardi, quorum adhuc templa ædesque passim visuntur, quæ Monachis ejectis, heu tempora, in secularium libidinem ac delicias pervenere, quædam semiruta & vepribus obducta cernuntur, ex quibus plerique sanctissimi viri ac mulieres extitere. Referta est & modo Calabria divi Augustini & Francisci Asisini, & Francisci Paulitani, & Dominici Monachorum cœnobiis.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Philolaus* Vide lib.IV. cap.XIII. ubi diffuse de Philolao agit Auctor noster, illumque Crotoniatam demonstrat. De aliis autem viris ad Calabriam pertinentibus suo quoque loco pertractatur.

2. *Agatho*. Vide Anastasium Bibliothecarium in Agathone, editionis Vaticanæ, ubi aliquid adnotavimus huic historiæ consentaneum.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Metropolis Rhegina est.* Rhegina Ecclesia non est Metropolitana totius Provinciæ.

## CAPUT XVIII.

### *De sacris Lipsanis quæ in Calabria asservantur; deque nonnullis Eremitis sanctitate conspicuis.*

Sunt quoque in plerisque Calabriæ templis multorum sanctorum reliquiæ. De qua Joannes Joachinus Abbas ita fatur in Esaiam: „ Nazareth non in maritima, sed in montanis posita Galilææ cum Calabria „ montuosa concordat in spiritu, ut sicut ibi ad Virginem dirigitur angelus

„ lus, Lucæ primo, ſic ad religionem Ciſterciam doctor angelicus diriga-
„ tur „. Nec defuerunt, qui eremiticam vitam ducentes ſanctitate floruerint. Qui etſi nunc mundo ignoti ſint, quod eorum cognitio ad nos, præter unum Teleſphorum, non pervenerit, Deo tamen, cui omnia patent, noti ſunt, & æterna vita fruuntur. Nuper autem (1) octo Eremitarum Calabrorum, qui eodem tempore fuere, apud me fama percrebuit. Quorum nomina ſunt hæc, Hilario, Nicolaus Græcus ( non modo enim ab oppidis, viciſque, verum etiam a regionibus cognomina ſumuntur, manatque ad poſteros ) Rinaldus, Francus, aliorum trium nomina me latent. Horum magiſter & ductor fuit Hilario, qui cum ſeptem aliis ex Calabria abiens in Samnium contendit, atque in valle Aventina in Frentanis in loco, cui Plata eſt nomen, ſecundum Caſulum & Lamam caſtella conſedit, ibique eremiticam vitam degentes Deo ſervierunt. Mortuo autem Hilarione unoquoque eorum ob humilitatem aliis præeſſe renuente, convenerunt, ut ſinguli lancem ſuam ligneam in fontem conjicerent, & is, in cujus lancem piſcis ingrederetur, aliorum gubernacula ſuſcepiſſet. Lancibus autem, prius tamen exorato Deo, in fontem conjectis, protinus Dei nutu piſcis in lancem Nicolai ſubiit, tum ille Dei numen agnoſcens regendi alios munus obivit. Exceſſit e vita centum annos agens Eugenio quarto Pontifice. Ejus corpus Vardagrelæ jacet miraculis fulgens. Ejus feſtum agitur ſeptimo Idus Auguſti. Corpus beati Rinaldi quieſcit Falaſcoſi, ejus feſtum agitur Nonis Maji. Corpus beati Franci jacet Francavillæ, ejus feſtum agitur eodem die. Corpus beati Falci jacet Palenæ. Hæc antiphona a ſacerdotibus illis canitur. „ O pro-
„ les Calabriæ, ſplendor ſeptem ſyderum, novum Vardagrelæ decus,
„ nobile depoſitum, fer, o jubar gratiæ, Chriſti beneficium, ne breve ve-
„ niæ tempus inane defluat „.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Octo Eremitarum Calabrorum.* Ex M.S. antiquo membranaceo P. Jacobi a Teate Conventualis S. Franciſci apud Toppium in ſua Biblioth. quod ex alio antiquiſſimo traductum aſſervatur in Archivio Vardagrelæ, manifeſte apparet Sanctum Hilarium cum vigintinovem ſociis ex Monaſterio quod prope Conſentiam erat ob incurſionem Saracenorum diſceſſiſſe, atque in Samnium contendiſſe, ex quibus ſeptem tantum ad noſtram notitiam pervenerunt, nempe *Hilarius*, *Nicolaus*, *Falcus*, *Rinaldus*, *Joannes*, *Franciſcus*, & *Oranthes*. Conjicere autem licet pleroſque eorum Conſentinos fuiſſe, & Monaſterium extitiſſe ubi nunc dicitur *Canale*, jam dirutum. Incurſio ſiquidem Saracenorum quæ evenit ſub annum 986. a S. Nilo Abbate prædicta fuit; quapropter ipſe e Calabria diſceſſit anno Chriſti 980. ut fert Lauretus in adnotat. in Chron. Caſin. lib. II. cap. XI. Cumque in vita S. Hilarii mentio fiat de fame quæ incidit ſub annum 983. facile evincitur circa hæc tempora Hilarium ad Samnium ſe contuliſſe cum ſociis, qui per oppida, pagoſque diſſeminati vitam eremiticam ſanctiſſime profeſſi ſunt.

CA-

# CAPUT XIX.

## *De Calabriæ ab Agarenis populis vastatione.*

ANno domini Dccccviii. Anastasii tertii tempore Patricius Leonis Constantinopolitani Imperatoris dux Italiam ingressus se omnia brevi eversurum minabatur ni Leoni Imperatori propere obtemperarent. Sed a Landulpho Beneventanorum principe ingenti prælio superatus fuit. Quo circa Græci Agarenos in Italiam accersunt, qui Calabriam, Lucaniam, & Apuliam anno a Virgineo partu Dccccl. vastarunt. Atque inde moventes urbis Romæ exitium se illaturos minabantur, qui a Ioanne undecimo superati loca omnia ferme, quæ in littore Italico obtinebant, incenderunt. Quam vastitatem beatus Nilus, divinæ mentis instinctu præsagivit. Inde Otho secundus Joannis quartidecimi tempore Agarenos Consentia recepta, cæcidit, & Græcos, qui cum Mauris fœdus inierant magnis præliis attrivit, atque eos omnes fere ex Calabria & Apulia ejecit. Quia (1) Nicephorus Constantinopolitanus Imperator (2) filiam ei pactam in matrimonium tradere negabat. Postea Benedicti septimi tempore Otho ipse magno exercitu comparato contra Basilium & Constantium Imperatores Græcos homines, qui Calabriam occupaverant, (*a*) apud Basentum amnem juxta Consentiam a Græcis superatus (3) Scapha salutem sibi fuga comparavit. Anno post Christum natum Dccccl. Beati Nili temporibus denuo Græci & Cretenses Mauri & Pœni inita societate ac comparato exercitu ingenti classe adjutoribus Siculis Calabriam, Lucaniam, & Apuliam depopulati sunt " præter Rhegium, & Scylaceum & Rossanum quorum urbes expugnare non potuerunt ". Quos Guilelmus Tancredi filius, sive, ut alii, Robertus ejus filius, frater Rogerii Sergii quarti Rom. Pont. tempore Mauros, Pœnosque, atque etiam Græcos ex Calabria exegit, præter sacerdotes Græcos. Et a Nicolao secundo Rex Siciliæ citra & ultra farum appellatus est.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Nicephorus.* Phocas, qui sex annos regnavit, nempe ab anno 963. usque ad 969. secundum Petavium.

2. *Filiam ei pactam*. Theophania, quam Nicephorus Phocas Othoni spopondisse dicitur, non fuit ejus filia, sed potius soror secundum quosdam; Lambertus an. 972. a Petavio laudatus Constantini filiam fuisse tradit. Vide Synopsim in principio hujus operis ad ann. 968.

3. *Scapha.* Basenti aquæ scapham non patiuntur. Potius conjiciendum flumen Racanellum in agro Rossanensi, ut diximus in Synopsi Chronologica. Quidam asserunt Othonem natando evasisse. Vide Sigebertum.

SER-

SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(a) *Apud Basentum amnem juxta Consentiam a Græcis superatus scapha salutem sibi comparavit*. Hoc falsum est; nam historici de illius nominis flumine intelligunt, quod est in Lucania, & Busentum Brutiorum navicula nunquam trajicitur.

# CAPUT XX.

## *De vernacula Calabrorum dialecto, aliisque notatu dignis.*

UTuntur Calabri in vernaculo sermone Latina lingua, quam a Latinis eo a senatu missis didicerunt; quanquam pleraque adhuc Græca vocabula retineant, nonnullaque Græca oppida, ut dixi, in ea pagique Græci sint. Et præterea Latina vocabula, quæ toti nunc Italiæ communia sunt, multis aliis Calabri utuntur, quæ nullibi, quod sciam, Latio excepto, in usu sunt. Utunturque Calabri verborum temporibus proprie ut a Latinis didicerunt. Quare si Buccatius Florentinus Latinam & Græcam linguam probe calluisset, nunquam dixisset Calabros Teutonice loqui, agnovissetque Tuscos suos pessime omnium Italorum Latina lingua abuti, ac semibarbare loqui. Servatur alicubi in Calabria priscus Latinus lugendi mortuos ritus, ubi (1) præfica in funere pretio conducta aliis ad nænias canendas & lamentabilem cantum, ejulatumque modum dat. Inferiis vero peractis mortui consanguinei & affines eduliis comportatis, defuncti domi, una accumbunt; "verum mulieres pullatæ in pavimento vel solario pullis pannis aut auleis, tapetisque strato sedentes edunt". Licet temerarius quidam bonarum literarum & historiarum nescius morem hunc irrideat. Mulieres Calabræ suapte natura virtutis gratia, & quod aquæ nobiles sint & innoxiæ, sunt abstemiæ. Probro datur eis si vinum gustent, nisi vetula sit, aut puerpera. Quamvis Alcinous Siculus, Athenæo libro decimo referente, Fabulosum quidpiam hac de re scribat, & Herculi assignet, quod ob negatum sibi a muliere quadam vinosa secundum Crotonem vinum, mulieribus vini usum interdixerit. Anno a Christi natali MDXLIV (a) Franciscus Gallorum Rex adversus Carolum quintum Cæsarem classem e Bizantio accivit, quæ omnia Calabriæ & Lucaniæ maritima oppida diripuit, & magnam utriusque sexus & omnis ætatis manum captivam duxit. Nunc reliquum est, ut de ejus ubertate aliquid dicamus.

THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Præfica*. Unde dicta sit docet Festus. *Præficæ*, inquit idem, *dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc præfectæ*. Habetur etiam Hierem. IX. 17. *Contemplamini & vocate lamentatrices, & veniant, & ad eas quæ sapien-*

*pientes sunt mittite*, *& properent*. Vide Gell. lib XVIII. cap. VII. & dissert. Hieronymi Barufaldi, *de Præficis*.

## SERT. QUATTR. ANIMADVER.

(*a*) *Franciscus Gallorum Rex*. Quomodo Francisci tempore Turcarum classis omnia Lucaniæ & Calabriæ oppida depopulata est; si nihil aliud tunc temporis diripuit, quam Nicetum & Lampetiam? Hoc est contra omnem historiæ fidem.

# CAPUT XXI.

## *De Calabriæ ubertate, ac felicitate.*

EQuidem regionem cum regione conferendo omnium Italiæ regionum, absit verbo invidia, est Calabria optima. Nam præter vetustatis nobilitatem, qua, ut palam est, omnes Italiæ regiones, Latio fortasse excepto, excellit, regionis præstantia, fecunditas ac bonitas ex ipso nomine percipi potest; a *calo* enim, ut alias dixi, idest *bono*; & *bryo* idest *scaturio* est dicta, quod bonis omnibus scaturiat. Et, ut Herodotus libro primo ait, nec una regio cuncta sibi ipsi suppeditat, sed aliud habens, alio indiget, quæ tamen habet plurima, ea est optima. Et Dionysius Halicar. eam regionem optimam esse dicit, quæ quicquid vitæ mortalium est necessarium gignit, sibique per se satis est, nec multum adventitiis bonis indiget, hanc solam Italiam esse asserit. Hac ego ratione omnium Italiæ regionum Calabriam optimam esse dico. Nam ut retuli, quicquid mortalibus est necessarium terra ipsa per se felix abunde gignit, nullisque adscititiis bonis eget, sed per se sibimet suppetit. Quin etiam multa foras emittit, & quidem neque Messanæ sine Calabro commeatu vivere possunt: multaque in ea proveniunt ac fiunt, quæ pertinent ad ornatum. Est quippe universum Calabrum solum felix & amœnum, non stagnis impeditum, sed liberum & herbidum, pabulis accommodatum. Ubi Cærealium inaudita fecunditas viget, & vivi ac perspicui fontes emanant. Tellus pulla est, de cujus bonitate in libro de laudibus Italiæ Plinii auctoritate diximus. Et ut singula recenseam, sunt Calabra arva pinguia, & feraces campi, ubi cernere est simul & mirari quam grandes segetes, novales & campi ipsi roscidi emittant. Montes in eis sunt frugiferi, & aprici, pinguesque; colles frugibus, vitibus, arboribusque, impendio apti, ac benigno ventorum afflatui expositi; valles amœnæ, & frugales; extant & amœna opacave nemora singulari quadam voluptate conferta, spirantibus usquequaque suavissimis auris: pascua item pabulaque ibi florentissima sunt, teneris herbis floribusque virentia, perennibus rivis irrigata. Ac, præter cetera, provenit ibi sponte sua (1) Medicæ herbæ ingens copia, qua armenta gregesque saginantur. Quam herbam e Media in Italiam advectam quidam astruunt; sed nempe in Calabria, & præsertim orientali tractu multis locis, quæ nunquam vomeres sensere, neque ligones, sarculave ultro nascitur locis argillosis. Quare opinan-

opinandum eſt, cum e Media allata eſt in Latium, ignotum fuiſſe Romanis in Calabria naſci. Habet adhuc Calabria munificas ac pulcherrimas ſilvas tum optimæ picis & reſinæ ac terebinthinæ feraces; tum proceris omnis generis arboribus & aquis frigidis refertas, & ad domorum tigna, reliquave utenſilia, & ad navium fabricam aptas, ac venationi ſatis commodas, præſtant enim cubilia feris. Habet & paſſim glandiferas ſilvas ad porcos alendos adeo commodas. Sunt enim glandiferæ arbores, ait Plin. quercus bigena, harum altera latifolia dicitur ab effectu, farnam vocant: robur, ilex bigena, harum altera parva eſt, & coccum fert, æſculus, fagus, cerrus, ægylops, carilum vocant: hemeris & haliphleos: ferunt glandiferæ arbores, ait idem, Agaricum, fungus eſt candidus, odoratus, nocte relucens: naſcitur in Calabria e quercu aculeatis ſpiculis ſed tenellis herinacei modo obductus, arnacem vocant accolæ, quo in cibo utuntur. In Subalpina Italia & in Carnis ſive Japidia legitur ex larice, arbor eſt altiſſima, montes amat, foliis pini ſimilibus, quæ non decidunt, fert & reſinam, decerpunt illum menſe Auguſto vel Septembri cum triennio in arbore ſteterit, ut ſit optimus. Naſcitur ſub ramorum truncis pediculo innixus, atque eo melius, quo arbor vetuſtior. Siccatur Sole, & decorticatur. Habet præterea Calabria vulgo caſtaneta, & ad mortalium uſum, & ad porcos alendos opportuna. Adde & nobilium herbarum ad morbos pellendos copiam: proveniunt & paſſim ſponte nobiles plantæ, ut platanus, vitex, terebinthus, oleander, ſiliqua ſilveſtris, arbutus: Item crocus ſilveſtris, rubea tinctorea, glycirrhiza, id eſt radix dulcis, tubera. Nec deſunt tepentium calidarumque ſcaturigines aquarum morbis curandis opportunæ. Frigidorum quoque laticum dulcium, levium, & innoxiorum ſcatebræ perſpicuæ, quæ paſſim erumpunt, quas parens ipſa natura ad incolarum commoditatem & ſalutem comparavit. Effluunt & multis locis fontes ſalſam aquam manantes, ex qua fit muries. Irrigatur & tota Calabriæ regio innumeris prope ſimul parvis ſimul magnis fluminibus, & his piſculentis. Quorum quidam ad morbos depellendos alioſque inſignes effectus ſunt commodi.

Mare quoque Calabrum ex utroque latere piſcoſum eſt, variis clariſque piſcibus, tum thynnis, xiphiis, & murenis fecundum. Ubi multis locis coralium optimum album, & rubeum naſcitur. Venatio ibi & aucupium nobiles ſunt & variæ; nam multigenæ quadrupedes ſtabulantur, & alites nidificant, ut apri, cervi, capreæ, lepores, vulpes, lynces, (2) lutræ, ſciuri, martes, meles, viverræ, iſtrices, herinacei, teſtudines, tum aquaticæ, tum terreſtres, glires: ex alitibus phaſiani, externæ, perdices, coturnices, ruſticulæ (*a*) gallinagines, palumbi, phaſſæ, cornices, turtures, turdi, merulæ, ficedulæ, & aliæ parvæ aves, & accipitrum genera plura: item aquaticæ aves, & præſertim ardeæ. Nec caret armentis, gregibuſque. Quam rem Varro rei ruſt: libro ſecundo commemorans inquit: *Nobiles pecuariæ in Brettiis habentur*. Equi præterea peroptimi ibi generantur eximiæ pernicitatis & magni, quorum armenta multis locis exiſtunt. (3) Metallis olim nequaquam caruit, & in præſens eiſdem exuberat, cum ſit ſane tota metallifera, ubi aurum, argentum, ferrum, ſal foſſile, marmor, alabaſtrites, cryſtallus, pyritides, ideſt *marchaſita*, gypſi triagenera, ſynopes

 ſive ut

ſive ut alii, minium, rubrica fabrilis, chalcanthum, bolum, alumen, ſulphur, aetites, hematites, gagates, magneſia. Magnetis, ait Plinius libro trigeſimoſexto, genera quinque ſunt. Quintum in Magneſia naſcitur, rufus eſt & niger, nec attrahens ferrum. Item beryllus, ſmiris, pumex, cos, ſilex, cos aquaria & olearia, lapis molaris olearius, & frumentarius, lapis obſidianus "ex quo fit vitrum" lapis, quo pictores imagines inumbrant, lapis ſpecularis, lapis Phrygius, lapis ophites, lapis ſive color cyaneus. Sunt, qui amianthum in Calabria ſecundum ſalisfodinam naſci tradunt, ſed mihi compertum non eſt. Honeſtatur inſuper Calabria nobilibus crebriſque emporiis, quæ paſſim in annos ſingulos celebrantur. Quæ alicubi quindenis diebus, alicubi octenis, alicubi quatriduo, alicubi minimum biduo perdurant. Opificia quoque perpulcra fiunt, ſive ex terra ac creta, ſive ex ligno vaſa quæras, ſive ex lana vel colorea vel tincta, ſive ex lino, cannabive, & ex goſſipeo, & ſerico veſtes, ſupellectiliave mavis. Exuberat verumenim & frumento, & eo nempe probatiſſimo, quod, Plinio libro decimo octavo referente, ante mortem Alexandri magni annis fere cxlv. So phocles poeta tragicus in Triptolemo, qua in fabula Dionyſio Halicarnaſſeo teſte, Ceres inducitur, ante cuncta laudavit. Ad verbum translata ſententia: *Et fortunatam Italiam frumento caneſcere candido*. Quod ſane de Calabria tum tantum Italia dicta intellexit, ceu ex Dionyſii verbis in propatulo eſt, quod jam expoſui. Sunt in Calabria frumenti genera plura, triticum, ſiligo, far, ſecla, irio, (*b*) diminum vocant, triminum, quod Turcicum appellant, ſagria, robus, roſiam vocant, cingia. Fiunt zea, ſpeltam vocant, hordeum, oriza, & ſeſami copia ingens. Affluit & omnis generis leguminibus, inter quæ etiam lupinis, quibus tellus & armenta pingueſcunt. Redundat & vino, oleo, ac melle, & his porro optimis.

Abundat præterea arborum fructibus omnis generis ſapidis & innoxiis, præcipui ſaporis. Et, præter cetera poma, mila in ea fiunt, quæ alibi ſana, alibi æſtiva appellantur: magna ſunt & præcipui ſaporis, quæ in arcis aſſervata mirum ſpirant odorem, & ægris ac febre laborantibus innoxia: quæ in ore inſtar ſaccari liquefiunt. Laudatur & Romæ viſcum Calabrum, quod tenacitate alia omnia præſtat. Exiſtunt & paſſim horti nemoroſi malorum aureorum, limonum duum generum, & citrorum arboribus inſtructi, & amœnitate referti. Fit & ſerici probatiſſimi copia ingens, quod inter Italica ſerica bonitate obtinet principatum. Plurimum enim (4) necydalis bombycibuſque nutriendis dant operam. Goſſipii itidem plurimum fit. Lina affatim fiunt, horum genera duo, maſculum vocant alterum, femineum alterum martio menſe ſatum ſuperiori præſtantius, Alexandrino minimum invidens. Cannabis etiam bigena fit, & crocus, ſaccarum, aniſium, coriandrum & id laudatiſſimum. Sed quid de cæli clementia ac temperie dicam? Habet nempe Calabria terras hieme æſtateque vernantes & amœnas, vere quidem humanæ voluptatis loca: aer ibi purus, mitis, & blandus: ubi nec vis rigidæ hiemis, nec ſolis æſtus immenſus terræ virentia perurit, aut incolas fatigat; ſed quieta moderatio, compoſitaque, ac grata temperies ſalubri ſuavique eos vegetatione ſuſtentat. Ita fit ut plurimis locis (5) avos proavoſque videas. Sed quid his immoror? Quid multis opus eſt verbis; quando,

do, præter ea, quæ dicta sunt id unum maximum de hujus regionis temperie ac clementia cæli argumentum esse potest, quod (6) aereum mel, quod manna vocant, cæleste alimentum, atque vere nectar, atque ambrosia passim affatim stillat ac legitur? Et quod Israelitæ in deserto pro miracolo longe mirabantur, hic felix ipsa natura sua sponte præstat. Quod quomodo fiat Pontanus in libro Meteororum Calabriam felicem appellans sic scribit:

*Quinetiam Calabris in montibus ac per opacum*
*Labitur ingenti Crathis qua cærulus alveo,*
*Quaque etiam Syriis silvæ convallibus horrent:*
*Felices Silvæ, quarum de fronde liquescunt*
*Divini roris latices, quos sedula passim*
*Turba legit, gratum auxilium languentibus ægris.*
*Illic æstate in media sub sole furenti*
*Dum regnat calor, & terræ finduntur biantes,*
*Tum tener ille vapor sensim sublatus ab æstu,*
*Versatusque die, multoque incoctus ab igni,*
*Concava per loca, & arescentibus undique silvis,*
*Ingratum ut sensit frigus sub nocte madenti,*
*Cum nullæ spirant auræ, & silet humidus aer;*
*Contrahitur paulatim, & lento humore coactus,*
*In guttas abit, & foliis sitientibus hærens,*
*Lentescit, rursumque diuturno a sole recoctus;*
*Induit & speciem ceræ, mellisque saporem:*
*Quod & apes præstant arte, ingenitoque favore,*
*Hoc medicos natura hominum producit in usus.*

Et libro astrorum Calabriam laudans, eamque cum cetera Italia sub Leone esse asserens, ita fatus est:

*Et tellus late ingenti circundata Sila,*
*Dives agri, dives pecoris, longe optima nutrix*
*Lenææ vitis, ditique argentea gleba,*
*Clarorum inventrix studiorum, atque æmula divis,*
*Magna viris, magna ingeniis, atque urbibus ingens.*

Cum itaque Pontanus tam optime de Calabria ejusque incolis senserit scripseritque, opinari cuique prudenti ac probo viro licet convicium, quod in ejus libris de Calabris scriptum est a Campano quopiam subdolo ac perverso fuisse insertum, ut sub tanti viri nomine fides perhibeatur mendacio. Item Joannes Ant. Campanus in Epistola, quæ est ad Secundinum, nullum locum in Italia nomine ac vetustate clariorem esse existimat, quam Calabriam. Ac nullibi philosophi plures & meliores, quam ibi, nullibi ingenia cultiora, quam Calabris, & undique. Item Horatius de eadem Calabriæ ora scribens carminum libro secundo sic infit:

(c) *Ille terrarum mihi præter omnes,*
*Angulus ridet, ubi non Hymetto*
*Mella decedunt, viridique certat*
*Bacca Venafro.*

*Ver*

*Ver ubi longum, tepidaſque præbet*
*Juppiter brumas & amicus Aulon;*
*Fertilis Baccho, minimum Falernis*
*Invidet uvis:*
*Ille te mecum locus, & beatæ*
*Poſtulant arces: ibi tu calentem*
*Debita ſparges lacrima favillam*
*Vatis amici.*

Sane palam eſt apud Strabonem Aulonem eundem & Caulonem montem, a quo Caulonia oppidum dictum eſt, in Calabria eſſe. Maro quoque libro tertio Caulonis arces commeminit. Euripides, ut dudum oſtendi, Calabriam fertilem eſſe, & fortibus viris abundare ſcribit. Plurimos quidem, & eos præſtantiſſimos viros, & philoſophos, & poetas, & geometras, & medicos, & legislatores, aliarumque rerum ſcriptores, & ingenioſos variorum operum artifices, & pictores, & ſculptores, ac novarum rerum inventores, nec non robuſtiſſimos athletas, duceſque, eruditaſque mulieres, & ſanctiſſimos viros ac mulieres edidit Calabria, ut ſuis locis oſtendemus, quot qualeſque nulla Italiæ regio, Latio excepto ob Romæ majeſtatem, protulit. Item Athalaricus rex in Epiſtola ad Severum apud Caſſiodorum libro octavo de hac regione ita ſcribit: „ Redeant poſſeſſores & curiales Brettii ad civitates ſuas. Coloni ſunt, qui „ agros iugiter colunt, patiantur ſe a ruſticitate diviſos, quibus & ho„ nores dedimus, & actiones publicas probabili æſtimatione commiſi„ mus. In ea præſertim regione, ubi affatim veniunt inelaboratæ deli„ ciæ, Ceres ubi multa fecunditate luxuriat, Pallas etiam non minima „ largitate congaudet. Plana rident paſcuis fecundis, erecta vindemiis. „ Abundat multifariis animalium gregibus, ſed equinis maxime gloria„ tur armentis. Merito quando ardenti tempore tale eſt vernum ſilva„ rum, ut nec muſcarum aculeis animalia fatigentur, & herbarum „ ſemper virentium ſatietatibus expleantur. Videas per cacumina mon„ tium rivos ire puriſſimos, & quaſi ex edito profluant, ſic per Alpium „ ſumma decurrunt. Additur, quod utroque latere copioſa marina poſſi„ det frequentatione commercia, ut & propriis fluctibus affluenter exu„ berat, & peregrino penu vicinitate littorum compleantur. Vivunt illic „ ruſtici epulis urbanorum, mediocres abundantia præpotentum, ut nec „ minima ibi fortuna copiis probetur excepta. Hanc ergo provinciam „ civitatibus nolunt excolere, quam velut in agris ſuis ſe fatentur omni„ no diligere? „ Et in calce epiſtolæ. „ Sed ulterius in eandem conſue„ tudinem mens aliter imbuta relabatur, datis fideijuſſoribus tam poſſeſſo„ res, quam curiales ſub æſtimatione virum, pœna interpoſita, pro„ mittant anni parte majore ſe in civitatibus manere, quas habitare de„ legerint. Sic fiat, ut eis nec ornatus deſit civium, nec voluptas dene„ getur agrorum. „ Et in alia epiſtola ad eundem. „ Quicquid enim „ præcipuum opulenti Brettii mittunt, aut Calabri peculioſi. „ Et in „ epiſtola ad Bergantinum apud eundem Caſſidorum libro nono: „ Qua„ propter ad maſſiam ruris noſtri, ad ruſticanam in Brettiorum provincia

„ conſti-

„ constitutam magnitudinem tuam jubemus chartarium destinare. Et si „ ut ab artifice harum rerum, Theodoro, dicitur, moderatis rebus terra „ fecunda est, officinis solemniter institutis, montium viscera perquirantur, intretur beneficio artis in penetrale telluris, & velut in thesauris „ suis natura locuples inquiratur „. Et infra. „ Proinde quicquid ad „ exercendam hujus artis peritiam pertinere cognoscitis, ordinatio „ vestra perficiat, ut & terra Brettiorum ex se tributum, quod dare possit, inveniat, quæ fructibus copiosa luxuriat. Decet enim, ut inter „ tanta bona, nec illa desint, quæ putantur esse præcipua. Cur enim jaceat sine usu, quod honestum potest esse compendium „? Et libro xii. „ Brettiorum mare dulces mittat acernas „. Et libro xiii. „ Brettii „ bovum pecus indigena ubertate præstant „. Jure igitur optimo sapientissimi illi Græci hanc regionem Auxonam, & inde Calabriam appellavere, hoc uno vocabulo optima eaque plurima, ut dixi, in ea gigni prætendentes. Et licet regio hæc ob incolarum vicissitudines, & regnantium nomina multis fuerit, ut ostendi, nuncupata nominibus, priscum tamen illud & peculiare nomen *Calabriæ*, ut semel atque iterum retuli, quod regioni aptissime & proprie convenit, retinet. Rediit namque tandem & quidem jampridem in hanc regionem patriam quondam suam Calabriæ nomen, jusque priscum suum sibi vindicavit, quod olim ab aliis hujus regionis nominibus motum, ac relegatum extra eam inquam angustissimo loco exul permoleste aliquandiu jacuit. Videbat enim quod nullibi in Italia, præterquam in hac regione, rite ac jure esse poterat. Rediit autem, iis regionis hujus nominibus, quæ se antea relegaverant, viceversa relegatis, aut toti nunc Italiæ, aut parti ejus attributis & impertitiis. Morgetia enim & Magna Græcia nomina obsoluerunt prorsus & obliterata sunt: Auxonia autem, ut ostendi, & Hesperia, & Oenotria, & Italia toti nunc Italiæ impertita, Sicilia vero Trinacliæ insulæ, Japigia & Salentina Apuliæ parti quotæ. Jam vero Constantini & Silvestri temporibus Nicænæ Synodo Primæ Episcopus ex Calabria, utpote Rheginus interfuit præsens. Inde Constantii Constantini filii, & Julii primi temporibus Synodo Sardicæ, quæ Illyrii est civitas, celebratæ affuere Episcopi ex Calabria, ut tradit Theodoretus, quod ipsum argumentum est, longe ante hæc tempora Calabrum nomen in hanc regionem rediisse. Ait enim libro secundo Historiæ Ecclesiasticæ: „ Sancta Synodus Sardicæ Dei „ gratia coacta a Roma, Hispania, Gallia, Italia, Campana, Cala- „ bria, Africa, „ & quæ sequuntur. Calabria præcipue uti magna ac nobilis Italiæ pars, & Græcis orientalibus notissima, scilicet antea Magna Græcia appellata commemoratur. " Jam vero Isacius in Lycophron. Temesam Calabriæ urbem scribit, & Pausanias in Eliac. de Temesa & Euthimo loquens mentionem facit de Calabro fluvio ".

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Medicæ herbæ*. Ab accolis hæc herba *zolla*, a quibusdam *sulla*, ab aliis *trifolium* appellatur, herba scilicet trium foliorum. Virg. lib. 1. Georgic.

...... *Tunc te quoque medica putres*
*Accipiunt sulci*.

2. *Lutræ*. Lutra sive lytra animal est amphibium; simile fibro, so-

la

la cauda differens, cum fiber piscis caudam habeat. Ait autem Varro lib. IV. L.L. *Lutra & fiber idem sunt ac voligo:* Lutra *quod succidere dicitur arborum radices in ripa, atque eas dissolvere:* fiber *ab extrema ora fluminis dextra & sinistra, maxime quod solet videri; & antiqui* fibrum *dicebant extremum; unde in sagis extrema* fimbriæ *& in jecore extremum* fibra: *hinc* fiber *dictus*. Vide Plinium lib. VIII. Cap. XXX.

3. *Metallis*. Vide Metallothecam Vaticanam Michaelis Mercati, Romæ apud Salvioni Sanctissimi Pontificis Clementis XI. munificentia excusam, & Jo. Mariæ Lancisii Archiatri notis disertissimis illustratam, cujus typorum correctio nobis ab eodem Pontifice benefactore bonarumque artium restitutore concredita fuit.

4. *Necydalis*. Vermis iste erucæ similis, qui apud Indiam, Æthiopiam, & Seres (unde in aliquibus Calabriæ locis, præsertim Consentiæ *Siricus* appellatur) in aranearum morem tenuissima fila ducit, primum quidem *bombylis*, deinde *necydalus*, demum *bombyx* dicitur, voce accepta a barbaris. Vide Plin. lib. XI. cap. XXII. & XXIII. Propert. lib. II. eleg. II.

*Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.*

5. *Avos proavosque videas*. Novi ego Filleni ubi natus sum Cæsarem Mazzucam hominem rusticum a Cellariis finitimo oppidulo, qui vitam usque ad annum centesimum decimum quintum feliciter traductam in extremis deplorans, *Ehu*, dicebat, *vita mea unius diei!*

6. *Aereum mel, quod manna vocant*. Liquorem hunc Pater meus Antonius, vir probus, mihi adolescentulo secum prope Fillenum deambulanti, oriente sole, ac cælo sereno, in foliis castanearum gustandum tradidit aliquando: erat siquidem albi coloris; primumque mihi tunc manna innotuit.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Gallinago*. Nobis *Beccaccia*, *Gallina cieca*, *Acceggia*. Vox compita a Theodoro Gaza: quid sint Phassæ non intelligo.

(*b*) *Diminum & triminum*. *Trimestre* appellant Latini & *Bimestre*, Græci *Trimenon*, Tusci *Marzajuolo* & *Marzuolo*. Nos *Diminio*; Hinc Barrius Latinum nomen formavit.

(c) *Ille terrarum &c.* Non intelligit hic Horatius de *Caulone* Monte Calabriæ, a quo *Caulonia* Civitas denominata est, ut Servius, in 3. Aeneid. & Acron in Horatium sentiunt; sed locum intelligit, qui est contra Tarentinam regionem, ut Porphyrius in Horatium, & Beroaldus in Servium; quod etiam confirmat Antonius Galateus libello de situ Japigiæ: quin & carmina Horatiana aperte Tarentinum Aulonem designant.

# CAPUT XXII.

## *De Calabriæ planctu.*

CUm igitur Calabriæ regio talis sit, ac longe compendiosa Regibus, ab omni onere etiam justo vacare deberet, & dignis honoribus honestari. Sed, heu tempora, non modo ordinariis exactionibus fatigatur, sed injustis etiam ac gravibus extorsionibus vexatur. Quare multi etiam vineas exciderunt ob nimiam earum census æstimationem. Adde quod utraque regionis maritima plaga annis singulis gravissime a pyratis infestatur; unde oppida pagique crebro direptioni, sanguini, & igni traduntur; segetes exuruntur, vineta, olivetaque, ceteræque arbores exciduntur; pecora, ac pecudes, &, quod miserabilius & infelicius est, utriusque sexus, & omnis ætatis homines prædæ dantur. Qua ex re oppida pagive civibus vacui sunt, & agri multis locis rudes sunt & inculti. Nemo est, qui maria tueatur, itinera a prædonibus & latronibus infestata securitati det, tam magnam captivorum manum recenseat, eosque a barbarica servitute redimat, & Christianæ libertati reddat; sed sunt, qui nulla belli necessitate singulis tribus lustris omnis sexus & ætatis populos recenseat, & vel a pauperrimis tributa exigant. Id quod nequaquam erat apud Romanos, sed denarius tantum in singula capita quotannis Imperio solvebatur. Servius Tullius sextus Romanorum rex cives infra numerum quinque millia æris habentes sine censu reliquit, quasi tenues & impotentes. Senatus Porsenæ tempore & semper in magna necessitate plebem a tributo liberavit, decrevitque, ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent, pauperes satis stipendii pendere, si liberos educent. Adde quod regio ipsa monstris etiam, regulis inquam & tyrannis abundat, (1) qui eam expilant & deglubunt, ac veluti alteri Campani Læstrygones ob inexplebilem sitim & inexaustam avaritiam mortalium labores depascunt in dies; & silvas, saltus, agros, pabula, flumina, aucupia, venationes, omnia demum populorum jura sibi usurparunt. Quare populos sibi subjectos quod eos longe vexent, vexallos, hoc est vexatos appellant. Quod Romani modestiæ causa non subjectos appellabant, sed socios. Mercaturam insuper vilem rem ingenuis hominibus indignam eorum plerique exercent. Apud Romanos in tanto Imperio nequaquam tot famelicæ & insatiabiles harpyæ erant mortalium labores depascentes. Verum enimvero multæ claræ Urbes molestissimas excussere e cervice bipennes, quod duræ servitutis jugum ferre non valerent.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Qui eam expilant & deglubunt.* Tiberius, teste Suetonio in ejus vita cap. XXXII. Principibus Provincias tributis onerandas suadentibus hoc vere aureum ac cedro dignum apophthegma scripsit: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.*

*Finis Libri Primi.*

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT I.

### *Præmittuntur quædam notatu digna antequam Calabria ſingillatim deſcribatur.*

NUNC autem, quia de regione univerſe ſatis dictum habeo, ſupereſt ut eam ſingillatim ſcribere aggrediar, ac quicquid quoquo in loco memoratu dignum ſit annotare. Qua in re majus mihi opus incumbit. Nam cum quorundam locorum atque urbium priſca nomina immutata ſint, & oppida quædam interierint prorſus, quorundam, quæ ſolo æquata fuerunt, mutatæ ſedes, magna ad ea indaganda, adhibenda mihi cura fuit, magnus ſubeundus labor. Præſertim etiam quod veteres ſcriptores loca pleraque haud quidem diſtincte, ſed confuſe ſcribant. Siquidem Strabo locorum ordinem interdum ita confundit, ut vix ex eo facile dignoſci poſſint. Nam ſupra Locrum, & Cauloniam, Mamertum, & Brettianam ſilvam eſſe ſcribit, quæ in hac ora non eſſe ſuis locis docebimus. Item poſt Scylaceum Crotoniatarum fines, & Japigum terna promontoria eſſe dicit; ſed qui Locrenſium & Crotoniatarum fines ſint, utpote Crotalus fluvius, aut Semiris, quæve tria hæc promontoria ſint, nequaquam enodat. Rurſus Philoctetem juxta Peteliam Crimiſſam condidiſſe ait, atque Apollodorum dixiſſe Philoctetem in Crimiſſa promontorio agri Crotoniatarum Chonim oppidum extruxiſſe, ſed in qua parte agri Crotoniatæ, utpote leva aut dextra ſit Crimiſſa promontorium, non elucidat. Et duo oppida in hoc promontorio a Philoctete condita fuiſſe oſtendit, Crimiſſam, & Chonim. Cum de Petelia, & Cerillis fatur adeo implicite ſcribit, ut quo in loco ſint ex eo ſciri non poſſit. Neque hoc crimine carent alii plerique. Adde quod veterum ſcriptorum codices mendis plurimis ſcatent, tum temporum malignitate, tum quia dum quidam eos emendare deſudant, atque elaborant, magis depravant. Neoterici quoque ſcriptores tum veterum mendoſis libris, tum vulgi, & imperitorum opinionibus ac fabellis innixi in multos errores lapſi ſunt. Ut Raphael Volaterranus. Guido Ravennas, Blondus Forolivienſis, Pandolphus Collenutius Piſaurienſis, Sebaſtianus Corradus, & alii plurimi. Quid de vulgaribus ignorantiſſimis ſcriptoribus dicam? Quibus magnæ curæ fuit ingentia quidem, ſed nugis, conviciis & mendaciis conferta volumina ſcribere. Qui ſuos ineptos & indignos & inſanos ac propediem perituros labores Italiæ equiſonibus, mulionibus, laniis, coquis, cauponibus, piſtoribus, bajulis, morionibus, cetariis, fartoribus, cupedinariis, cerdonibus, veterementariis, & eiuſmodi infimæ ſortis hominibus, & deliris aniculis, & mulierculis, ac demum ſcortis parant. Nam Latine ſcribere neſciunt & Latina quæſtus gratia vulgaria faciunt, quod facilius

fit

ſit opus diſſolvere quam conficere. Graves autem & eruditi viri gravia, ac Latinæ linguæ nitorem, gravitatem, ac majeſtatem ſectantur, & Latina ſcripta legunt, & Latine ſcribunt, quo ſua ingenia, judicia, ac doctrina ubique Gentium pateant, cunctis utilitati ſint, & æternitate donentur; vulgares vero libellos uti indignas & viles res abominantur & execrantur. (1) Quare ego illis, qui hos alioſque meos libros Latine a me editos in vulgarem ſermonem vertere audebunt, jam nunc Dei iram imprecor, ne exigant annum. Atque ne hæ imprecationes meæ in hujuſmodi improbos, nefarios, & lucriones homines irritæ ſint; Deum ipſum vindicem imploro. Nolo enim meas lucubratiunculas, qualeſcumque hæ ſint in Italia tantum maligni ac ſordidi & imperiti vulgi obtuſo & hebeti judicio exponi, ac brevi aboleri, ſed ubique gentium in eruditorum manibus verſari, & æternitate donari. Futurum eſt enim, & ut quantum auguror, e proximo, ut Latina lingua " in ligno Crucis cum Hebræa & Græca conſecrata " ſimul cum fide & Imperio Romano rurſus univerſum orbem permeet. Vulgares autem libelli propediem cum ſuis Auctoribus interibunt." Quomodo inſuper quæſo eruditi viri, qui ob amorem virtutis, & ſtudioſorum utilitatem ſe totum in bibliothecam abdidit & omnes ſuas curas, omnes cogitationes, laborem, ſtudium, omnem demum operam in diſciplinas Latinique eloquii ſcientiam contulit, animumque ad Latine ſcribendum appulit; judicium, ingenium, & doctrina a vili & ſtolido vulgo cognoſci poteſt? Item ſcribendi phraſis, ſtilus, ornatus, elegantia, eloquentia?" Sed hac de re, & quod ingenuæ diſciplinæ cum vulgo communicandæ non ſint, uberius in libris pro lingua Latina fati ſumus: quare ad inſtitutum redeamus. Attamen id unum præfari mihi viſum fuit, quod loca, quæ ſanctorum nominibus a vulgo appellantur, ſine ſancti additamento ſcribenda, & quæ duobus nominibus ab eo ipſo vulgo appellantur, ut Latinitas patitur, componenda cenſuimus. Non enim portus & mons ſanctus appellandus eſt, aut oppidum ſanctum, quia ſic ignarum vulgus appellat, etiam ſi in eo alicui Sancto ædes dicata ſit. Iam vero Laurentum Latii oppidum a Pico rege conditum *ſanctus Laurentius* vocatur a vulgo; Et Siberena Calabriæ urbs ab Oenotriis extructa *Sancta Severina* a vulgo appellatur, ſunt & alia ejuſmodi prope innumera. Proinde non inſani & ignari vulgi conſuetudinem, ſed hiſtoriæ, & Latinitatis rationem ſequamur. Vulgus enim, ut eſt imperitum & rude, ita eſt credulum, præceps, audax, & obſtinatum, de quo plura diximus in libris pro lingua Latina.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Quare ego illis &c.* Venia dignus eſt Barrius, qui ſæculo illo aureo vixit, cum lingua Italica potiſſimum floreret, quæ ut longe lateque diffunderetur, plerique literatorum huic ſtudio innixi libros e Latino in Italicum ſermonem traducere conabantur. Veritus autem ne ſuos quoque libros, Italicos facerent quos nolebat, præſertim quod Buccatium ceterum eloquentiſſimum Italicæ linguæ ſcriptorem ob notam Calabro idiomati inuſtam, vel carperet, vel contemneret, nil mirum ſi traductoribus maledicta imprecatus eſt. Huc refero Barrium ipſum de quibuſdam nationibus ceterum ſatis inclitis graviter ſenſiſſe, ut videre eſt lib. 1. cap. XVI. Neque

enim paucorum defectus integris nationibus vitio vertendi sunt; neque ut nos defendamus, alii inculpandi. Vide lib. 1. cap.XX.

# CAPUT II.

## *De Talao, Lao, Bato fluminibus; Turtura, Aeta, Palæcastro, Scalea, Papesidero, Ursimarso, Cerillis, Machæra, Chryscora, Vernicario, Summurano Oppidis; & Pollino Monte.*

TAlaus (1) (*a*) amnis nunc Calabriam a Lucania dirimit, cujus meminit Strabo. A Talao ad duos lapides *Turtura* oppidum est edito loco a mari M. P. duobus distans. Est Turturinus ager pabulis & venationi & aucupio aptus, sunt & in eo silvosa loca: legitur manna, fit saccarum & oriza, & ficus optimæ fiunt. Nascuntur & optima vina. Item calybs & ferrum. Non longe a freto locus est, (2) *Palæcastrum* vocant, ubi veteris oppidi vestigia visuntur. A Turtura ad secundum lapidem *Aeta* oppidum est, ab *aeto*, quod aquilam significat dictum, edito loco; sunt enim hic prærupta loca in queis accipitres multigeni congerunt: abest a freto M. P. quattuor, est Aetinus ager ferax, & venationi & aucupio & pabulis idoneus: extat & silva glandifera ad porcos alendos commoda. Nascuntur & vina generosa, fit gossipium, (*b*) legitur manna, nascitur silex, & lapis molaris, & lapis Phrygius. Secus littus (*c*) index passim reperitur, lapis est, cujus attritu auri & argenti bonitas indicatur. (*d*) In mari portus est *Dinus*, & ejusdem nominis insula paulum a continenti distans, in qua cuniculi stabulantur, & circum coralium capitur, fit trichiarum & halecum captura, quæ sale in cadis condiuntur. Sunt & retia thynnaria. A Dino portu m.p. duobus portus alter existit *Nicolaus* dictus. Inde (3) Scalea oppidum occurrit, Talaus olim dictum, cujus meminit Strabo, qui ait: *Talaus amnis, & Talaus tenuis sinus; & urbs Talaus paululum a mari semota, Lucaniæ postrema, Sybaritarum Colonia.* Nunc mari abluitur. Mare enim alicubi crescit, alicubi recedit. Abest a Talao amni m.p.x. *Ab Heleæ*, ait Strabo *m p. l. Juxta Talaum Urbem*, ait idem, *Draconis sacellum erat, qui comitum Ulyssis unus extitit.* Pandolphus Collenutinus Pisauriensis parum prudenter Scaleam esse Heleam scribit, cum ut in Strabone & Plinio videre licet Helea ultra Palinurum sit, distatque a Silari amni m. p. xxxi. Alius quidam Trebatium " Romanum hominem " Heleatam fuisse somniat: hac, ut quantum auguror, deceptus causa, quia Cicero ad Trebatium ipsum scribens dicit: *Veni Heleam, & vidi tua, & tuos.* Quasi vero Romani proceres villas ac rura extra solum Romanum non habuerint, in quibus colonos & rerum suarum habebant curatores. Scaleanus ager frugifer est, & venationi & aucupio, ac pabulis aptus. Extant & silvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ, & silvæ ad navium fabricam & domorum tigna commodæ. Fit & in hoc agro saccarum, & xylon. Nascitur plumbum, & vina bonitate præcipua fiunt. Ex adverso oppidi in-

sulæ

ſulæ parvæ adjacent non longe a terra. A Scalea ad duos lapides *Laus* fluvius in pontum mergitur (*e*) torentinis & anguillis uber, & circum lutræ ſunt: cujus Strabo itemque Plinius meminere, antiquæ Auſoniæ, Heſperiæ, Oenotriæ, Italiæ, Magnæ Græciæ, & Calabriæ terminus. Eſt & intus oppidum ejuſdem nominis de quo mox. Poſt Laum flumen, (4) (*f*) *Batum* flumen alterum in mare influit, quod pervium ſignificat, torentinis abundans, cujus meminit Plinius. Et ſupra oppidum eſt eodem nomine vetuſtiſſimum ab Auxoniis aut certe ab Oenotriis conditum. Diſtat a mari m. p. duobus. In hoc agro fit ſaccarum, & mel optimum: naſcuntur & vina bonitate mirifica, ager hic fertilis eſt. Provenit affatim radix dulcis: naſcitur cos aquaria. Exciditur lapis molaris, olearius & frumentarius. Eſt & ſilva glandifera ad porcos alendos, & paſcendis pecoribus opportuna. Inde ad ortum proficiſcenti (5) *Papeſiderum* oppidum ſe offert, quaſi admirabile ſidus, ſupra ſaxum ſitum, natura munitum, abeſt a freto m. p. ix. quod ejuſdem nominis fluvius adlabitur, qui Laum amnem influit. Intus (6) *Laum* oppidum exiſtit, loco edito ſitum, vetuſtiſſimum, ab Auxoniis vel Oenotriis conditum, quod Laus fluvius præterfluit de quibus commeminit Plin. lib. iii. " Incola Laus ". Oppidani coriis ſoleiſque concinnandis operam navant. Deinde ad occiduum redeunti *Merimagnum* oppidum offertur, in cujus agro pabula inſignia ſunt, fit caſeus probatiſſimus, & mel non vulgare, oriuntur berylli. Ubi hinc ceſſeris (7) (*g*) *Vrſimarſum* oppidum invenies, ab eventu fortaſſe, hoc eſt ab urſi morſu *o* in *a* verſo dictum. *Albiſtrum* olim Ptolemæo humili petra ſitum, cui maximi imminent montes, ſed mutata ſede in radicibus Apennini, quod ejuſdem nominis fluvius torentinis & anguillis fecundus præterfluit, qui Lao fluvio miſcetur. Hic lutræ ſunt, abeſt a mari M. P. v. a Lao amni duobus. In hoc agro vina, olea, & mella laudabilia fiunt, extat & ſilva ad domorum tigna & navium fabricam apta, & venationi commoda, provenit terebinthus affatim. Naſcitur lapis molaris, frumentarius & olearius. Et gypſum e terra effoditur. Sunt & teſtudines terreſtres. Ad mare (8) *Cerilli* oppidum eſt vetuſtum, edito loco ſitum, ab Auxoniis vel ab Oenotriis conditum, abeſt a Lao flu. M. P. vii. Jam certe oſtendi oram hanc ac totam Calabriam ab Auxoniis indigenis Aſchenazi poſteris initio fuiſſe habitatam, rare tamen, inde ab Oenotriis occupatam, & crebris oppidis cultam. Cerillorum meminit Strabo libro ſexto, qui ait: *Iſthmus a Thuriis in Cerillo extenditur prope Laum. Ipſius autem iſthmi milliaria ſunt triginta ſeptem cum dimidio. Supraque hos Brettii Cherroneſum habitant. In qua iſthmo pars Phocenſium habitavit, ut Herodotus libro primo tradit*. Eſt & Cerilli promontorium Talai ſinus finis, & portus Parthenius, cujus meminit Plinius. In Cerillenſi agro vinum bonitate mirificum naſcitur, quod Romæ habetur in pretio, ſubeſt & oleum clarum, fit & ſaccarum, ex oleribus cepæ laudantur. Mare hoc & Scaleanum piſcoſum eſt, ubi thynni, & alii nobiles piſces capiuntur. Contra oppidum inſula parva adjacet modicum a terra diſtans. A Cerillis ad ſecundum lapidem *Diamas* fluvius freto miſcetur. Hic portus Phocenſium eſt, cujus Plinius commeminit, quod Phocenſes poſt Trojæ ruinas Rhegium primo pervenientes, poſtea huc commigrarint, ut Iſacius in Lycophronem ſcribit. Sunt autem Phocenſes Græciæ populi, qui aliquot urbes in Calabria condiderunt, ut Amphiſſam,

ut

ut Criſſam, ut Hyelam, ut Lagariam, ut Arantham, ut alias multas. Supra Cerillos paulum (9) *Machæra* oppidum eſt, quod gladium ſignificat, cum ſpectato vino. In cujus agro berylli oriuntur. E regione Machæræ, *Chryſeora* oppidum exiſtit editiori loco ſuper ſaxum ſitum, quaſi aureus mons, quæ modicum inter ſe & a Cerillis diſtant. Hic etiam generoſa vina fiunt, naſcuntur berylli, & ſilices, & lapis Phrygius, provenit terebinthus & vitex: ſunt & caſtaneta ingentia & ſilvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ, præſtant & ubera gregibus armentiſque paſcua. Congerunt & in his locis accipitres multigeni, & ſilveſtria animalia ſtabulantur, unde & nobilis venatus fit: in hac ora paſſim, & ubertim (*h*) fœnicula marina naſcuntur. A Chryſeora M. P. quatuor (*i*) *Vernicarium* oppidum eſt, a vernante aere dictum, forte (10) *Apruſtum* Plinio, in cujus agro ſilvæ ſunt ad domorum tigna & navium fabricam aptæ, provenit terebinthus. Procreantur teſtudines terreſtres. Inde eſt (11) (*k*) *Summuranum* oppidum, cujus meminit Antoninus Pius in itinerario, qui fuit anno Chriſti cxl. ex Syphæi ruinis, ut autumo, excitatum, quod *Sybaris* fluvius torentinis & anguillis uber præterfluit, ubi gammarorum magna copia naſcitur. Hic ſericum optimum fit, texuntur panni nobiles ex ſtamine laneo, vel lineo, vel bombiceo, vel goſſipino, & ſubtegmine laneo albi coloris. Genus hoc panni *frondinum* vocant. Celebratur mercatus annuatim. In hoc agro oriuntur berylli, gypſum, & ſpecularis lapis: legitur manna. Provenit & tragium, quod herbarii & pharmacopolæ Calabri dictamum appellant, habet enim, ut Dioſcorides ſcribit, dictami vim & utramque herbam in Creta tantum naſci ait. Eſt & in agro hoc planicies ingens, (*l*) *Teneſius campus* dictus, agricolationi, pabulis, & aucupio percommoda, inde vallis eſt amœniſſima limpidis aquis referta. A Septentrionali parte mons eſt ſublimis (12) *Pollinus* a polleo dictus, quod nobilibus herbis medelæ commodis polleat. Provenit enim ibi, ut ab herbariis accepi, tragium dictamum Cretenſe, chamæleon bigenum, draucus, meum, nardus, celtica, anonides, anemone, peucedamum, turbit, reubarbarum, pyrethrum, juniperus ubertim, ſtellaria, imperatoria, cardus maſticem fundens, dracagas, cythiſus, unde & caſeus & hippaces probatiſſimi fiunt: erumpunt & in hoc monte aliæ plures nobiliſſimæ herbæ, ſunt & aurifodinæ. Naſcitur & lapis Phrygius fungos procreans in ſingulos menſes eſu ſuaves & innoxios, eſt mediocriter ponderoſus, & inæquali coloris concretione, candidas cadmiæ modo venas habens: Quam rude vulgus ex lyncis urina condenſem falſo putat, cum *ex ea*, ait Plinius, *gemma fiat, quam lynx mortalium uſui invidens, ut primum mingerit terra obruit.* Phrygius autem lapis, ut ait idem libro trigeſimoſexto, gleba eſt pumicoſa.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Talaus amnis*. Vide adnotationes lib. I. cap. I. num. 1.

2. *Palæcaſtrum*. A Græco παλαιός *antiquus* quaſi *Caſtrum vetus*.

3. *Scalea*. *Talaus* ex Strabone lib. VI. vocabatur. Quamvis Cluerius *Veliam*, ſeu *Eleam* fuiſſe ſatis inepte afferat.

Ex

Ex hoc loco fuerunt quidem viri literis, armisque conspicui, quos inter *Aldemarius*, sive *Alderanus* primus & alter Regi Roberto apprime chari ac nobilissimis muneribus insigniti, ut liquet ex inscriptione in Ecclesia S. Nicolai ejusdem loci: *Gaudius* item Regius Consiliarius, *Paulus* Justitiarius, *Petrus* Rationalis, *Rugerius*, *Leonardus*, omnes ex illustri *Romanorum* familia, *Joannes Jacobus Palemonius* Episcopus Martyranensis, majorum nostrorum ætate, *Petrus* Episcopus Neocastrensis: & nostris temporibus *Gregorius Caloprese* Medicus & Philosophus præstantissimus, edidit quædam. In Diœcesi Cassanensi.

4. *Batum*. Nunc vulgo appellatur *Abate Marco*. Ita Stephanus in lex.

5. *Papesiderum*. Patria *Josephi Battaglia*, Episcopi Montis Marani ann. 1657. *M.S.Martyr.* in ead. Diœc.

6. *Laum*. Vulgo *Laino*. Patria *Hyacinthi Maradea*, Episcopi Policastrensis ann. 1696. in ead. Diœc.

7. *Ursimarsum*. Patria *Nicolai Forasterii*, Regii Consiliarii. In Diœcesi Cassanensi.

8. *Cerilli*. Civitas Romanæ Reipublicæ chara ac fidelissima adversus Annibalem teste Silio lib. VIII.

........ *Hunc sese extollere miles*
*Leucosiæ e scopulis, nunc quem Picentia Pæstæ*
*Misit, & exhaustæ mox Poeno Marte Cerillæ,*
*Hunc Silaris &c.*

Civitas olim Episcopalis apud Ughellum tom. IX. sub Martino Papa circa annum 649. Non semel a Turcis direpta. In Diœcesi S. Marci.

9. *Machæra*. Vulgo *Majerà*. Patria *Silvestri* Ordinis Minimorum meritis, & doctrina conspicui. In ead. Diœc.

10. *Aprustum*. Potius Castrovillaro, quam Vernicario aptari conjicitur. Vide lib. V. cap. XVII.

11. *Summuranum*. Vide Jo: Leonardum Tufarelli ex eodem loco, in suo opere *de Phlebotomia* Italice exarato. Est in Diœcesi Cassanensi.

12. *Pollinus*. Alii *Apollineum* vocant, quod ad rem medicam pertineat. Armenta ad radices hujus montis pascentia ob herbarum bonitatem & copiam lac probatissimum producunt, ex quo fit caseus adeo rarus, ut magnorum Principum mensis non vulgaribus reservetur; quinimo in proverbium abierit *Caseus Apollineus*.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Talaus amnis nunc Calabriam a Lucania dirimit*. In Strabone legitur *Laus* amnis, *Laus* sinus, & *Laus* urbs, non *Talaus* ut Barrius vult, qui Guarini ineptam interpretationem sequutus in eandem incidit foveam, in quam ipse Guarinus prolapsus est. Hodie *Scalea*.

(*b*) *Legitur manna*. Manna vox est barbara: mel roscidum, & mel aereum Aristoteli, sal Indicum etiam antiquioribus.

(*c*) *Index passim reperitur*. Index lapis, qui a nobis *Paragone* dicitur, lapis Lydius ab eruditis & ab Ovidio appellatur.

(*d*) *In mari portus est Dinus & ejusdem nominis Insula*. Dicitur Insula Aedina, quia ibi parva erat ædes, in qua Venus colebatur, quam postea in Divæ Mariæ Templum transmutarunt. Aedinam etiam appellat Auctor nostrorum Annalium. Alii Dionem

In-

Insulam, ut apparet ex saxo & Epigrammate marmori sculpto.

(*e*) *Torentinis & anguillis uber*. Trutas intelligit, quas nos trottas appellamus. Vocantur tamen ab antiquis *Varius*, & *Lupus Varius*.

(*f*) *Batum flumen*. Batum flumen est illud quod *Sabatum* appellat Antoninus Pius, *Ocynarum* & *Terinam* alii, prope *Terinam* urbem. Plinius vero post Laum *Batum*, seu *Baletum* recenset, quia nullo ordine in Cosmographia utitur.

(*g*) *Ursimarsum*. Oppidum ab eventu fortasse, hoc est ab ursi morsu o in *a* verso, dictum *Albistrum* olim, Ptolemæo *Ursomartium*, quod ibi sint ursi pugnantes & bellantes, hoc etiam epithetum dedit Virgil. Lupo, *Martius a stabulis lupus*, quod armenta depopuletur, tamquam miles. Creditur a Barrio *Albistrum*, vel *Numistrum*; sed nemo potest priscarum urbium certum designare locum, cum omnia bellorum injuria mutata sint, & nomina corrupta: satis erit, si non tenuerimus ex animo rem, si prope accedamus. Plinius lib. 5. cap. 11. *Numeprancs* inter Mediterraneos Lucanorum locat.

(*h*) *Fœnicula marina*. Critami appellantur.

(*i*) *Vernicarium forte Aprustum Plinio*. Vernicarius putatur a Barrio *Aprustum*; sed cum Plinius *Aprustenos* Oenotrorum non Brutiorum vocet, non video quomodo descendam in hanc opinionem: nam si diceret, *Brutiorum* laberetur, & sibi ipsi contradiceret, cum *Consentia* describatur in mediterraneis Brutiorum.

(k) *Inde est Summuranum oppidum*. Credit hic *Summuranum* esse oppidum illud, quod nunc *Castrovillarum* appellatur; sed potius est illud, quod nunc *Moranum* vocamus, nomine paululum ab antiquo immutato. Sed cum in antiquissimo saxo legatur *Muranum*, credendum est *Muranum* esse *Murano*, & *Summuranum Castrovillarum*.

(*l*) *Tenesius campus dictus*. Dicitur campus *Temesius*, non *Tenesius*, a *Temesa*, seu *Temese* Civitate; Quia Temsa dives erat agri, ac suos fines longe lateque protendebat.

## CAPUT III.

### *De Sybari, & Isauro fluminibus; Saracena, Altimontio, Nineto, Policastrello, Folono, Agatha, & Gineto Oppidis.*

HIC Sybaris fluvius oritur: non longe a Summurano *Syphæi* oppidi vestigia visuntur, cujus meminit Livius, quod una cum aliis quibusdam Calabriæ oppidis ad Romanos rediisse tradit. (1) (*a*) Ubi Summurano abieris tenderisque ad occiduum, *Saracenam* oppidum invenies, *Sestum* olim, ut conjicio, dictum, ab Oenotriis conditum, ut scribit Stephanus, qui ait: *Sestium urbs Oenotrorum mediterranea*. Abest a summurano m. p. quatuor, quod *Garga* fluvius adlabitur frigidissimus qui Sybari miscetur. In delubro, quod divo Leoni est dicatum, quorundam sanctorum

fru-

frusta asservantur, ut mentum Joannis Baptistæ, frustum vestis Christi, frusta Petri, & Pauli, Andreæ, & Bartholomæi Apostolorum, Georgii, Cornelii, Cypriani, Theodori, digitus Stephani protomartyris, dens genuinus Blasii, costa Luciæ, phiala vitrea cum particula unguenti, quo Maria Magdalena Christi pedes unxit. Est & arcula cum quorumdam aliorum sanctorum frustis. In hoc agro vina generosa nascuntur, fiunt & olea nobilia, legitur manna, fit gossipium, nascitur plumbum, sunt & aurifodinæ, eximitur gypsum. Gypsi, ut ait Plinius, duo genera, alterum e lapide coquitur, alterum e terra effoditur. Qui coquitur lapis, non dissimilis alabrastite esse debet, aut marmoroso, coquitur fimo bubulo, ut celerius uratur. Omnium autem optimum fieri compertum e lapide speculari squammam vitalem habente, finditur in tenuissimas crustas. De quo Plinius libro trigesimo sexto cap. 22. sic ait „ Lapis specularis faciliore „ multo natura finditur in quaslibet tenues crustas „ , talcum appellat aromatariorum turba. Est & in agro hoc *Charitoros*, idest gratiæ mons Apennini, herbis medendi arti commodis oppletus, sunt & silvæ glandiferæ alendis porcis aptæ, fiunt venationes nobiles, stabulantur & lynces. Post Saracenam M. P. quinque (2) (*b*) *Altimontum* est oppidum vetustum edito loco, *Balbia* olim dictum. Sed an ab Auxoniis, an ab Oenotriis conditum sit, ignoratur. Unde vinum Balbinum bonitate præcipuum, cujus meminit Plinius libro quartodecimo, illudque cum aliis Calabris vinis plurimum commendat. De quo Athenæus libro primo inquit: „ Vinum „ Balbinum generosum & admodum austerum, & semper seipso melius „ nascitur „. Hinc vitis Balbina, alias Byblina in Siciliam allata est, ut Athenæus tradit, qui sic libro primo scribit: „ Hippias Rheginus vitem „ illam vocatam fuisse Byblinam asseruit, quam Pollis Argivus, qui Sy„ racusis regnavit, primus ad Syracusas ex Italia detulit, & id fortasse „ vinum, quod dicitur Polium apud Siculos, ipsum est Byblinum „. Hic emporium bis annis singulis celebratur. In phano beatæ Mariæ multorum sanctorum frusta asservantur. Est enim spinarum una coronæ dominicæ, frustum crucis Christi, coxendix cum crure & pede cum carne & cute Joannis Chrysostomi, lacertus divi Basilii, pars crinium beatæ Mariæ Virginis, & Mariæ Magdalenæ, frustum Mathiæ, & Philippi Apostolorum, Pontiani, Laurentii, Stephani Protomartyris, Barbaræ, Claræ, Georgii, Gamalielis, Virgæ Moysis, & aliorum quorundam, pars digiti Thomæ Aquini, Sanguinis Blasii Episcopi. Jacet & corpus beati Pauli Melivitensis ordinis Prædicatorum. Est in hoc agro *Beatæ Mariæ Aquæformosæ* cognomine templum, Cistercensium Monachorum Cœnobium, in quo multorum quoque Sanctorum frusta asservantur. Sunt enim frusta vestis Christi, ac beatæ Mariæ Virg. Sixti, Gregorii, & Silvestri Rom. Pont. Apostolorum Thomæ, Jacobi, Simonis, Judæ, & Philippi: Item Joannis Bapt. Chrysogoni, Fabiani, Phantini, Senatoris, Luciani, Chrysanthi & Dariæ, Paulinæ, Annæ, Felicissimi, & Agapiti, Theodori, Primi & Feliciani, quattuor Coronatorum, Bibianæ, Marii, Marthæ, Audifacis, & Abacu, Vitalis, Margaritæ, Armeniæ, Blasii, Saturnini, Barbaræ, Nerei, Achillei, & Pancratii, Mennæ, Georgii, Crescentii, & sociorum, & aliorum quorundam. Non longe a Phano hoc vallis est, in cujus medio rivus labitur & in altera parte (3) castaneæ, in altera


ra

ra cerri naſcuntur, ita ut in hac nulla caſtanea, in illa cerrus nullus oriatur, ut naturæ miraculum ſit. In hoc Balbino agro montes ſunt nativi ſalis candiſſimi, quod lapicidinarum modo cæditur, eſt pellucidus, denſus, concretione ſua æqualis, nec lapidoſus, intus gemma eſt ſalis candidi ac translucidi. Naſcitur & alabaſtrites. Exſtant & aurifodinæ duobus locis, & argentifodinæ, ferrifodinæ, & lapis cyaneus. In hujus agri apennino naſcitur cryſtallus, exciditur gypſum. Eſt & Balbinus ager frumenti, & aliarum frugum ferax, & pabulis aptus, quem *Grondus* fluvius irrigat, torentinis & anguillis uber, ubi & lutræ ſunt. Naſcitur in montibus Tyrus fluvius " qui Altimontenſem agrum a Saracinenſi dirimit ". Stabulantur & ſilveſtres quadrupedes, fiunt & aucupia phaſianorum, perdicum, & aliarum avium. Exiſtit & ſilva glandifera ad porcos alendos commoda, optimaque gregibus armentiſque pabula ſuggerens. Sunt & caſtaneta, legitur & in agro hoc manna. A Balbia ad quintum lapidem, *Ninetum* oppidum eſt, (*c*) *Donatum* vulgus vocat, Ninæa olim dictum, ab Oenotriis conditum, ut ſcribit Stephanus, *Ninæa* inquit, *urbs Oenotriorum mediterranea*. In hoc agro Grondus & Acida fluvii naſcuntur, qui Iſauro fluvio miſcentur. Naſcuntur berylli & ſilex, ſunt & montes nativi ſalis. Provenit terebinthus, & juniperus frequens. Fiunt vina, olea, & mella non vulgaria: erumpunt & perſpicui fontes. Eſt & mons celſus in Apennino, cui (*d*) *Mula* eſt nomen, nobilibus herbis medelæ aptis refertus, in quo cryſtallus gignitur. Atque in ima ejus parte quadam ſinopis naſcitur nobilis, & lapis Phrygius provenit, & terebynthus. Eſt & ſilva glandifera alendis porcis opportuna, ſuggerit & gregibus armentiſque pabula. Exiſtunt & caſtaneta, necnon ſilvæ ad domorum tigna reliquave utenſilia, & ad navium fabricam aptæ. Stabulantur in montibus ſilviſque apri, capreæ, & alia ſilveſtria animalia. Nidificant & accipitres multigeni, unde & venationes nobiles fiunt. Non longe a Donato *Policaſtrellum* oppidulum eſt. In cujus agro lapis molaris, frumentarius & olearius, & cos aquaria naſcuntur, in montibus cryſtallus gignitur. Poſtea eſt (*e*) *Folonum* oppidum, quaſi folea, hoc eſt ferarum cubile inter *Roſam*, & *Acidam* amnes, quorum alter torentinis & anguillis fecundus eſt, & uterque *Iſauro* miſcetur, fortaſſe *Ariantha*, quam, ait Stephanus Phocenſes inter duos fluvios condiderunt. Cum enim, ut oſtendi, ante caſum Trojæ Auxonii indigenæ, & inde Oenotrii advenæ, & poſt Trojæ ruinas, præter ceteros, Phocenſes Calabriam incoluerint, urbeſque in ea extruxerint, & harum quarundam nomina immutata ſint ( quædam enim priſca nomina aut integra, aut literis tantum vel ſyllabis immutatis retinent ) difficile eſt quænam hæ ſint pro certo aſſerere. Folonenſis ager frugifer eſt, & paſcendis pecoribus aptus, quamobrem armentis abundat & gregibus. Sunt & in agro hoc glandiferæ arbores ad porcos alendos opportunæ; ſunt & caſtaneta, ſed caſtaneæ inſitæ ſunt. Naſcuntur & præclara vina, exciditur lapis molaris, frumentarius & olearius. Non procul ab oppido uberrimus fons e ſaxo manat, ut ſtatim flumen fiat torentinis affluens. A Folono ad quartum lapidem (4) (*f*) *Agatha* oppidum eſt, Artemiſium, ut arbitror, ab Oenotriis, ait Stephanus, conditum, incola Artemiata: Diſtat a freto M. P. octo, in hoc agro

agro (5) *Isaurus* fluvius pisculentus oritur. Nascitur chalcanthum, & rubrica fabrilis, & lapis Phrygius, legitur manna. Sunt Silvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ, & silvæ silvestribus arboribus oppletæ, præstant & pecuariis pabula. Agathini adeo agiles sunt & apti, ut veluti viverræ fere celsissimas arbores scandant, & unco ramis appliciti ex alia in aliam transeant venantes glires. Ab Ursimarsi agro hucusque, & deinceps Leucopetram usque in Apennino apri, cervi, capreæ, sciuri, lynces, martes, meles, viverræ, lepores, istrices, herinacei, & alicubi ursi etiam stabulantur, unde & pulchræ venationes fiunt. In planis autem locis optima phasianorum, externarum, perdicum, coturnicum, & aliarum avium aucupia. Nec desunt testudines: congerunt & in præruptis locis accipitres multigeni, & hi optimi. Ac passim terebinthus abunde nascitur, ex qua terebenthina fit, quæ etiam ex pino, abiete, & larice fit. Cumque, ut dixi, passim in Calabria flumina, & perennes ac perspicui fontes, tum amœnæ valles, collesque, & optima pabula, & castaneta, glandiferæque silvæ sint, & nec nimius calor, nec vehemens algor in ea vigeat, sed temperata cæli temperies; præter cetera, vulgo nobiles pecuariæ habentur. Ab Agatha M. P. quatuor (6) *Ginetum* sive Thyetum oppidum est; (g) Thyella Oenotriorum urbs, ait Stephanus, in qua pars Phocensium habitavit. Est a mari M. P. tribus, quod ejusdem nominis fluvius præterfluit, qui vehementi impetu se in mare præcipitat, & ob id formidabilis est nautis. In hoc agro fit saccarum, existunt & horti nemorosi malorum aureorum & limonum. Fiunt Gineti opera figlina, fiunt & ficus probatissimæ: nascitur ferrum, chalcanthum, & lapis ophites. Inter Ginetum & Agatham fragarum mira ubertas nascitur.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Ubi &c. Saracenam.* Ex hoc loco prodierunt *B. Angelus Alepartus* unus ex sociis S. Francisci de Paula, ut ait Isidorus Tuscanus lib. 1. cap. xv. *Franciscus Cacciavillanus* Presbyter & Parochus S. Mariæ de Gambio, miraculis clarus, ut ex M.S. Dominici Martyre quod in Bibliotheca Collegii Calabri S. Francisci de Paula, ad Montes dicti, Romæ asservatur, tom. I. pag. 333. *Joseph Pace* Presbyter morum sanctitate conspicuus, de quo Pompejus Sarnellus tom. III. Vitarum Presbyterorum. *Horatius Capalbus*, Vicarius Apostolicus Policastri, & Episcopus Bisidianensis electus. *Michael Angelus Donatus* Vicarius Generalis, qui typis edidit volumen cui titulus *Asyla immunitatis* Romæ 1652. *Persius Cervinus* in variis monumentis M.S. maxime in suis *Elegiis* typis donatis clarissimus. Et nostris temporibus, *Nicolaus de Caprio* Episcopus Jovinatii, *Ludovicus Albertus Aloysius* Ordinis Prædicatorum Provincialis emeritus, a quo Dialecticæ elementis institutus fui, *Dominicus Serius* ex Dominicana itidem familia sacræ Theologiæ Professor, amicus noster, edidit quædam. *Angelus* ordinis Minimorum, pietate & pœnitentia præclarus. Est in Diœcesi Cassanensi.

2. *Altimontum*. Post *Balbiæ* nomen sequioribus seculis, ut ait Mar-

ra super familia *Sangineta*, vocatum fuit *Braallum* sive *Bragallum*, quemadmodum etiam legitur in variis monumentis: tum a Rege Roberto anno 1337. ad preces Comitis Philippi Sangineti mutatum fuit in *Altifluvium*; cumque sic nec Comiti arrideret, tandem a Regina Joanna anno 1352. *Altimontum* fuit appellatum, quod nomen etiamnum retinet. Patria *Felicis Campilongo* Caroli V. Imperatoris Familiaris, ut ex diplomate die 22. Martii 1536. cujus exemplar apud nobilem *Campilongorum* familiam S. Marci asservatur. *Joannis Pauli Gualterii* scriptoris disertissimi, quem aliqui *Terrænovæ* in ulteriori Calabria natum volunt, aliorumque virorum pietate, & literis conspicuorum. Ex MS. Mart. In Diœcesi Cassanensi. In hoc agro extat & *Lungrum* oppidum, patria *Gabrielis de Marchis* Græce peritissimi, postea Episcopi Sorani ann. 1715. edidit quædam *M.S. Mart.*

3. *Castaneæ*. Gulielmus Canterus in Notis ad Lycophronem, *Castanæa*, ait, *Magnesiæ urbs*, *de qua dicta sunt secundum quosdam* τὰ κασάνια *castania*, *sicut a Cerasunte cerasa*.

4. *Agatha*. Ex hoc loco fuit *Julius de Legibus* in Romana Curia caussarum Patronus celebris, ut ex inscriptione quæ extat Romæ in Ecclesia S. Francisci de Paula ad Montes dicti, ubi sepultus est anno 1666. *Joannes Baptista Jannella* Ordinis Minimorum edidit Genealogiam sui Instituti Romæ 1621. Topp.. *Marinus Bolotta* Regiæ Cam. Præses Topp. de orig. trib. Est in Diœcesi S. Marci.

5. *Isaurus*. Est & alius *Isaurus* in Umbria ad cujus ostium sita est Urbs *Pisaurum*. Plin. lib. III. cap. XIV. Et *Isauria* regio Asiæ est, pars Galatiæ Australis, non longe a monte Tauro, unde Leo *Isauricus* Imperator. Alter *Isaurus* Crotonis agrum adlabitur.

6. *Ginetum*. Vulgo *Sanginето*; ubi antiquissima Sanginetorum familia: sed an ab oppido familia, vel a familia oppidum nomen habuerit, incertum. Ex hoc loco fuit *Marius Junti* eruditissimus: ex Ferd. Marra. *Guidus* ejus filius, Dux militum, *Petrus* Ordinis Minimorum laicus, morum sanctitate conspicuus. Ita Dominicus Martyre auctor contemporaneus in suo MS. tom. I. cap. XIV. num. 28.

## SERT. QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Ubi &c. Saracenam oppidum invenies Sestum olim.* Hoc est divinare, nec probant verba Stephani, cum dicit *Sestum* Urbs Oenotriorum Mediterraneorum esse; nam multæ sunt in Oenotria Urbes Mediterraneæ, nec necesse est in rebus tam dubiis proferre sententiam.

(*b*) *Altimontum Oppidum vetustum*, *Balbia olim dictum*. Divinare est, arbitrari hoc oppidum esse *Balbiam*, quoniam det vina generosa, cum omnis hic tractus hujusmodi munere gaudeat.

(*c*) *Donatum vulgus vocat*, *Ninæa olim dictum ab Oenotriis conditum*, *ut scribit Stephanus*. Divinare est, hoc oppidum credere Ninæam, vel Ninætum, quoniam ex Stephano fuerit ab Oenotriis conditum.

(*d*) *Mula mons*. Mons *Myla* appellatur a scriptore nostrorum Annalium; inde nos *Mula* y in *u* mutato.

(*e*) *Folonum*, *Ariantha olim.* Hoc di-

divinare est; nec quia Stephanus dicit Phocenses *Ariantham* inter duos fluvios condidisse, & *Folonum* positum sit inter *Rosam Folonum* & *Acidam* amnes, idcirco dicendum est *Ariantham* esse *Folonum*.

(*f*) *Agatha oppidum*, *Artemisium ut arbitror*. Quis hoc credat? Nec affinitas vocum ea est, ut facile probet *Agatham* esse *Artemisium*: Nec verba Stephani, cum ait *Artemisium* ab Oenotriis conditum, quidquam in hac re juvant.

(*g*) *Thyella Oenotriorum urbs*, *ait Stephanus*. Non probant verba Stephani *Ginetum* esse *Thyellam*. Liber nostrorum Annalium *Thietum* appellat. Fortasse Barrii conjectura non omnino inanis. Nunc *Sangineto*.

## CAPUT IV.

### *De Bombicino, Blanda, Bonifato, Temsa, Vergiano, Marco ejusque Pagis.*

A Gineto ad quattuor lapides (1) (*a*) *Bombicinum* oppidum est: in cujus agro saccarum fit, nascitur terebinthus. Extra oppidum beati Cyriaci templum est, & divi Basilii monachorum monasterium. In quo templo ipsius Cyriaci monachi corpus jacet. Existunt in hoc agro horti nemorosi limonum & malorum aureorum. Ad mare (2) (*b*) *Blanda* oppidum est edito loco, ab aere blando salubrique dictum " cum portu Phocensium cujus commeminit Plinius: *Portus* inquit, *Parthenius*, *& Phocensium*". *Bellividerium* vulgus vocat, ab Auxoniis, aut ab Oenotriis conditum, & inde a Phocensibus habitatum, quod *Soleum* flumen adlabitur, abest a Cerillis M. P. novem. Hujus oppidi meminit Plinius, itemque Mela, qui ipsum inter Laum flumen, & Temesam urbem locant," & Ptolemæus, licet ipsum mediterraneum scribat". Quod oppidum oppugnavit Fabius, ut Livius Bel. Pun. libro quarto tradit. Qui hanc urbem Blandas plurativo numero inclinat, & in Lucania ponit, alicujus auctoris scriptis deceptus: ut Plutarchus, qui Vibonem Lucaniæ urbem esse scribit. In Blandiensi agro fit saccarum, & gossipium, ac ficus generosæ, nascuntur & vina & olea præclara, nascuntur & tubera, fit & sericum nobile. Supra Blandam M. P. quattuor parte leva (3) *Bonifatum* oppidum est. (*c*) Hanc Hyelam esse arbitror: de qua Herodotus in Clio sit ait: „Hyela civitas est, quam Phocenses Rhegium cum liberis & uxoribus „pervenientes in agro Oenotriæ condiderunt„. Non in Rhegino agro, qui ad Metaurum amnem prope Taurianum protenditur, urbes condiderunt Phocenses. Fit Bonifati caseus laudatissimus. Ubi & pulchri ovium greges sunt, fit & vinum, & sericum nobile, ac ficus optimæ. Ad mare (*d*) *Lampetes* promontorium est, Terinæi sinus initium, distat a Blanda m. p. sex. Milliario ab eo statio est. Meminit de hoc promontorio Lampete Lycophron, ut alibi dicemus. Supra est (4) *Melivitum* civitas olim Episcopalis sedes, sed in Marcum translata," aut ei adjuncta fuit," a vitium vinique bonitate dicta, edito loco (5) (*e*)

TEM-

TEMSA quondam appellata, præter quam Isaurus fluvius excurrit. Abest a freto m. p. sex. Hic arx est natura inde manu munitissima, & urbi incumbit. Est quidem vetustissima urbs ab Auxoniis condita, Homeri & Lycophronis, aliorumque poetarum præconio clara. De qua ita Strabo libro sexto scribit: „ A Lao prima urbs Brettiæ Temesa, „ quam Auxonii condiderunt, nostræ autem ætatis homines Temsam „ etiam vocitant. Post illos eam habuerunt Thoantis comites Ætoli, „ quos ejecere Brettii. Prope Temesam Sacellum est oleastris circum- „ septum Politæ Ulyssis socio dicatum. Quem barbarorum fraude tru- „ cidatum graves excitasse iras tradunt. Ab eoque extare proverbium: „ Heroem Temesæ ingruere sibi dicat nemo. Locrensibus autem Ze- „ phyriis ipsa urbe potitis Euthymum fabulantur pugilem, postquam „ ad eum descendisset, victorem evasisse pugna, atque ut finitimos ab „ eo tributo absolveret coegisse. Hujusque Temesæ poetam memi- „ nisse ajunt, non autem illius, quæ in Cypro est, Temesæ. Nam utro- „ que modo dicitur, quod ad Temesam ærarium est, & ærifodina- „ rum locus ostenditur, quæ hisce defecere annis „. Quod autem Strabo hanc primam a Lao Brettiæ urbem dicat, de claris quidem urbibus intelligit, nam & ipse Cerillos prope Laum, & Plinius itemque Mela Blandam inter Laum & Temesam ponunt. Item Strabo ipse Temesæ Terinam proximam scribit, quæ multum abest, inde in maritima ora Hipponium, & Medamam & Scyllæum tantum scribit. Meminit de Temesa Ovid. Fast. libro quinto. Ubi ait:

*Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra.*

Et alibi:

*Et quamvis aliquis Temesæa removerit æra.*

Et Meth. libro septimo Medeam sic facit loquentem:

*Te quoque luna traho, quamvis Temesæa labores*
*Aera tuos minuant.*

Et lib. XV.

*. . . . . . . . . Temesesque metalla,*
*Leucosiamque petit.*

Item Statius Syl. libro primo:

*Et quis se totis Temesæ dedit aucta metallis.*

Et rursus:

*. . . . . . . Nusquam Temesæa notabis*
*Æra.*

Et Homerus Odyss. libro primo:

*Pallas ipsa Telemacho,*
*Nunc autem sic cum navi deveni & sociis,*
*Navigans nigrum mare ad alienigenas homines,*
*Ad Temesim æris gratia, duco autem nigrum ferrum.*

Et: Lycophron in Alexandra de Menelao loquens ait:

*Dona dedicavit virgini spoliatrici*
*Minervæ Temesæam crateram & clypeum.*

Quibus super verbis Isacius interpres ait:

Te-

*Temesa urbs est Calabriæ, in qua optima æra effodiuntur.*

Huc etiam post Trojanum excidium concessere Phocenses socii Schedii & Epistraphi ducum Phocensium, ut idem scribit, qui ait:

*Nauboliorum vero in Temesam filiorum,*
*Nautæ pervenient, ubi Lampetes,*
*Hipponii verticis ad mare promontorium*
*Asperum vergit, contra autem Crissæ fines,*
*Crotoniatam mari oppositum sulcum*
*Bovum arabunt acuto vomere.*

Super quibus verbis Isacius ait: „ Nauboli filius fuit Ephitus, „ cujus filii fuerunt Schedius & Epistraphus Phocensium duces, qui „ apud Trojam cæsi fuerunt. Post autem Trojæ expugnationem il- „ lorum socii in Italiam pulsi, Temesam incoluerunt, quæ civitas est „ Calabriæ, quæ generosum aurum habet, quæ nunc Temsa vocatur, „ quam Lycophron nunc Temesium, nunc Temesam nominat. Lam- „ petes est promontorium juxta Temesam, & Lampetia urbs. Hip- „ ponium est Italiæ urbs, & promontorium. Ubi Crissa urbs est „ Phocensium a Crisso Panopei fratre condita e regione Crotonis. Meminit de Temesa Ptolemæus & Mela, de qua plura Callimachus. Est Temesa Colonia civium Romanorum, ut Livius bel. Mac. libro quarto auctor est, *Deduxit*, inquit „ *eam L. Cornelius Merula, Temsanus ager de Brettiis captus erat.* Eam prædari solitus erat Verres, ut Cicero in Verrem ipsum actione quinta scribit: Meminit & actione septima de Temsano incommodo. Ex hac fuit L. *Temsanus* Romæ Prætor. Fuit Temsa sedes Episcopalis, quæ, ut dixi, in Marcum translata est, aut certe Marcensi adjuncta. *Hilarius* Episcopus Temsanus interfuit Synodo Romanæ quartæ, quæ sub Agathone Papa celebrata est. Et (6) *Abundantius* Episcopus Temsanus interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ sub Agathone. " *Petrus* Episcopus Melivitensis interfuit consecrationi Ecclesiæ Episcopalis Catazensis a Calisto II. Papa anno Christi MCXXII." Signabant in numo Temsani templum cum æedituo: & ex postico Politem inscriptione Græca ΤΕΜΕΣΕΩΝ. Hic præclarissimum vinum nascitur, quod Plinius libro quarto decimo inter cetera Calabra vina laudat, fiunt & olea & mella & serica clara, ager hic frumenti, & aliarum frugum ferax est, poma omnis generis fiunt. Aer blandus est, fit in agro hoc gossipium, legitur manna, nascitur gypsum, & lapis Phrygius, fit visci copia ingens, sunt castaneta & silvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ, & silvæ ad domorum tigna & navium fabricam aptæ, præstant & opima gregibus armentisque pascua. Supra Temesam m. p. quattuor (7) *Vergianum* oppidum est, *Rogianum* vulgus vocat primis literis immutatis, *Vergæ* olim dictum. Vetustum quidem est, sed an ab Auxoniis, aut ab Oenotriis conditum sit, compertum non habeo. Meminit hujus urbis Livius, quam cum aliis quibusdam ad Romanos, ut ostendi, rediisse scribit. Vergianus ager frugifer est, fiunt & vina & mella clara. Legitur manna, fit & sericum nobile. Texuntur Vergis panni quales texuntur Murani. Exin est (8) (*f*) MAR-

MARCUM civitas, sedes Episcopalis Temsanæ suffecta, " sive ut dixi, & isti adjuncta " *Argentanum* olim dicta, quam cum Vergis aliisque quibusdam ad Romanos rediisse Livius tradit. In æde Episcopali sanctorum martyrum Senatoris, Viatoris & Cassiodori & Dominatæ eorum matris corpora quiescunt, qui hujus urbis cives fuere: meminit horum Usuardus in martyrologio suo. Hanc Episcopalem sedem Maurolicus Siculus Messenio Archiepiscopo olim subjectam fuisse insulse nimis nugatur. Urbem hanc *Folonum* flumen præterfluit, nec longe *Malosa* fluvius alter fluit, qui Folonio miscetur. Ager hic uberes fructus refert, fiunt vina & olea non vulgaria, & sericum nobile, legitur manna, exciditur lapis molaris, nascitur silex. Extant castaneta & silvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ: sunt & silvæ ad domorum tigna & navium fabricam aptæ, præstant ubera gregibus pabula, & cubilia feris, nec desunt præclara aucupia, sunt & in hoc agro pagi, *Cervicatum*, *Casaletum*, *Mucrasanum*, *Cavalatum*, *Circejum*, *Jacobum*, *Casalenovum*, *Martinum*, & *Dominica*. Inde est, (9) *Fagianum* castellum, quod *Calabrices* fluvius torentinis uber præterfluit, qui Sybarim influit. Exuberat castaneis insitis, sunt, & silvæ ad domorum tigna ac reliqua utensilia & ad navium fabricam aptæ, fit visci ingens copia, provenit in Fagianensi agro ingens fragarum copia. Nascitur lapis Phrygius. Oppidani ligneis vasis conficiendis navant operam. Calabrices fluvius Fagianensem agrum a Marcensi disterminat: prope Fagianum *Jocium* vicus est, in hoc agro Albani populi in tuguriolis habitant. Hic gypsum e lapide coquitur.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Bombicinum*. Ex antiquissima incolarum traditione extructum fuit circa sæculum XIV. ex tribus aliis oppidulis, *Trigiano*, *Trepidono*, & *Salvato*, de quibus mentio fit in quodam diplomate privilegiorum Michaelis Constantinopolitani Imperatoris. Exstabant hæc oppidula juxta *Blandam*, quorum etiamnum visuntur rudera. Appellatum autem fuit *Bombicinum*, sive, ut alii malunt, *Bonvicinum*, quasi ex *bonis vicinis*. Ex hoc loco fuit *Beatus Cyricius* Abbas, cujus Monasterium in Ecclesiam Parochialem Abbatialem redactum est, ubi ipsius corpus requiescit. MS. Martyr. Est in Diœcesi S. Marci.

2. *Blanda*. Cluerius Ital. antiq. lib. IV. *Blandam* oppidum facit *Marateam*, quam Barrio objicit; sed tam ridicule quam quod maxime. Quis enim unquam somniavit *Marateam*, inter Laum flumen & Temsam exstare? Vide Plin. lib. III. cap. V. Ex hoc loco fuit *Antonius Maria Camalda* ex Parocho Episcopus Strongylis, qui obiit anno 1691. ex laudato MS. Martyrensi. *Antonius Pepe* Regius Consiliarius, ut ex inscriptione in Ecclesia S. Dominici Neapolis. *Marius* ejus filius M.C.V. Judex. *S. Daniel* ex familia S. Francisci Assisinatis martyr. *Fabricius Aniellus* Regis Christianissimi equorum Magister: ut ex laudato MS. & alio Josephi Petrelli. *Franciscus Pisanus* nauta celeberrimus, Joanni de Austria apprime charus, quem anno 1571. classi

classi adversus Turcas præfecit, aureo monili donavit, filiumque Equitem constituit, ac privilegiis auxit, ut ex Gualterio cap. XXXIII. *Joannes Matthæus Ranerius* civitatis Neapolitanæ sæpius Secretarius integerrimus: ut ex actis Visitationis Bellividerii anno 1625. *Vincentius Florellus Dinus* Carolo V. Imperatori charus, cui in Bello Italico, ac Barbarico impense profuit; immo sævissima tempestate ingruente super humeros incolumen aliquando servavit, ut ex MS. Josephi Florelli a Dominico Martyre laudato. Est in Diœcesi S. Marci.

3. *Bonifatum oppidum est. Hanc Hyelam esse arbitror.* Goltius *Hielam* cum *Velia* confundit, & hanc dicit a Phocensibus extructam. Incolæ autem constanter tenent *Bonifatum* nedum ex *Hyelæ*, verum etiam ex Fellæ ruinis constructum esse. Extabat siquidem *Fella* oppidum anno 1377. non longe a *Bonifato*. Nisi dicere velimus *Hyelam* & *Fellam* ex vocum affinitate idem fuisse oppidum, aut unum ex alio. Ait enim Dionysius Halicarnasseus de *Velia*, sive *Elia* lib. 1. Rom. antiq. *Prisci Græci nominibus a vocali incipientibus syllabam ȣ unico scriptam charactere plerumque præponere solebant: hic autem erat ut duplex* Γ *quod formabatur duabus lineis obliquis ad unam rectam adjunctis, ut* Fελένη Feleni, *&* Fάναξ Fanax, *&* Fοῖκος Ficos, *&* Fανὴρ Fanir, *& multa hujusmodi.* Bonifati natus est *Joannes* Ordinis Minimorum, quem ingressus est anno 1545. ante & post mortem miraculis claruit: ex M.S. Martyrensi. Extat in Diœcesi S. Marci.

4. *Melivitum*. In instrumentis Normannorum appellatum fuit *Scribla*, postea *Melivitum*. Patria *Hieronymi* Ordinis Minimorum sanctitate conspicui, qui obiit septuagenarius Coriolani anno 1605. ex Magiolo fol. 39. & codice MS. Martyrensi. Extat in Diœcesi S. Marci.

5. *Temsa*. Discrepant eruditi ubinam Temsa fuerit. Alii ad mare *Mediterraneum*, alii ad *Ionium*: alii ubi nunc *Melvito*, alii *S. Lucido*, alii *Torre Loppa* ut Cluerius, alii *Longobucco*, alii alibi ponunt. Certum est ad mare fuisse sitam, ut omnes Geographi vetustiores consentiunt cum Cicerone 7. in Verrem, & Lycophrone in Cassandra:

Τῶν Ναυβολείων δὲ εἰς Τέμεσσαν ἐκγόνων
Ναῦται.

*Nautæ posterum Nauboli*
*Venient Temessam.*

*Melivitum* autem distat a mari M. P. sex: *Longoburgum* est juxta *Silam Brettiam*, quæ longe a mari dissita est; quapropter oppidorum istorum neutrum ad Temsæ situm pertinere autumo. Veruntamen in tabulis Peutingerianis a Velsero editis duplex *Temsa*, quæ eadem est ac *Temesa*, apparet, una ad *Mediterraneum*, altera ad *Ionium* mare sita: illa, ut conjicitur, ubi nunc *S. Lucido*; ista ubi *Paternum*, nunc *lo Cirò*, quæ alterius *Temsæ* Colonia esse potuit. Quare facili negotio lis dirimitur: Nam destructa prima populi partim *Melivitum*, partim ubi nunc *Torre Loppa*; destructa altera, partim *Longoburgum*, partim alio confluxere. Hoc lumine difficillimus textus elucidatur Synodi Constantinopolitanæ VI. sub Agathone: ibi enim *Abundantius* sæpius nominatur *Episcopus Paternensis*, qui in Actionibus ejusdem Synodi subscribitur *Abundantius Episcopus Temsanæ Ecclesiæ Provinciæ Brutiorum*. Nec parum juvat

hæc conjectura ad controversias dirimendas aliarum Civitatum, nempe *Petiliæ*, *Locrorum*, aliarumque, quas quisque suas contendit.

6. *Abundantius*. Vide supra Annotationes num. 5.

7. *Vergianum*. Nunc *Roggiano* Hic, ut ajunt incolæ, variæ sunt cryptæ, quarum una appellatur vulgo: *La Grotta della Tramontana*, in qua ut fertur thesauri latent, sed nullus hucusque invenit. Extabant juxta Vergianum oppidula multa, quæ penitus perierunt, nomina tantummodo remanserunt, quæ sunt *S. Brancato Castiglione*, *Serra delle fosse*, *S. Stephano*, *Flacciata*, *S. Maria della Fossina*, *e Serra delli testi*. Inde fuit *Joannes Dominicus Ettore*, Theologus primum S. Caroli Borromæi, tum Episcopi Brixiensis, ut ex autographo epistolæ ab eodem S. Carolo ad illum datæ sub die 17. Februarii 1584. quod refertur a laudato Dominico Martyre; deinde creatus Episcopus Hosturi. *Thomas Basile* Presbyter, Philosophus, ac Theologus insignis: docuit Neapoli & Romæ; ut ex MS. Martyrensi & Gualter. *Nicolaus de Rogiano* in Romana Cathedra Jani Parrhasii successor: scripsit apud Speram libros quatuor *Silvarum*, *de Rebus sacris*, *de conquestu Italiæ*, aliaque. Est in Diœcesi S. Marci. Nostris vero temporibus *J. Vincentius Gravina* in utraque lingua doctissimus Archigymnasii Romani Lector emeritus, ac in suo opere *de Origine juris* aliisque celeberrimis nulli secundus. Utinam ingenii sui acumen clanculum temperasset, quandoquidem meliorem sibi fortunam, Brettiæque majorem laudem comparavisset. Natus est XIII. Kal. Martias ann. 1664. ut ex regestu baptizatorum ejusdem oppidi. Hunc Satyrici meledico dente carpunt atque inscitum suggillant, quod opera ab eodem concinnata literatisque viris semper admiranda redarguunt: Obiit Romæ Nonis Januarii MDCCXVIII. Supremæ ejus tabulæ extant apud Cæsarem Parchettum Notarium Capitolinum.

8. *Marcum*. Varie appellatum, *Argentanum*, *Sybaris* a Sybaritis post eorum urbis destructionem auctum, *Mandonia*, *Marcopolis*, *Fanum S. Marci*, ob Euangelistæ in hac urbe prædicationem, ut constans traditio est. Vide Carolum Juvenem in Histor. Tarent. A Normannis civitas hæc multum vexata fuit, sed a Roberto Guiscardo primævo splendori restituta. Extat etiamnum antiqua, arx, quam ego vidi, altitudinis 130. pedum, ædificata a Normannis, ut ajunt, circa annũ 1048 Ex hoc loco fuerunt *B. Franciscus* Min. Observ. cujus Corpus in ejusdem Civitatis Conventu requiescit: obiit X. Kal. Octobris: ex VVadingo tom. III. ann. 1320. & Martyrolog. Francisc. sub eodem die. *Joannes Baptista Corvellus* Musicorum Præfectus, edidit volumen cantus Neapoli 1624. ex MS. Gualterii. *Joannes Hieronymus Gonsaga* tertium Regius Auditor, tum Regius Consiliarius electus, inde Senator, & Comes Titularis: ex MS. Andreæ Arduini & Martyrensi laudato. *Joannes Aloysius Amodeus* in exercitu Caroli V. Accensus major, interfuit Urbanæ depopulationi anno 1527. Cæsareæque inaugurationi: ex iisdem MS. *Mirabellus* ex Canonico ejusdem Cathedralis Episcopus sub Gregorio X. anno 1272. die 29. Augusti; ex Ughello tom. I. num 3. *Marius Mirabellus* ex Canonico identidem illius Cathedralis Episcopus anno 1281. inde

de Archiepiſcopus Surrentinus anno 1285.: ex Ughellio ibid. num. 6. & tom. 6. num. 13. *Martius Altilius* Medicus celeberrimus & Regius Familiaris: ex Toppio biblioth. *Horatius Majorana* Eques Hieroſolymitanus, & dux militum in bello Belgico. MS. Andreæ Arduini. *Petrus Negronus* Pictor celebris anno 1553. varias tabulas mirifice pinxit, quas Dominicus Martyre recenſet ex MS. Bombini. *Julius Cæſar Baricelli* Medicus præſtantiſſimus, apud Vander Linden de ſcriptis medicis: multa edidit monumenta: *De hydronoſa natura*, Neapoli apud Scorrigium 1614. aliaque Coloniæ apud Smitz 1620. Januæ apud Albert. 1620. *Franciſcus Mirabellus* eruditione clariſſimus. *Dominicus Amodeus* Presbyter in Sinarum Regno Miſſionarius, doctrina & ſanctitate conſpicuus; aliique quamplurimi, quos inter *Onuphrius Sanſoſtius*, Poeta celebris, quem ego novi.

9. *Fagianum*. Nunc *Fagnano*: a gentibus Meliviti conſtructum, ut conſtans traditio eſt: primum exiguus vicus, nunc oppidum ſatis refertum habitatoribus. In Diœceſi S. Marci.

## SERT. QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Bombicinum*: Bombycinus dictus, quia ferax eſt bombycis; nam multa hinc provenit bombycis copia.

(*b*) *Blanda*. Nunc *Belvedere*. Omnes conveniunt *Blandam* eſſe Bellividerium.

(*c*) *Hanc Hyelam eſſe arbitror*. Quæ affinitas Bonifato cum Hyela? Verba Herodoti in Clio nihil ad rem.

(*d*) *Lampetes promontorium*. Ita omnes. Nunc *Capo del Citraro*. Lampetia *il Citraro*. Omnes itidem conſentiunt.

(*e*) *Temſa quondam appellata*. Melivitum Temſa? Nihil minus. Immo *Temſa* urbs erat maritima, ut habetur apud Pauſaniam, nunc *Nicetum*, vulgo *Sanlucito*.

(*f*) *Marcum Civitas*, *Argentanum olim*. Ita & alii. Sed hoc divinare eſt: Nam auctoritas Livii, qui ſcribit *Argentanum* cum *Vergis* aliiſque oppidis ad Romanos rediiſſe, nihil probat eſſe *Marcum*. Marcia Civitas dicitur a quibuſdam: conjectura non eſt omnino inanis, *Vergiarum* propinquitate.

# CAPUT V.

## *De Cetrario, Paula, ubi de Divo Franciſco, Caſtrifranco, aliiſque Oppidis Pagiſque Conſentiam uſque.*

AD mare (1) *Cetrarium* oppidum eſt edito loco ſuper ſaxum ſitum, mari incumbit, quod ejuſdem nominis fluvius adlabitur, *Lampetia* olim dictum, a Lampetia ſorore Phæthontis condita, cujus meminit Lycophron, & Polybius libro tertiodecimo, referente Stephano,

a qua gentile Lampetienſis & Lampeticus, unde Lampeticus ſinus, abeſt a Lampete promontorio m. p. ſex. Meminit & urbis hujus Pomp. Mela, itemque Plinius, licet quidam mendoſe *Clampetia* legant. Hic navale eſt ubi naves Triremes fabricantur, olei optimi copia, & ficus laudatiſſimæ fiunt, coquitur gypſum e Lapide. Naſcitur vitex, & fœnicula marina. A Cetrario ad quartum lapidem (2) *Vardia* caſtellum eſt montis vertice paululum a mari ſemotum cum balneis non vulgaribus, a Transmontanis habitatum. Hi bilingues ſunt, nam ſua,& Latina lingua utuntur. Sed nuper a transpadanis Gallis Lutherana hæreſi infecti ſui ſceleris pendere pœnas, nam omnes fere vitam ſuſpendio finierunt. In hoc agro gypſum naſcitur. Extant & glandiferæ ſilvæ. Nec longe eſt (3) *Fiſcaldum* caſtellum alterum, ubi ſaccarum fit, & mel ac vinum non ignobile. Naſcitur & lapis Phrygius. Supra eſt (4) (*a*) *Hetriculum* oppidum, quod vulgus corrupte *Lataracum* appellat. Quod una cum aliis quibuſdam ad Romanos rediiſſe Livius aſtruit. Ager hic frumenti & aliarum frugum ferax eſt, fiunt vina, ac lina, cannabis, & ſerica, & fructus optimi, ex quibus caſtaneæ ex inſitis arboribus laudantur, fit & xilon. Naſcitur gypſum & ſilex. Prope eſt (5) (*b*) *Toranum* oppidum cum ſpectato temeto. Hanc *Dapetiam* eſſe arbitror, quam cum aliis multis ad Romanos rediiſſe Livius tradit. Hic figlina opera fiunt. In hoc agro eadem fiunt, quæ in Lataraci agro. Torani agrum *Turbidus* fluvius a Marci agro diſpeſcit. Nec longe (6) (*c*) *Regina* oppidum eſt edito loco, *Herinum* olim appellatum, ab Oenotriis conditum. H*etinum*, ait apud Stephanum Hecatæus, *Oenotriorum urbs eſt mediterranea*. Juxta *Perditium* flumen labitur, & inde *Neja* fluvius alter fluit. Fit hic optimi olei copia, naſcitur alabaſtrites, & ſulphur, & ſilex, & nitrum, cos aquaria & olearia, lapis molaris, frumentarius & olearius. Inter legumina maxime laudatur cicer, provenit Terebinthus. Eſt & ager hic frumenti & aliarum frugum ferax. Quem *Finetum* flumen a Toranenſi agro diſterminat. Deinde eſt (7) (*d*) MONTALTUM civitas, *Uſſugum* olim dictum, quod ſimul cum aliis multis ad Romanos rediiſſe Livius ſcribit, ſedes Epiſcopalis quæ Conſentinæ juncta eſt. Hic nobile emporium in annos ſingulos celebratur. Fit ſerici optimi ingens copia. Texuntur panni ſericei, & frandinei. In hoc agro naſcitur alabaſtrites, & lapis molaris, frumentarius & olearius, & ſulphur oritur & chalcanthum & plumbum. Juxta *Vincentium* vicum ſal foſſile naſcitur. Eſt in hoc agro *Xoſtus* vicus. Agrum hunc *Manilianus* & *Septimius* amnes piſculenti irrigant, qui Crathidi miſcentur. Nunc ad fretum redeundum eſt. Ubi (8) (*e*) PAULA oppidum eſt cum fonte nobili, quod ejuſdem nominis fluvius præterfluit, divo Franciſco Minimorum Ordinis fundatore inclitum, *Patycos* olim dictum, ab Oenotriis conditum, ut Stephanus fert, incola Patycita. Eſt a Cetrario m. p. ſexdecim. Ortus eſt divus FRANCISCUS, ut de eo, ut par eſt, aliquid dicamus, a partu Virgineo anno Mccccxv. honeſtis parentibus, ac Chriſtianæ fidei cultoribus, haud ſane ſine futuræ ſuæ ſanctitatis portento. Nam ea nocte & hora, qua conceptus eſt, viſa fuit ſuper parentum domum trabs ignea. Hic ex unguiculis integer vitæ fuit,

ac

ac quantum per ætatem licebat, Deo famulabatur, atque inde omnem ætatem in Dei obſequio exegit, in cujus tantum amore acquieſcebat." Qui duodecimum annum agens cum parentibus Aſiſium Umbriæ urbem religionis gratia divi Franciſci Aſiſini corpus veneraturus petiit. Inde in Calabriam reverſus divino inſtinctu juxta Prophetæ dictum, *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*, patriam amplius ingredi renuit, ſed hominum cætum conſuetudinemque declinans ſeceſſum delegit. Ubi divino cultui jugiter die ac nocte impiger verſabatur, jejuniis, vigiliis, obſecrationibus, & contemplationibus incumbens. Manſit autem hunc in modum totum quinquennium. Subinde ſimul atque exceſſit ex ephebis undeviginti annum natus cœnobitas ad heremum, facta ſibi prius a Conſentino Antiſtite copia, admittere cœpit. Ac præter cetera, crebris etiam corporis laboribus operam navabat: itaut nulla vel momenti intercapedo interciperetur, quin & ſibi & aliis frugi plurimum eſſet. Erat nimirum cunctarum virtutum ſpecimen. Ejus vultus verum præ ſe numen ferebat. Pedes toto ſuæ vitæ tempore nudos geſſit. Signis plurimis fulſit. Quippe qui pleroſque vita functos ad vitam, lepra, aliiſque ulceribus & languoribus confectos ad priſtinam ſecundamque valetudinem revocavit. Luminibus captis viſum, auribus auditum reſtituit. Sæpe ignem nudis pedibus illæſus calcavit, calcariam ardentem & ruinam minantem nudis pedibus ingreſſus, nudis manibus ne rueret firmavit. Dæmonibus obſeſſos liberavit. Nec prophetiæ munere caruit: nam divino afflatus ſpiritu pleraque præcinuit " & præterita, alias ſibi ignota, aperuit." Sæpe plures dies ac noctes manſit impaſtus. Sanctam quadrageſimam totam abſque cibo potuque tranſegit. Carnes nunquam comedit, quin etiam ſuis Cœnobitis carnibus, ovis, lactariiſque, infirmitatis tempore excepto, & tum conſulente medico, penitus interdixit. Ejus ſanctitatis nomen ad Ludovicum Galliarum regem cum percrebuiſſet, omni poſthabita cunctatione rex ipſum ſumma veneratione ad ſe ſe accerſivit. At ille nonniſi Sixti quarti ſummi Præſulis juſſu ad eum acceſſit. Obiit diem ſuum Turone Galliæ ſenio confectus unum & nonageſimum annum agens a natali Dominico anno M D V I I. quarto Nonas Aprilis, Julio ſecundo Pontifice, die vero, & hora qua Chriſtus pro humani generis ſalute, Paraſceves inquam & hora nona expiravit, id eſt more Romano, horas a ſolis occaſu præcedentis diei uſque ad occaſum ſequentis numerando, hora vigeſima prima, ut etiam in Euangelii vinea liquet. Sui pridem finis diem, quo e vita hac exceſſit, ſuis alumnis Chriſti exemplo quam humiliter pedes lavit, Euchariſtiæque viaticum multis obortis lacrimis ſuſcepit. Qui a Leone decimo poſt Chriſtum natum anno *MDXIX.* in numerum Sanctorum relatus eſt. Sed de die Romano in Dig. ſcribitur, & de horis Martialis libro quarto. Paulæ clara vina fiunt, & dulce, vernatium dictum, & auſterum, laudantur cepurica. Fiunt & figlina opera, e quibus phialæ & ollæ laudantur. Erat hic palma frugifera, ſed agitata vento corruit. In hoc agro lapis molaris exciditur, frumentarius & olearius. Mare hoc piſculentum eſt, in quo verriculis ingens piſcium copia, necnon & coralium capitur. Poſt Paulam fluvius labitur *Thynna-*

*ria*

*ria* dictus, quod contra thynnorum captura fieret. Inde *Leudus* fluvius alter mare influit. A Paula m. p. quatuor (9) (*f*) *Nicetum* oppidum est, edito loco mari incumbens, quod victorem significat. Hic clarissima vina fiunt, dulcia vernacia dicta, & ficus optimae, laudantur & persica, & ollaris uva, plerique fructus praecoquuntur, ut Puteolis. Ager hic frugifer est. In quo etiam lapis molaris eximitur, frumentarius & olearius, & cos aquaria. Nascitur gypsum & silex. Fiunt palumborum & aliarum avium aucupia numerosa. Ex hoc oppido fuit (10) *Nicolaus* divi Francisci Paulitani socius, integrae ac sanctae vitae vir. Post oppidum *Mosa* fluvius labitur. Intus est (*h*) *Arintha* oppidum inter duos amnes *Emulam* & *Sordum* ab Oenotriis conditum ut Stephanus refert, distat a Niceto m. p. octo. Hic figlina opera pulchra fiunt & praesertim ollae coquinariae, & oleariae. In hoc agro praeter cetera ingens cicercularum copia fit, item gossipium, legitur manna. Nascuntur cos aquaria, & silex, & magnesia. Est & (11) *Felum* pagus. Dein est *Castrifrancum* (12) (*i*) oppidum edito loco, PANDOSIA olim dicta, quam Oenotrii condiderunt. Quae Oenotriorum regia fuit, quam *Acheron* amnis, quem *Capinianum* vocant, praeterfluit, a quo, ait Plinius, oppidani Acherontini. De qua Strabo libro sexto ita scribit: „ Supra Consentiam paululum Pandosia est validum propugnaculum, ubi Molossorum Alexander rex „ trucidatus est, Dodonaeo deceptus oraculo, Acherontem atque Pan„ dosiam cavere jubente, cum similis appellationis loca in Thespro„ cio monstrentur agro. Trivertex autem ipsum est propugnaculum, „ cui Acheron amnis praeterfluit. Aliud insuper fraudavit oracu„ lum: Pandosia perdes populum quandoque trivertex. Credidit enim „ hostium, non suorum cladem ostentari „. Oenotriorum quoque regum regiam fuisse Pandosiam memoriae proditum est. Fuit Alexander a Tarentinis in Italiam accitus, quo ipsis adversus Brettios opem ferret, nam Tarentini per se Brettiorum potentiae resistere non valebant. De qua re Justinus libro duodecimo ex Trogo Pompejo infit: „ Alexander rex Epiri in Italiam a Tarentinis auxilia adversus Bret„ tios precantibus solicitatus, ita cupide profectus fuerat, ut in divi„ sione orbis terrarum Alexandro Olympiadis sororis suae filio oriens, „ & sibi occidens sorte contigisset, non minorem rerum materiam in „ Italia, Africa, Siciliaque, quam ille in Asia & Persis habiturus. „ Huic accedebat, ut sicut Alexandro Magno Delphica oracula insi„ dias in Macedonia, ita huic responsum Dodonaei Jovis urbem Pan„ dosiam, amnemque Acherontem praedixerat, quae utraque cum in „ Epiro essent, ignarus eadem & in Italia esse, ad declinanda fato„ rum pericula peregrinam militiam cupidus elegerat. Gessit cum „ Brettiis bellum, sed juxta urbem Pandosiam, & flumen Acheron„ ta non prius fatalis loci cognito nomine, quam occideret, inter„ ficitur. Moriensque non in patria fuisse sibi periculosam mortem, „ propter quam patriam fugerat. Corpus ejus Thurini publice redem„ tum sepulturae tradiderunt „. Id idem Livius ab urbe condita libro octavo scribit. Hanc urbem aliquando Lucanorum fuisse Theopompus apud Plinium tradit. (13) Signabant Pandosii in denario

Appol-

Apollinem, & ex postico tripodem. Hic ingens serici copia fit. Nascitur in hoc agro gypsum, & silex. Non longe (14) (k) *Cyterium* oppidum est, quod literis immutatis *Cyrisanum* vulgus appellat, ab Oenotriis conditum. *Cyterium*, ait apud Stephanum Hecatæus, „ Oenotriorum urbs est mediterranea, a qua oppidani Cyterini „. Situm est edito loco in radicibus Apennini, cui mons sublimis imminet *Cacutius* ab alto cacumine dictus, nobilibus ac salubribus herbis oppletus. In hoc monte bolum nascitur haud ignobile, & fragarum copia ingens.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Cetrarium.* Hinc fuerunt *B. Antonius* Min. Observ. S. Francisci: ex Vvadingo tom. IV. anno 1399. *Franciscus Pyrrinus* Philosophus, Leonis X. Papæ Familiaris, doctissimus: ut ex inscriptione quæ Romæ extat in Basilica S. Laurentii in Damaso.

DEO IMM. SACRVM.
FR. PYRRINO A CITRARIO LEONIS X. PONT. MAX. FAMILIARI, JVLII CARDINALIS DE MEDICIS A SECRETIS, HOMINI ET FIDE EXIMIA ET LITERIS AC MORIBVS CVLTISSIMIS VSVQVE RERVM ET NATIONVM VARIARVM IN PRIMIS HABITO, IDONEO AD PRINCIPVM CVRAS PARTICIPANDAS INITIO FORTVNÆ SECVNDIORIS EX HVMANIS REBVS EREPTO I. A. SADOLETVS EIVSDEM PONTIFICIS A SECRETIS AMICO OPTIMO BENEMERENTI FECIT. VIXIT ANNIS XXXXVIII. NEMINEM VNQVAM, NISI MORTE, OFFENDIT.

*Albentius Rossi* Eremita, vir integerrimæ vitæ, qui totam Calabriam lustrans, elataque voce semper eadem repetens verba Italice, *Facciamo bene adesso che abbiamo tempo*, Hierosolymam ad sacra loca invisenda se contulit, unde allatam iconem B. Mariæ Virginis *Gratiarum* dictæ, ac miraculis claræ, ad ejus Ecclesiam Romæ juxta Portam Angelicam ab eo erectam conlocavit. Obiit anno 1606. magna sanctitatis fama: ex inscriptione quæ extat in fronte ejusdem Ecclesiæ. Fanuc. apud Piazzam tract. 1. cap. x. *Franciscus* ex Franciscana Reformatorum familia laicus, morum integritate conspicuus; ex Chronicis M.S. a Martyre laudatis. *B. Matthæus* Min. Observ. ex Martyrolog. & Chronicis Francisc. Pertinet ad Congregationem Cassinensem, tametsi Episcopus Sancti Marci aliquod sibi jus competere prætendat, ut ait Dominicus Martyre in suo MS.

Prope Cetrarium ad mare est oppidum *Diamas*, vulgo *il Diamante*, a flumine vel ab antiqua arce nomine accepto, anno 1638. extructum, satisque habitatoribus refertum. In Diœcesi S. Marci.

2. *Vardia*. Nunc vulgo *la Guardia*. Ibi laudabilis consuetudo, qua cautum est, ne vir pro dote sibi plus quam sex scutata illius monetæ ab uxore ducenda exsolvi audeat; non ita alibi. Est in Diœcesi Consentina.

3. *Fiscaldum*. Ex variis oppidulis in unum confluentibus ædificatum, ut constans traditio est. Quidam putant a loco ubi *Fons calidus* erat appellatum fuisse. Fuerunt ex hoc loco *Benedictus* Augustinianæ familiæ sanctitate & miraculis clarus: ex Thoma Herrera in Alphabeto Augustiniano lit. B. *Vienna* mater S. Francisci de Paula Ordinis Minimorum, ex Isidoro Tos-

Toſcano in vita S. Franciſci. Noſtris fere temporibus *Bernardinus Plaſtina* Ordinis Minimorum Generalis, inde Epiſcopus Opedenſis: obiit 16. Februarii 1697. *Antonius Plaſtina* M.C.V. Judex, & *Joannes Baptiſta Picardus* Ordinis Minimorum Provincialis emeritus. Vivit modo *Antonius Maria Sanctorus* ex Minimorum familia Epiſcopus Scalenſis, & Ravellenſis ann. 1732.

4. *Hetriculum.* Vulgo *Lattaraco.* Fuerunt ex hoc loco *Joannes Baptiſta*, & *Martinus* ex Minimorum familia oblati, morum integritate conſpicui, quorum ille Ferrariæ obiit 1618. hic vero Romæ ut prædixit die 24. Decembris 1624. ex MS. Martyrenſi. *Laurentius de Fuſco* in Regno Neapolitano Regius Auditor: ex Amato Pantop. Calab. Eſt in Diœceſi Biſinianenſi.

5. *Toranum.* Ex hoc loco fuere *Carolus Papus* Regi Ferdinando apprime charus, muneribuſque auctus; ut ex Regio Diplomate 26. Julii 1505. & MS. Gualt. Noſtris fere temporibus *Pompejus de Falce* & *Dominicus Baviera* Philoſophi, & Medici præſtantiſſimi. Vivit nunc *Antonius Cribarius* ex Minimorum familia eruditiſſimus, amicus noſter. Eſt in Diœceſi Biſinianenſi.

6. *Regina.* Hinc fuit *Joannes* ex Minimorum familia laicus morum ſanctitate conſpicuus: obiit Romæ 2. Oct. 1663. ex M.S. Martyrenſ. *Joannes Pizzullus* Presbyter Collegii Sancti Franciſci de Paula de Urbe ad Montes dicti fundator inſignis, ut ex Inſcriptione quæ extat in Eccleſia ejuſdem Collegii Calabri.

D. O. M.
JOANNI PIZZVLLO PRESBYTERO CALABRO REGINÆ DIOEC. BISIGNANEN BENE DE ORDINE MINIMORVM MERITO HVJVS STVDIORVM COLLEGII FVNDATORI NONAGENARIO FERE DEFVNCTO XIV. KAL. SEPTEMBRIS M.DC.XXIII. FRATRES EJVSDEM COLLEGII ET PROVINCIÆ EX ASSE HEREDES POSVERE. ANNO DOMINI M.DC.XLVI.

*Petrus de Marina* Presbyter, Theologus, Urbano VIII. charus, ſcripſit *Commentaria ſuper Canticis Canticorum Romæ edita 1669. in 8. apud Mancinum.*

7. *Montaltum.* Civitas nobilis, Sybaritæ, Thurinæque Reipublicæ ſocia, tellus aprica, undique Crathide, Annoja, Ferreira, Moſca, Maniliano, ac Septimio amnibus irrigata. Floruit ſemper ingeniis, infulis, clypeis, togis. Anno 1617. erecta fuit Academia celebris *Montaltina* appellata, poſtmodum *Incultorum* nomine inſignita, in quam ſub Flaminio Zumbini Principe ſive Archiagricola & nos cooptati fuimus. Ex hoc loco fuerunt *Joannes Baptiſta de Paula* Epiſcopus Biſinianenſis; ex Ughello tom. 1. *Franciſcus Molli* ex Minimorum familia Civitatis Legatus in Hiſpaniam ad confirmationem privilegiorum a Philippo III. expetendam, quam & obtinuit: ex M.S. Martyrenſi. *Joſeph Carnevalius* ſcriptor celebris in ſua Hiſtoria Sicula Neap. 1591. *Marcellus Palmerius* Ordinis Minimorum Generalis emeritus: ex Lanovio in Chron. *Paulus Antonius* ex Carmelitarum familia Mathematicus: ex M. S. Gualterii. *Petrus* Capuccinorum Inſtituti laicus ſanctitate conſpicuus: ex Chronicis anno 1598. *Raymundus Accomus* Prorex utriuſque Calabriæ anno 1338. ex Gual. *Simon Alimena* S. Franciſco de Paula chariſſimus, eleemoſynarius in-

insignis: ex literis S. Francisci, aliique quos videre poteris apud *Eliam de Amato* Carmelitam eruditissimum ejusdem Civitatis in sua *Pantopologia Calabra*, quam emunctæ naris viri accuratiorem desiderabant. Vivit nunc *Franciscus Zaverroni* Ordinis Minimorum Generalis emeritus, S. Inquisitionis Qualificator, patriæ decus & ornamentum. *Antonius* frater ejus Presbyter doctrina & prudentia clarus plurium Episcoporum atque Archiepiscoporum, nunc Annibalis Albani Cardinalis S. Clementis nuncupati Episcopi Sabinensis meritissimi Vicarius Generalis, edidit librum *Apologia Istorica critica legale &c.* Romæ 1735. *Angelus* itidem eorum nepos eruditissimus edidit epistolas duas Apologetico-Criticas pro Bruttiis ann. 1734. *Carolus Nardus* eruditissimus. Est in Diœcesi Consentina. Juxta Montaltum extat oppidum *Sambenedictum* appellatum quod ad Diœcesim Besidianensem pertinet, *Ullanum* antiquitus, ut vult Carnevalius *in histor. Sicula*. Sedes olim Episcopalis, ut ex inscriptione in baculo pastorali vetustissimæ iconis S. Nicolai. In ruderibus hujus oppidi inventa est urna quædam affabre expolita, quæ in Ecclesia Parochiali pro aqua lustrali asservatur cum epigraphe D. M. L. AVRELIO STEPH. PROC. AV-HEREDIS AVGVSTI. Patria fuit *Stephani Rodatà* Presbyteri, eruditione in utraque lingua, & morum integritate conspicui. Vivit nunc *Samuel* ejus frater Archiepiscopus Berensis, ejusque Nepos Pompilius in Bibliotheca Vaticana linguæ Græcæ Apostolicus Scriptor, uterque eruditissimus, & amicus noster. Hic nuper exstructum est Seminarium pro adolescentibus instituendis ad utramque linguam, qui possint, Episcopo ad id constituto, ad sacros Ordines Græco ritu promoveri: idque insigni paternaque munificentia Clementis XII. Pontificis Optimi Maximi ex nobilissima Corsinorum familia, Principis Romanæ magnificentiæ restitutoris, ac tam de tota Christiana Republica quam de Calabra natione optime meriti, ut ex inscriptione ibidem apposita.

CLEMENTI XII P. O. M.
CVI
RARA PLANE FELICITATE
CONTIGIT
QVOD SVSPICIS, VIATOR, DIVTIVS
EXPETITVM
COLLEGIVM
AD IVVENTVTEM ITALO-GRÆCAM
IN EA, QVAM EX EPIRO
MAIORES A CERVICIBVS GRAVE
TVRCARVM IVGVM AVERTENTES
HVC TRANSTVLERANT
PIETATE AC BONIS LITTERIS
INFORMANDAM,
COLLATO MANV BENEFICA ÆRE
MVLTO,
CVMVLATIVS AGGESTIS BENEFICIIS
MVNIFICENTISSIME CONDERE.
MON. POS.
AN. DOM. MDCCXXXIII.

Provinciam hanc, Samueli supra laudato, & Josepho Catalano Presbytero Congregationis S. Hieronymi Charitatis de Urbe, viro Clarissimo, mihique familiarissime juncto concreditam, summa diligentia, ac felicitate absolutam vidimus.

Prope Sambenedictum extat & vicus vulgo *li Marri*. Anno 1711. S. Congreg. Decreto Diœcesi Besidianensi adjudicatus fuit.

8. *Paula*. Urbs Alphonsi de Aragonia & Philippi III. privilegiis aucta: quorum ille in Diplomate VIII. Kal. Februarii 1444. Paulitanos cives ob præclara eorum merita Nobiles, egregios, & fideles appellat, ac de patris sui obi-

obitu certiores reddit; iste vero in Diplomate XVI.Kal.Decembris 1613 Civitati decem textrinas sericas extruendi potestatem fecit. Diplomata in ejus archivo asservantur. Extat & arx militibus munita. S. Franciscum Ordinis Minimorum fundatorem habuit sanctitate, & miraculis toto orbe clarissimum, ex Jacobo Martolilla, aliis Martorella Consentino, & Vienna a Fiscaldo natum anno 1416. ut ex Bulla Canonizationis, non 1437. ut Bollandus fert, quod postea & ipse advertit. Unum hic annotare sufficiat, Sanctissimum Patriarcham filios suos Minimos appellari voluisse, *Qui*, ut ait S. Hieron. epist. ad Rustic. Monac. *omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent: quos nec esuries aliquando nec saturitas superavit: qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est*.

Fuit ex hoc loco *Alexius* S. Francisci nepos in Gallia educatus, ubi filios genuit, Regi Christianissimo apprime charos: ex Lanov. in Chron. *Jacobus* S. Francisci pater, qui post vitam sanctissime traductam inter tanti filii amplexus animam Deo reddidit: ex eod. Lanov. *Nicolaus* S. Francisci alter nepos ab eo primum resuscitatus, postea alumnus, sanctissime obiit: ex eod. *Nicolaus Piccardus* eadem nocte natus qua S. Franciscus, Regi Ferdinando charus, in Hydrunti obsidione a Turcis in odium fidei truncatus capite, martyr occubuit die 7. Februarii 1481. vivente S. Francisco, qui hoc ejus fratri prænuntiavit: ex Gualterio lib. I. cap. LVI. *Nicolaus Zingonus* eadem etiam nocte natus, Regi itidem Ferdinando charus, Dux triremium: ex Francisco de Longobardis super epistol. XLIIII. *Bernardus Piccardus* Dux exercitus Ladislai Regis anno 1404. ex MS. Gualt. *Dominicus* Sacerdos, aliusque ejusdem nominis laicus ex Minimorum familia Sanctitate conspicui: ex Chronic. Florius ex Augustiniana familia doctissimus: ex Herrera in Alphab. *Franciscus* ex Franciscana familia Reform. tertiarius vitæ austeritate mirabilis: ex memor. convent. S. Franc. ad Ripas. *Franciscus de Lembo* S. Francisci civis sui verus imitator, sanctitate & miraculis clarus: ex Chron. *Franciscus* itidem ex Dominicana familia doctrina & pietate illustris, in Insulis Philippinis a Philippo IV. Episcopus Manilensis nominatus anno 1664. & ab Alexandro VII. confirmatus: ex Fontana in monum. p. 1. *Franciscus Spinellius* Instituti Capuccinorum Theologus celeberrimus & scriptor illustris: ex Toppio & Vvadingo. *Gregorius Carbonellus* Ordinis Minimorum Generalis sub Paulo V. Archiepiscus Neocæsariensis: ex Lanov. in Chron. *Isidorus Toscanus* ex Minimorum familia celebris scriptor edidit librum *Vita di S. Francesco di Paola* aliaq. ex Nicolao Toppio in Bibliothec. *Marius Carbonellus*, Ducis Mantuæ Senator: ex MS. Gualterii. *Scipio Amendolilla* a Carolo V. Eques creatus, & muneribus ob res bene gestas insignitus: ex MS. Gualt. *Persius Romanus* Parochus vitæ integer, & excellentissimæ Charitatis. *Thomas Maria Francia* ex Dominicana familia anno 1697. Episcopus Auriensis, *Antonellus Catalanus* Vir nobilis æque ac pius, a Sancto Francisco in Galliam transituro sui Conventus Procurator constitutus, ut ex monumento autographo. *Franciscus Catalanus* poeta celebris, cujus opera extant penes Josephum filium, quæ ego vidi, utinam excudenda.

*Mar-*

*Marcus Antonius Curatolus* Jurisconsultus celebris, & Cathedraticus in Urbe Neapolitana, ubi Italice publici juris fecit: *Discorso Genealogico della Famiglia Nardi*, *ann.* 1720. *Antonius Piscione*, & *Fabritius Virgopia* in jurisprudentia celebres & publici in eadem Neapolitana Urbe Cathedratici ad nostram memoriam usque, aliique non pauci apud nostrates & exteros celeberrimi. Vivit modo *Joseph Maria Perrimezzi* Ordinis Minimorum ex Episcopo Opedensi Archiepiscopus Bostrensis, notæ eruditionis vir, celebris in tot operibus ab ipso excusis, excudendisque, quorum non est hic locus elenchum texere. *Franciscus Mazzei* ex Minimorum itidem familia Provincialis emeritus. *Josephus Catalanus*, de quo supra num. 7. in suis operibus: *In Epistolas S. Hieronymi*: *De codice Sancti Euangelii*: *de Vita Ven.* Ser. *Dei Bartholomæi de Quental* Viri sane Apostolico Spiritu pleni; *Commentarii in Canones*, nuper in Urbe editis, aliisque postmodum edendis clarus *Thomas Maria Catalanus*, ejus Frater Dominicanæ familiæ Sacræ Theologiæ Magister & Concionator eximius, opuscula Theologica & conciones quamprimum est editurus. Ceterum hujus civitatis historiam modo scribit *Joseph Maria Catalanus* ex Minimorum Familia, ut super laudatus Josephus Catalanus ejus frater mihi retulit.

9. *Nicetum*. A verbo Græco Νίκη *victoria*. Nunc aliis *S. Lucido* pen. br. aliis *S. Lucito* pen. long. Hic Temsam fuisse extructam nonnulli eruditorum contendunt, quod verosimilius existimo. Vide supra num. 5. Hic etiam adversus Manfredum Regem ab Innocentio IV. per Archiepiscopum Consentinum S. Sedis Legatum Cruciata indicta est, cujus summus ductor extitit Petrus Ruffus: ex MS. Mart. Hoc oppidum ad Archiepiscopalem mensam Consentinam aliquando pertinebat, sed nescio qua permutatione Ecclesiæ indemnitati postea consultum fuerit. Vide Privilegia, inter quæ unum adest sub die 8. Septembris 1501. Joanne de Aragonia Archiepiscopo.

10. *Nicolaus*. Hic cum S. Francisco fuit, quando fretum Siculum mirabiliter super pallio trajecit, ut ex Chronic. Fuit ex hoc loco *Joannes* & *Nicolaus* alter socii itidem S. Francisci, quem hic gloria circumdatum aliquando vidit: ex Chron. Est in Diœcesi Consentina.

11. *Felum*. Nunc *S. Fili*. Ex Arinthæ pago oppidum nobile, satis habitatoribus refertum: Patria *Joannis*, & *Ioannis Baptistæ* ex Minimorum Familia morum integritate conspicuorum: ex M.S. Mart. Ex hoc loco etiam fuit *Aquilantes Rocchetta*, Eques S. Sepulchri, qui opus edidit *Peregrinazione di Terra Santa* apud Alphonsum de Insula 1630. Est in Diœcesi Consentina.

12. *Castrifrancum oppidum edito loco, Pandosia olim dicta*. Nonnulli Pandosiam *Mœnecinam* faciunt oppidum paulo remotius a Castrifranco: sive autem hoc, sive illud Pandosia fuerit, incertum: utrumque vetustissimum est. Conjicimus siquidem post Pandosiæ destructionem ad alterutrum saltem plerosque accolas confluxisse. Vide quæ adnotavimus supra n. 5. & infra cap. 9. num. 1. Est in Diœcesi Consentina.

13. *Signabant Pandosii*. Præterea

signabant hominem galeatum, & ex postico hominem turritum cum epigraphe ΠΑΝΔΩΣΙΕΩΝ. Golt. tab. 23. n. 10. Jovem laureatum cum epigraphe ΑΧΕΡΩΝΤΑΝ, & ex postico equitem armatum alium occidentem cum epigraphe ΝΙΚΙΑ, non sine allusione ad Niciam Consentinum qui Alexandrum Epyri regem trucidavit. Golt. tab. 25. n. 5. Item Caput mulieris calantica & inauribus ornatæ cum epigraphe ΑΧΕΡΩΝΤΑΝ, & ex postico hircum jacentem cum eadem epigraphe Golt. tab. ead. n. 6. Extat & aliud oppidum *Maranum* dictum, sed a nostris scriptoribus prætermissum, quod domus disjunctæ sint, & veluti per agrum disseminatæ. In eadem Dioecesi.

14. *Cyterium*. Vulgo *Cerisano*. Ex hoc loco fuerunt *Antonius* ex Dominic. familia Soriani in tetræmotu obrutus, morum integritate conspicuus: MS. Mart. *S. Ugolinus* Minorita, S. Danielis sociorum unus, Martyrio coronatus: ut ex epistola authentica, quæ in conventu Aræcæli Romæ asservatur & a Dominico Martyre in suo MS. recensetur. *Nicolaus* ex Franciscana Reformata familia, sanctitate & miraculis clarus: ex Chron. MS. a Martyre laudatis. *Franciscus* ex Minimorum familia, vitæ integer, qui in primæva Ordinis fundatione plurimum laboravit; ex Chron. aliique non pauci literis & pietate clari. Quæ de Cerisano infra adducit Sertorius Quattrimanus satis incerta sunt. Est in Dioecesi Consent.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(a) *Hetriculum oppidum, quod vulgus corrupte Lataracum appellat*. Cur *Lataracum Hetriculum* olim? Affinitas vocum non ea est, ut facile probare possit. At fama est, & ita vulgo existimatur: malus est harum rerum existimator vulgus, facileque in errorem ducit quos illi plus habent fidei quam par est. Verba Livii nihil ad rem.

(b) *Toranum oppidum hanc Dapetiam esse arbitror*. Toranum Dapetia? Unde hoc? Livius nihil probat, imo corruptus Livii probat codex; & legendum *Lampetia*.

(c) *Regina oppidum olim Herinum*. Fortasse non omnino vanum; nam vocum affinitas, ubi nihil aliud obstat, maximo est in his rebus argumento. Credunt eruditi sic dictam, quia in edito colle sita, & tamquam Regina superstat planitiei quam Crathis amnis alluit, vel quia a *Regina Margarita* instaurata sit, & muro & arce munita.

(d) *Montaltum Civitas, Uffugum olim*. Cur *Montaltum Uffugum* olim? aut quid Livius ad rem? Extructum scribunt eruditi ex ruinis Ullani, vel *Dragolini* oppidi, quod dirutum credunt a Saracenis, dictumque *Montaltum*, quod in edito colle sit situm.

(e) *Paula &c. Patycos olim*. Ita omnes passim recentiores, nixi, ut credo, nominis affinitate. Ego quid certe affirmem non habeo. Sunt qui credant a Paulo Coloniæ ductore denominatam.

(f) *Nicetum*. *Sanctus Lucidus* cum in clarissimo & aprico colle locetur, ut Phoebum venientem & recedentem intueatur, non injuria hoc no-

nomine appellatur. Nostri Annales *Nicetum* vocant, Jovius *Temsam* putat, atque ita omnino credendum est ex Pausania.

(g) *Vernacia dictum*. Vinum quod *Vernacia* vulgo dicitur, quia hiberno tempore ut plurimum bibitur, vinum *Rheticum* appellatur apud Latinos, non autem *Vernacium*, ut hic.

(h) *Arintha oppidum* nunc *Rende*. Ita nostri Annales.

(i) *Castrifrancum, Pandosia olim*. *Castrumfrancum* non est *Pandosia*, nec *Acheron* fluvius est, qui nunc *Campagnano*, ut vult Barrius ex Martyrano, & ut constans est apud omnes, & inveterata opinio. Sed novum est Oppidum a Gallis extructum, quasi *Castrum Francorum*. *Pandosia* vero est quæ nunc *Mœnecina*, vel ut dicitur *Menicino*: & *Acheron* fluvius dicitur hodie *Merensato*, *Arconte* vocant incolæ, qui *Mœnecinam* veterem præterfluit. Nec obstat Stephanum mentionem fecisse & *Pandosiæ* & *Mœnecinæ*; nam Stephanus parum prudens in hoc binominem Civitatem in duas plerumque partitur. Vel dicendum *Pandosiam* esse *Mœnecinam* veterem. *Mœnecinam* esse oppidum quod nunc *Menecino* dicitur.

(k) *Cyterium oppidum, quod literis immutatis Cyrisanum vulgo appellat*. Cerisanum novum est oppidum a Cerasorum copia dictum, ut Martyranus auctor est; nec est antiquorum Cyterium, ut vult Barrius. Quare Sardinus:

*Æternum Cerasus nomen depromsit ab Vrbe.*
*Æternum Oppidulo nomen & ipse dedit.*

## CAPUT VI.

### *De Consentia, vetustissima ac celeberrima urbe, ejusque amnibus Crathide ac Basento.*

INde in meditullio est (1) CONSENTIA, civitas nobilis divitiis pollens & vetustissima inter *Crathim* & *Basentum* amnes, ab Auxoniis, aut certe ab Oenotriis condita. Nam, ut dixi, ante Oenotri & Peucentii in Calabriam adventum Aschenazi posteri Auxones sive Auxonii a Græcis dicti universam regionem, urbes in ea rare tamen condentes, incoluerunt. Inde Oenotrii advenæ urbes in ea crebras extruxerunt. Post vero Trojanum excidium, præter alios Græcos, Phocenses & Philoctetes multas urbes in ea condiderunt. Est Consentia declivi loco sita Septentrionem spectans, atque a Niceto idest Tyrrheno mare, m. p. duodecim distans. Ab urbe ad orientale usque fretum vallis est amœnissima ad xl. m. p. longitudine, Crathi fluvio nobili & pisculento, de quo alibi plura, aliisque plurimis fluviis, qui Crathi miscentur, irrigata, ac crebris oppidis in speculis collibusque sitis, ac villis undique cincta. Nam parte læva sunt Domanicum, Mœnecina, Caroleum, Pandosia, Arintha, Montaltum, Regina, Lataracum, Toranum, Marcum, Rogianum, Fagianum, Tarsia, Terranova, & Albanorum vici complures. Parte vero dextera sunt Castionum, Lucii, Rosæ, Acra, Besidiæ, Coriolanum, & itidem Albanorum vici frequentes. Quæ vallis rerum omnium ubertate referta est, nam frumenti, & alicubi vel siliginis & alia-

aliarum frugum ferax eſt. Fiunt omnis generis fructus optimi in quibus caſtaneæ laudantur, non quæ ex nativis, ſed ex inſitis caſtaneis proveniunt, unde & infertas caſtaneas vulgus appellat. Fiunt item hortenſia non vulgaria, ac vina, olea, mella, lina, cannabis, goſſipium, ſeſama clara, legitur paſſim manna. Extant & læta pabula, atque in planis aucupia, in montibus venationes perpulchræ fiunt, Sunt & ſilvæ glandiferæ, & ſilveſtres. Fluvii omnes, quibus, planicies hæc ex utraque parte irrigatur, piſcoſi ſunt, in quibus, præter ceteros piſces, torentinæ capiuntur. Cingitur & utrinque Conſentia ditioni ſuæ ſubjectis crebris Caſtellis, de quibus mox. Eſt Conſentia ſedes Archiepiſcopalis, cui Montaltina ſedes adjuncta eſt. Quam una ex antiquioribus eccleſiis regni Siciliæ eſſe Innocentius Papa hujus nominis tertius ad Conſentinum Archiepiſcopum ſcribens aſſerit, cujus conſuetudines, quod ſacris canonibus non contrarientur, immutari nolit. De qua Joannes Joachinus Abbas ſuper Eſaiam inquit: „ Licet „ opprimi habeat in futurum eccleſia Conſentina, quæ cum Jezrael „ Carmelo, tertio Regum, vicina concordat in ſpiritu; ad eam ta„ men ac ſi ad alteram Bethlehem Angelus ſani conſilii dirigetur. Qui „ filios ejus ad interiora ſolitudinis transferat, & ſeculares Ægyptios „ tyrannorum furiis derelinquat „. Julianus Epiſcopus Conſentinus interfuit Synodo Conſtantinopolitanæ ſextæ, quæ ſub Agathone Papa celebrata eſt. In æde Epiſcopali multorum ſanctorum fruſta aſſervantur. Sunt enim calvitium Gregorii Nazian. brachium Martini Epiſcopi, brachium Hippolyti, & brachium Bernardi Abbatis, tibia beati Hieronymi, fruſtum crucis dominicæ, & crucis Andreæ Apoſtoli, pollex Rodos, qui fuit unus ex lxxii diſcipulis. Eſt & arbuſcula & arcula cum fruſtis oſſeis multorum ſanctorum. Item in ara maxima recondita ſunt fruſta crucis dominicæ, veſtis beatæ Mariæ Virg. & manna Joannis Euang. baculi Pauli Apoſtoli: fruſta Annæ, Simeonis juſti, Marci, & Lucæ Euangeliſtarum, Stephani Prot. Dionyſii Areopagitæ, Xiſti, Cornelii, Silveſtri, & Damaſi Rom. Pont., Blaſii, Laurentii, Anaſtaſii, Priſcæ, Martini, Nicolai, Hilarii, Baſilii, Malachiæ, Mariæ Magd. Theclæ, Sabinæ, Agathæ, Luciæ, Euphemiæ, & Samaritanæ, cum qua loquutus eſt Dominus. In ara a parte merid. ſunt fruſta Joannis Bapt. Zachariæ patris ejus, Joſephi ab Arimathia, Eufratæ, qui fuit unus ex lxxii. diſcipulis, Fabiani Papæ, Donati, Gervaſii, Protaſii, Sebaſtiani, Luciani, Juliani, Bonifacii, Pantaleonis, Coſmæ, Euſtachii, Marcellini, Antonii Abbatis, Macharii Abbatis, Conſtitii & Juſtinæ. In ara a parte Aquilonari, beato Petro & aliis Apoſtolis dicata, recondita ſunt fruſta crucis dominicæ, pars crinum Petri Apoſtoli, fruſta Pauli, Andreæ, Iacobi, Philippi, Matthæi, Mathiæ, & Bartholomæi Apoſtolorum, Clementis & Bonifacii Rom. Pont. pars crinum Gregorii Papæ, fruſta Ioannis Chryſoſtomi, Cameſini, & Cataldi Epiſcoporum, Rodos, Nerei, Achillei, Mercurii, Chriſtophori, Georgii, Dariæ, Vitaliani, Helenæ Auguſtæ, Cæſarii, Cyriaci, Tiburtii, Pancratii, Luciæ, Geminiani, Primi, & Feliciani, Felicitatis, Luciæ, & Agnetis. In templo Minorum beati Ioannis ejuſdem ordinis cœnobitæ corpus quieſcit.

Fuit

Fuit Consentia, ait Strabo, Brettiorum Metropolis. Quam Annibal, capta Petelia expugnavit, quæ ante annum cum aliis multis circumvicinis urbibus in fidem P. R. rediit, ut scribit Livius. Erat Romæ statua qua Consentini (*a*) Julium Agrium donarunt. In cujus superiori parte hi versus dimidiati extant:

JULII. ARCIANI V.C. ET IN L.

In base vero statuæ:

JULIO AGRIO TARRUTENIO MARCIANO V. C. ET IN L. NOBILITATE, JUSTITIA CLEMENTIA. CONSPICUO ET A PRIMO ÆTATIS FLORE, PROBATA QUÆST. CANDIDATO PRO CONSULI SICILIÆ, PRO CONS. ORIENT. LEGATO AMPLISSIMI ORDINIS TERT. VRBI. JUDICI. SACRARUM COGNITIO. ITERUM OB EGREGIA EIUSIN SENA ...QUOD ILLIS SUMMUS IN CUJUS LOC.. PER ANNOS TRIGINTA SENTENTIA... VETUSTATE PRÆLUCET. EIQUE EA ... HONESTA SEV IUSTA CONSEN -.. NOBILISSIMUS ORDO CONSEN... STATUAM MERITA EIUS PERPETUA ÆTATE PRIMUS AGENS CUM SVIS.

In Basenti alveo sepultus est Alaricus Gothorum rex, qui Redagaso fuerat suffectus. Ait enim Jernandes eo in libro, quem de rebus Get. scripsit: „ Alaricus subito immatura morte præventus rebus excessit humanis. „ Quem Geti nimia dilectione lugentes Basentum amnem juxta „ Consentiam civitatem de alveo suo derivant. Nam hic fluvius a „ pede montis juxta urbem dilapsus fluit unda salutifera. Hujus ergo „ in medio alveo collecto captivorum agmine sepulturæ locum effodiunt, „ in cujus foveæ gremio Alaricum cum multis opibus obruunt, „ rursusque aquas in suum alveum reducentes, ne a quoquam quandoque „ locus cognosceretur, fossores omnes interimunt „. Idipsum scribit Paulus Diaconus. Apud (2) *Basentum* quoque Otho Federicus Cæsar a Basilio Constantinopolitano rege superatus (*b*) scapham conscendens salutem sibi fuga quæsivit. (*c*) Afrorum rex quidam, qui magnam Calabriæ partem occupaverat, cum Consentiam oppugnat, fulminis ictu divinitus in ipsa oppugnatione interiit. Fuit Consentia depopulata & combusta ab Agarenis anno a partu virgineo Dcccclxx. Ioanne xiiii. Pontifice. Hic nobile emporium quoto quoque anno celebratur, fiunt opera figlina, & præter reliqua ferramenta, cultri fiunt. Atque, quod civitas in umbilico fere Calabriæ sit, & rerum ubertate polleat, regionis Præses residet. In Consentino agro, ait Varro rei Rust. libro primo, pomus bifera erat: quam tamen Plinius libro xv. triferam fuisse dicit. Nascitur in hoc agro vinum bonitate mirificum, cujus meminit Plinius libro xiiii. illud inter præclara Auxoniæ idest Calabriæ vina enumerans. Ubi sic scribit: „ Verum & longinquiora Ita- „ liæ ab Auxonio mari non carent gloria Severiniana, & Con- „ sentiæ genita, & Temsæ, ac Balbiæ, Lucanaque antecedentibus „ Thurinis. Omnium vero eorum maxime illustrata Messallæ potu „ ac salute Lagaritana non procul a Grumento nascentia „. Laudantur præter cetera hortensia & Consentinæ intubi sativæ, & brassicæ. Fit & coriandum & fœnogræcum, & castaneæ, quas insertas vocant, quod ex insitis castaneis fiant, sunt. n. crassæ & oblongæ (3). Secundum Consentinam arcem quæ imminet urbi, aurum & argentum & plum-

& plumbum nasci fertur. Fiunt opera figlina. Sunt in Consentino agro silvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ. Est & in hoc agro *Sila* silva picis nobilis. De qua Strabo libro sexto sic scribit. „ Est „ silva picis ferax optimæ Brettiana dicta proceris arboribus, & „ aquis recentibus referta ad stad. DCC. longitudinis „. Meminit & Silæ Maro lib. xii. quam vocat ingentem, & pulchrorum taurorum armentis frequentem esse ostendit. Meminit & Sallustius de fugitivis loquens. Hanc inter memora Vibius ponit. Est & crebris & iis pisculentis fluviis oppleta, quorum torentinæ laudatissimæ sunt. Arborum mira est frequentia ac varietas; nam alicubi pinastri frequentes tantum nascuntur, alicubi (4) tedæ crebræ: alibi aliud arborum genus. Atque ita tam vasta Silva arborum varietate distincta est, ut id naturæ opus mortalium solertia distributum videatur. Est & Silva hæc venationi & pabulis mirifice accommodata. In loco *Miliano* dicto sal fossile; in loco, cui *Machia germana* nomen est, aurum & plumbum; in *Collenigro* dicto lapidem molarem nasci ferunt. Nascitur & in Sila hac frutex rubo minori similis fructus ferens similes fragis paulo minores, gustu suaves "& odoratos" (*d*) *frambosos* vocant. Nascitur & arbor, (5) (*e*) *cacomalum* vocant, fructus ferens similes prunis colore electri. De hujus Silvæ pice meminit Columella libro xiii. & Vegetius sæpe libro quarto Veterinariæ, & Scribonius Largus medicus qui Tiberii principatu fuit. Celebratur & hæc pix a multis medicis. Dioscorides enim libro primo eam commendans ait: „ Pix privatim sicca vel spissa pro- „ batur, quæ pura pinguisque est, odorata, resinosa & leviter ruti- „ la, talis Lycia & Brettia conjuncta est simul picis & resinæ natu- „ ra „. Meminit & Galenus Antidotorum libro secundo in emplastro Menippi; & libro tertio de copia medicamentorum, & de compositione pharmacum libro octavo, & alibi: Item Paulus Aeginates in tertio libro de arte medendi, & Aetius libro xv. Plinius etiam libro quartodecimo c. 20. eam impendio commendat ait enim. „ Pix in „ Italia ad vasa vino condendo maxime probatur Brettia. Fit e picea „ resina „ Et rursus. „ Picis duo genera, spissum & liquidum, spis- „ sarum utilissima medicinæ est Brettia, quoniam pinguissima utras- „ que præbet utilitates „. Et libro xv. Picinum oleum laudans docensque quomodo fit, inquit: „ Oleum in Italia fictitium picinum „ dictum fit cum concoquitur, velleribus supra halitum ejus expan- „ sis atque expressis, probatum maxime e Brettia resina, est enim „ pinguissima & resinosissima.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Consentia*. Plerique *Brettiam* a Bretto vel Brento Herculis filio, & *Italiam* appellatam autumant, postea *Consentiam* ab incolarum *consensu* qui ad opinionem novæ urbis confluxere. Sed verosimilius a *Con*, quod, ut supra lib. I. Cap. II. n. 4. adnotavimus, *Herculem* lingua Ægyptia significat, & Ζὴν *Zen* quod *Jovem* exprimit patrem *Herculis*, a quo fortasse etiam *Consus*, qui Deus consiliorum fingebatur. Huic sub terra in circo maximo ara dedicata est, nec aperiebatur, nisi ludis Circensibus, ut ostenderetur consilia tecta

cta esse debere. Extat inscriptio a Panvino de Ludis adducta, quæ in Circo maximo effossa est.

CONSUS CONSILIO
MARS DUELLO LARES
COMITIO POTENTES.

Hercules quippe sine Minervæ ope ac consilio nihil agebat, ut ait Dionysius Halicarnasseus to. II. Προτρεπτικὸς ἀθληταῖς post initium: Ἡρακλεὶς δὲ σὺν τῇ Ἀθηνᾷ πάντα κατόρθωσε τὰ ἐπιταχθέντα. *Hercules cum Minerva laborum munia explevit omnia*. Quinimo *Consentes* Dii erant consiliarii Jovis. Enn. apud Apol. de Deo Socrat. S. August. de Civit. lib. IV. cap. 23. Martian. Capell. de Nupt. Philol. Vide Dissertationem *de origine Bruttiorum*. Hic Ludovici III. Regis cum Margarita Sabaudiæ Ducis filia celebratæ sunt nuptiæ ann. 1434. Verum sequenti anno interiit; ac sepultus fuit in Ecclesiæ Archiepiscopali ubi ejus tumulus invisitur. Extat Consentiæ Academia celeberrima ac vetustissima *Constantium* appellata, a Jo. Baptista Constantio Archiepiscopo de eadem optime merito, qui anno 1591. ad Consentinam Cathedram evectus est; sed longe ante illum Comitia literaria Consentiæ celebrabantur. Nec nisi viri selectæ doctrinæ atque eruditionis admitti hactenus consueverunt.

2. *Apud Basentum*. Vide adnotationes lib. I. cap. XIX. num. 3.

3. *Secundum Consentinam arcem*. Extabat alia antiquissima arx juxta monasterium vulgo *le Capuccinelle*. Ibi enim effodiendo in ruderibus reperta est inscriptio: VALERIUS FLACCUS A. F. BRETICAM ARCEM IMPENSA SVA RESTITVIT. Constat siquidem ex Petavio Consulatum Valerii Flacci sub anno Vrbis conditæ 493. contingisse.

4. *Tedæ crebræ*. Et his pix conficitur ad naves picandas, aliosque usus. Vide Plin. lib. XVI. cap. XII. Utuntur accolæ etiamnum pro facibus, quas alicubi vulgo vocant *deda*, alibi *lume*.

5. *Cacomalum*. Vulgo *Cacomilia*, a verbo Græco κακὸς *malus* quod, in edendo, palato male sapiat.

## SERT. QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Julium Agrium Romanum Consentini statua donarunt*. Quæ etiamnum extat Romæ cum dimidiato elogio literis vetustate consumptis. Idque mihi ostendit Joannes Dominicus Sorrentinus, vir probus, & prudens, & summa mihi familiaritate conjunctus.

(*b*) *Scapham conscendens*. Diximus hoc falsum esse alibi; ac de Basento in Lucania posito intelligendum?

(*c*) *Afrorum Rex quidam*. Abraham Maurorum Rex dum Consentiam oppugnat, fulmine ictus expiravit, & Consentiam obsidione liberavit, ut habetur in libro Annalium manuscripto, qui asservatur apud Familiam Quattrimanam Consentiæ.

(*d*) *Frambosos vocant*. Frambosa vox est Gallica, *Rubus Idæa* Dioscoridi, Tuscis *Lampone*, vide Matthiolum.

(*e*) *Cacomalum vocant*. *Cacomilum* vocant incolæ, non *Cacomalum*.

# CAPUT VII.

## *De Viris Consentinis, Sanctitate, Doctrina, ac Dignitate conspicuis.*

EX hac urbe fuit TELEPSHORUS presbyter & eremita, vir non mediocriter doctus, & sanctimonia praeditus. Qui sacris initiatus hominum consuetudinem declinans eremum petiit, ubi dieque noctuque Deo famulabatur. Hic res futuras nosse percupiens apud *Thebas* Calabriae urbem nunc *Lucii* dictam admodum supplex & moerens jugibus orationibus & lacrimis die ac nocte, necnon & jejuniis Deum precabatur, quo mala ecclesiae imminentia sibi revelare dignaretur. Vix tandem a virgineo partu anno Mccclvi. diluculo Resurrectionis dominicae ei leviter dormienti Angelus Domini virginei vultus, altitudinis cubitorum duorum, duabus longe nitentibus alis ornatus, candida talarique veste amictus apparuit. Atque ipsum dulcibus alloquens verbis quae jam dudum scire concupiverat, sibi aperuit. Invenit etiam apud Thebas inter cetera, libellos Cyrilli, & Joannis Joachini, & Lucae praesulis Consentini historias. Edidit de statu Ecclesiae & tribulationibus futuris librum. Obiit senio confectus. Hic Lucas monachus fuit, & Joannis Joachini alumnus, qui ob morum probitatem & vitae sanctitatem in Archiepiscopum Consentinum electus fuit. (1) Scripsit quaedam de Joachino magistro suo, & historias a natali Domini usque ad annum Mccccxvi. Fuit & ex Consentina civitate (2) JANUS PARRHASIUS " animi integer ", praestanti ingenio ac judicio vir, & flagranti studio, ac doctrina longe praeditus, poeta itemque orator, Latina Graecave lingua sane quam eruditus, nulli sui seculi secundus. Mediolani bonas literas publice est professus tanta facundia & doctrina, ut Trivultius sexagenarius ac summae dignitatis vir inter frequentem juventutis catervam conspiceretur. Inde Leone decimo Rom. Pont. conducente venit in urbem, professus est in ea publice bonas literas. Duxit uxorem Demetrii Chalcondylis filiam, qua felici cognatione & socer & gener utriusque linguae imperium tenuerunt. Edidit Commentarios in Claudianum, & in Nasonis Ibin recondita eruditione refertissimos. Scripsit & in Poeticam Horatii, & libellum de arte dicendi " & in Ausonii senarium, & de quaestionibus rhetoricis, & in Epistolas Ciceronis ad Atticum, & in Æneid. scripsit & opus De rebus per epistolam quaesitis viginti quinque libros continens, de quo meminit in primam epistolam Ovidii. Commeminit hujus operis & Joannes Pierius Ciminus Consentinus Parrhasii auditor in epistola ad Coriolanum Martyranum in Carisium grammaticum, ubi de Parrhasio loquens, inter alia sic ait: „ Summopere dolendum est, „ quod nescio cujus iniquitate, ejus opera fuerunt intercepta; inprimisque etiam deflenda est illius divini operis jactura De rebus per „ epistolam quaesitis, quod ipse sepe numero vidi quod erat ad editio- „ nem paratum, librisque constabat quinque & viginti: ubi diverso-

„ rum

„ rum auctorum loca pene infinita, Platonisque numeris obscuriora,
„ animata, divinaque illa dicendi ubertate explicabantur „ . Qui Carisii liber cum Ioannis Pierii epistola est Romæ in Bibliotheca Vaticana. Item Aldus Manutius Romanus lib. IV. Instit. Gram. Parrhasium plena manu laudans sic de eo scribit: „ In fragmentis illis
„ antiquis sine auctoris nomine quæ Janus Parrhasius homo utriusque linguæ doctissimus, cum Mediolani publice bonas litteras profiteretur, edidit; novissime in manibus erat pene absolutum volumen De rebus abstrusis per epistolam quæsitis quod quinque, &
„ viginti libros continebat. Scripsit & super epistolas Ovidii & in
„ primam epistolam commeminit de opere per epistolam, ubi, ait,
„ Copiosius & distinctius ostendam in eo opere cui nomen feci: De
„ rebus per epistolam quæsitis „. Hæc ille. Qui Aldi liber cum his verbis est in Bibliotheca Vaticana. Veruntamen quædam Parrhasii opera sub aliorum nomine leguntur, quod ipse Carolus Jardinus Consentinus ejus alumnus, persæpe indignabundus querebatur: Alii ajebat, nisi tu vivus tua scripta foras dederis, ex tuis laboribus vigiliisque ac doctrina honores consequentur & opes. Id quod nempe accidit. Siquidem plerique inglorii homines corniculam implumem atque informem, ut est in fabulis, imitantes, aliorum ingenio labore ac doctrina, & eruditorum nomen induunt, & gratiam a potentibus ineunt, ac magnum insuper quæstum faciunt. Sit itaque mihi libitum meæ patriæ, meisque conterraneis suas cuique laudes, quas alii falso sibi vendicarunt, prodito furto restituere. Idque nulli grave sit; nec mihi, sed ipsis qui eas sibi adscivere, fraudi sit. Ex Parrhasii Commentariis in Virg. Aeneid. in quatuor dumtaxat versus primi libri, *Ille ego qui quondam*, Parrhasii nomine impressi sunt: alii omnes una cum Commentariis Pomponii Leti Calabri hominis, qui & ipse in Virg. Aeneid. scripsit, sub nomine nescio cujus Pomponii Sabini, qui nullus fuit, falso leguntur. Opus vero De rebus per epistolam quæsitis, & Commentarii in epistolas Ciceronis ad Attic. in manus Cardinalis Siripandi pervenerunt, a quo eos Paulus Manutius habuit, ut Parrhasii nomine imprimeret ( erat enim officinator librarius ) ut a quibusdam Siripandi familiaribus fide dignis accepi. Id quod ipsemet Paulus mihi non negavit. Habui inquit, sed non dig....... quasi ipse præ illo doctus fuisset, cum multis partibus inferior illo fuerit, Commentarios, phrasi ac quibusdam mutatis & additis, nomine suo pertulit in medium. Opus vero De rebus per epistolam quæsitis epistolas quasdam paucas, non tamen in libros digestas ....... curavit, quasi totum Parrhasii opus in illis epistolis esset; alia omnia Aldo ejus filio, ut ille etiam aliorum ingenio scientia ac labore docti hominis nomen nancisceretur, servavit. Attamen ne dicti Parrhasii operis librorum numerus, utpote viginti quinque, sciretur, ex Charisii libris, quos de integro imprimi curavit, Ioannis Pierii epistolam abstulit. Ademit quoque ex Aldi Romani patris sui libro cuncta a verbo *novissime* usque in finem, librum ipsum itidem illo mortuo, denuo imprimens, tempore nihilominus quo ille ipsum impresserat, quo furtumque lateret, signato. Quod Parrhasii opus Aldus ipse Pauli


filius

filius in partes dividens, quibusdam nobilibus, & novem Cardinalibus, & in his Cardinalis Sirletus, vir ætate provectus Latina, Græca, & Hebræa lingua impense eruditus, tamquam suum dicavit: nomen tamen, quod Parrhasius operi illi fecit: *De rebus sive dubiis per epistolam quæsitis*, ut posset non negare illud Parrhasii esse, relinquens. Quasi Cardinales ipsi illum de rebus dubiisque per epistolam consuluissent. Franciscus etiam Robertellus, homo eruditus, qui Patavii publice bonas literas est professus, Paulum ex Zasii, & Grucchii, & Balduini Commentariis libellum de legibus Romanis lucubrasse, & suum fecisse scribit. Atqui, & ut probe Plinius ait, obnoxii profecto animi, & infelicis ingenii est deprehendi in furto malle quam mutuum reddere, fateri autem per quos profeceris, benignum & plenum ingenui pudoris est. Divus vero Basilius in epist. quæ est ad Gregor. Naz. Hujusmodi fures plagiarios improbis mulieribus comparat, quæ alienos foetus viris suis supponunt, patrem ementientes. „ Quan-
„ doquidem, inquit auctorem prodere grata commemoratione decet,
„ suumque ipsius scientiæ parentem.„ Cicero quoque Offic. tertio ait:
„ Qui, quod est alterius, sibi tribuit, contra naturam ac justitiam
„ agere his verbis ostendit. Societatis arctissimum vinculum est ma-
„ gis arbitrari esse contra naturam hominem homini detrahere sui
„ commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel
„ corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacent justitia; hæc enim
„ virtus omnium est domina, & regina virtutum „. Equidem nisi hujusmodi furtivam laudem publica confessione restituant, in alia vita graviter plectuntur. De Pauli autem orthographia, verius cacographia, de qua diphtongorum & vocalium permutatione, atque ejus errore circa talentum, sestertium, & denarium satis diximus in libris pro lingua Lat. & de Ætern. Urbis. "Fuit & ex Consentina urbe (3) PETRUS PAULUS PARISIUS Pontificio & Cæsareo jure consultissimus, qui Patavii & Bononiæ plures annos, frequente juvenum coetu, publice Romanum jus est professus. Inde a Paulo Rom. Pont. hujus nominis tertio Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ordini est addictus. Opus ingens & præclarum civilis juris Consilia continens edidit. Fuit & *Antonius Telesius* vir impense eruditus. Edidit librum de coloribus, & coronis, & librum elegiarum, & tragœdiam, quæ inscribitur Imber aureus. Vivit modo (4) BERNARDINUS ejus ex fratre nepos Græca lingua eruditus & Philosophus: scripsit de principiis naturæ libros duos. Fuit & *Coriolanus Martyranus* Marci urbis de qua dudum dixi antistes, spectatæ virtutis vir, utraque lingua satis eruditus. Scripsit tragœdias, Medea, Electra, Hippolytus, Bacche, Phœnisse, Cyclops, Prometheus, Plutus, Nubes. Odysseæ libros duodecim, Batrachomyomachia, Argonautica, Epistolarum librum unum, & alia quædam, quæ nondum sunt impressa. Fuit & (*c*) *Joannes Antonius Pandosius* Campaniæ Episcopus. Scripsit de prædestinatione & gratia, de arbitrio, & operibus, de vera Christi carne & sanguine, de cœna Domini. (*d*) Vivit modo *Joannes Thomas* ejus ex fratre nepos: qui scripsit de speculo comburente libros duos, de practica arithmetica, & geometrica demonstrativa librum 1. de Mechanica libr. 1.

Ar-

Archimedis omnia opera explicavit. Fuit & (5) *Joannes Baptista Amicus*. Qui juxta Peripateticorum placita cæleſtium corporum motus deſcripſit, nullis uſus eccentricis aut epicyclis, res ab antiquiſſimis Philoſophis & mathematicis tot ſecula fruſtra tentata. & ni immatura morte fuiſſet præventus, agreſſus eſſet majora. Egit diem ſupremum annum natus vigeſimum ſeptimum.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Scripſit quædam.* Extat MS. Lucæ Archiepiſcopi Conſentini *De ſacra liturgia*.

2. *Janus Parrhaſius.* Alias *Joannes Pariſius*; nomina etenim & cognomina mos erat ſeculo illo eruditis viris ſibi permutare. Vir iſte inter omnes ævi ſui eruditiſſimos facile princeps ad Fillenum, ſive Felinum pertinet patriam meam, ac ſuam. Vide adnotationes infra Cap. 8. num. 17.

3. *Petrus Paulus Pariſius.* Conſanguineus Jani Parrhaſii, tametſi Conſentinus apud nonnullos Scriptores reputetur, non ita res habet. Filleni natus eſt, ut ex antiqua traditione ac monumentis. Vide infra Cap. VIII. num. 17.

4. *Bernardinus.* Philoſophus vitæ integerrimus, Clementi VII. Paulo III. Marcello II. Paulo IV. Pio IV. Gregorio XIII., ac Cardinalibus, præcipue Farneſio literatorum Mæcenati, acceptiſſimus, ſciolis quibuſdam Teleſii doctrinam calumniantibus dicere ſolito: *Teleſio abſente omnes blaterant, præſente obticent.* Obiit anno 1588. ætatis ſuæ octogeſimo octavo, ad cujus tumulum hæc carmina Montanus appoſuit:

*Exiguum nati tumulum poſuere parenti,*
*Exiguas tibi præbet opes ſors dira Teleſi:*
*At tibi perpetuum nomen famamque perennem*
*Ingenii monumenta dabunt, cæloque micabis*
*Lux nova ſydereo, nulloque aboleberis ævo.*

Ab uno Teleſio didicerunt quotquot Philoſophi poſteriores, Carteſius, Galilæus, ceterique præcepta atque inſtituta Philoſophiæ adverſus Ariſtotelis placita tradere conati ſunt, non ſecus ac a Pythagora Plato, aliique Stoici. Vide Joannem Imperiali in ſuo Muſæo hiſtorico, Toppium in bibl. & Nicodem. in addit. Scipionem Mazzellam Teleſii diſcipulum, Thomam Campanellam, alioſque fuſe de Teleſio tractantes.

5. *Joannes Baptiſta Amicus.* Patavii hoc de eo apud Schrederum in Monum. Ital. epitaphium legitur:

JOANNI BAPTISTÆ AMICO CONSENTINO, QVI CVM OMNES OMNIVM LIBERALIVM ARTIVM DISCIPLINAS MIRO INGENIO, SOLERTI INDVSTRIA, INCREDIBILI STVDIO LATINE GRECÆ, ATQVE ETIAM HEBRAICE PERCVRRISSET FELICITER, IPSA ADOLESCENTIA SVORVMQVE LABORVM ET VIGILIARVM CVRSV PENE CONFECTO A SICARIO IGNOTO LITERARVM VT PVTATVR, VIRTVTISQVE INVIDIA INTERFECTVS EST. MDXXXVIII.

*Præmia quæ referunt aliis, vitamque perennem,*
*Virtutes uni huic cauſa fuere necis.*

Fuerunt ex Civitate Conſentiæ & alii viri literis, armis, infulis, toga, omnique virtutum genere celeberrimi, quos ex variis monumentis excerpſimus, atque hic alphabetico ordine adnotavimus.

*Adamus a Duſſiaco* magnus Regni Cancellarius anno 1292. ex Ms. Gualterii; tametſi alii Gallum faciant.

*Adenulphus de Aquino* Vallis Crathidis Juſtitiarius, ex Diplomate Ro-

Roberti Ducis Calabriæ, in quo sic legitur: *Robertus &c. Adenulpho de Aquino de Cusentia Justitiaro Vallis Cratis.*

*Adenulphus Firraus* anno 1310. Regius Familiaris: ex Aldimario to. 3.

*Aemilius Bombinus* Episcopus Umbriaticensis; ex Ughello.

*Albertus Gullius* ex Minimorum familia sanctæ vitæ vir, quem ego novi. Obiit Romæ in Collegio S. Francisci de Paula ad montes, magna sanctitatis fama.

*Alexander Castilionus Maurellus*, Caroli V. Imperatoris Familiaris: ex Samblas.

*Alexander Maurellus*, Dux Militum in Belgio: ex Samblas.

*Alexander Merenda* S. Pio V. charus, & ejusdem apud Joannem de Austria orator, licet Misasius in suo MS. Paterno adscribat: ex Petro Vincenti in suo theatr.

*Alphonsus Castilionus Maurellus*, Alexandri filius ejusdem civitatis Archiepiscopus: ex Samblas, & Ughello.

*Alphonsus Dattylus*, Dux militum in Gallia: ex Samblas.

*Altilius Alimena*, Gubernator Calabriæ: ex Mugn. & MS. Martyr.

*Ambrosius Marzanus*, sive *Marzatus*, utraque lingua, & morum integritate conspicuus: ex Toppio in bibl.

*Americus de Cavalcantibus* Calabriæ Gubernator: ex Samblas.

*Andreas Arduinus*, Caroli V. Imperatoris supremus Consiliarius: ex Marco Arezzio de situ Siciliæ.

*Andreas Firraus*, Justitiarius in Valle Crathidis anno 1291. ex Aldimario.

*Andreas Garofalus*, Advocatus Fiscalis M. C. V. Neapolis anno 1503. & 1504. ex Toppio p. 3. de Orig. Trib.

*Andreas Parisius*, Regis Ferdinandi Secretarius: ex Samblas.

*Andreas Sersalis*, Eques sedilis vulgo *di Nido* Regius Familiaris: ex MS. Famil. Consent.

*Andreottus Lauria* Regiæ classis Præfecti Locum tenens: ex Petro Vincenti.

*B. Angelus* Minorita laicus: ex Vvadingo.

*Angelus Matera*, Regis Roberti Familiaris in Provincia Principatus ulterioris Gubernator, & Justitiarius: ex Petro Vincenti.

*Angelus Tirellus*, in militia clarissimus: ex Samblas.

*Annibal Sersalis*, Regius Familiaris: ex eod.

*Antonellus Samblasius*, Dux militum: ex MS. Famil. Consent.

*Antonius Firraus*, S. Agathæ &c. Princeps, Conventus S. Francisci Reformatorum Consentiæ Fundator: *ex inscriptione ibidem apposita.*

*Antonius Castilionus Maurellius* ex reformata Franciscana familia doctissimus Sanctæ vitæ *Chr. M.S.*

*Antonius de Caroleis*, Episcopus Opedensis anno 1424. postmodum Besidianensis anno 1429. Obiit Consentiæ anno 1448. ex inscriptione quæ extat in Ecclesia S. Francisci Minor. Observ.

D. O. M.
ANTONIO EX PATRITIA FAMILIA
DE CAROLEIS EX VRBE CONSENTIA
EPISCOPO BISIGNANI CLARISSIMIS
PRO PATRIA ANNO MCCCCXXII.
DVM LAICVS ESSET LEGATIONIBVS
PERFVNCTO, ATQVE JAM EPISCOPO
ALPHONSVS REX ANNO MCCCCXXI.
FVIT LONGE BENEFICVS, ET DVM
PRO HVJVS TEMPLI ORNATV VASTATVR MONVMENTVM, FRANCISCVS
EX PATRITIA FAMILIA MONACHO
EX VRBE CONSENTIA JVRISCONSVLTVS EPISCOPVS MARTYRANENSIS,
COMPOSITIS HVMO CINERIBVS,
ETIAM EXOSSEM TVMVLVM PONI
CVRAVIT ANNO A CHRISTO NATO
MDXCI. ET EPISCOPATVS EJVSDEM
FRANCISCI MONACHI ANN. PRIMO.

Qua-

Quare corrigendus Ughellus, qui anno 1421. ejus promotionem contigisse scribit.

*Antonius* Capuccinorum Instituti sacerdos sanctitate conspicuus: ex Chron.

*Antonius Gaeta*, S.R. Collat. Cons. Regens emeritus: ex Toppio de orig. Tribun.

*Antonius Gaeta*, S. Francisci Minorita Commissarius & Custos Terræ Sanctæ, eruditione clarissimus: ex MS. Martyr.

*Antonius Serfalis* Dux militum Mediolani: ex eod.

*Antonius Telesius* apud Regem Ladislaum & Reginam Joannam Orator, & Ludovici III. Consiliarius: ex Samblas.

*Antonius Telesius* alter, patruus & magister Bernardini, Philosophus, Orator, & Poeta celeberrimus, varia edidit monumenta: ex Jovio, Toppio aliisque.

*Arnulphus* I. & II. Archiepiscop. Consentin. Vide *Ughell.*

*Augustinus Caputus*, Jurisconsultus doctissimus, edidit librum *de regimine Reipubl.* Vide Topp. in bibl.

*Augustinus Cavallus* ex Dominicana Familia Theologus insignis: ex Marafiot.

*Augustinus Donius*, Philosophus, scripsit *De natura hominis* Basileæ ann. 1581. in 4. ex Topp.

*Augustinus Monachus*, Episcopus Isulanus: ex MS. Famil. Consent.

*Aulus Pyrrhus Cicala*, Poeta celebris: ex MS. Gualter.

*Auripius Arnonus*, Consentiæ Gubernator sub Alphonso Aragoniæ. Mugnos in suo Theatr.

*Bartholomæus Bombinus*, M. C. V. Neapolis Judex, postea Præses. Toppius de orig. Trib.

*Bartholomæus Quattrimanus*, Philosophus Telesianus, eruditissimus: ex Jo: Paulo de Aquino in oratione funebri Telesii.

*Bartholomæus Serfalis*, Prorex Aprutii sub Carolo I. ex Samblas.

*Basilius de Caroleis*, doctissimus. Topp. in bibl.

*Beprandus* ex Archidiacono Archiepiscopus Consentinus. Vide *Ughell.*

*Berardus*, seu *Bernardus Matera*, Archiepiscopus Tranensis: ex MS. Famil. Consent. tametsi ab Ughello ignoratus.

*Bernardinettus Francus* scriptor celebris: ex Terminio & Zazzera super Famil. Constant.

*Bernardinus Bombinus*, in morali philosophia clarus, multa edidit Romæ, ac Venetiis, multaque scripsit de historia Calabriæ, quæ extant Consentiæ apud heredes Familiæ suæ, quodque mihi Romæ affirmavit Nicolaus Bombinus Presbyter bonis literis & prudentia instructus, familiarissimus meus. Vide Topp. in bibl.

*Bernardinus Cicala* apud Reges Aragonenses Orator, summæ prudentiæ vir: ex Samblas.

*Bernardinus de Bernaudis* eruditione clarissimus, apud varios Principes, sedemque Apostolicam Orator, Regis Friderici Consiliarius, ab historicis impense commendatus. Cantalic. lib. 1. Topp. de orig. Trib. MS. Gualt.

*Bernardinus Ferrarius* Episcopus Besidianensis: ex MS. Famil. Consent. ab Ughello præteritus.

*Bernardinus Martyranus*, Coriolani frater, doctissimus, Regis Aragoniæ primum a secretis, postmodum Caroli V. Apud Schrederum *de monum Ital.* hæc de Martyrano inscriptio legitur.

BER-

BERNARDINVS MARTYRANVS CONSENTINVS IMPERATORIS CAROLI CÆSARIS AVSTRII A CONSILIIS, IN REGNO NEAPOLITANO SECRETARIVS, QVI MAGNIS DOMI, MILITIÆQVE FVNCTVS HONORIBVS, DECVS VETVSTISSIMÆ FAMILIÆ AVXIT SVA VIRTVTE, ET DIGNITATE POST LABORES HONESTE FORTITERQVE SVSCEPTOS, EX OPERE NOVO CONCHARVM NIMPHÆVM HOC GENIO POSVIT, ET OCIO LIBERALI MDXXXV.

Vide Augustin. Niphum in Commentar. super elench. Mazzellam & Topp. in bibl.

*Bernardinus Matera*, apud Regem Orator: ex MS. Mart.

*Bernardinus Maurellus* C*astilionus* ann. 1496. Regis Friderici Aragonensis a secretis: ex Samblas.

*Bernardinus Riccius*, Philosophus, & Theologus diseitissimus, multa scripsit. Vide Speram lib. 4.

*Bernardinus Roccus*, apud Reges Aragonenses Orator: ex Samblas.

*Bernardinus Telesius*, de quo supra in Barrii textu.

*Bonomus*, sive *Bonus homo*, Archiepiscopus Consentinus: ex MS. Martyrensi.

*Cæsar Firraus*, Principibus, præsertim Poloniæ Regi apprime charus, Collegii Consentini Scholarum piarum, quod postea anno 1638. desiit, fundator munificentissimus: ex Samblas.

*Cæsar Gaeta*, Dux militum: ex Carolo de Lellis.

*Cæsar* P*assalacqua* Carolo V. Imperatori charus, cui militavit, interfuitque Ludovici Regis Galliæ captivitati: multis muneribus ab Imperatore actus fuit: ex Samblas.

*Camillus Fera*, eloquentissimus, scripsit *De vita humana*. Vide *Topium in bibl.* Tametsi autem Consentinus scribatur, ad Cellaria Filleni pagum fortasse spectat, ubi erat nobilissima Familia Fera, ut infra dicemus.

*Camillus Salernus*, Philosophus, & Jurisconsultus, licet alii Castroveti adscribant: ex MS. Mart.

*Carolus* C*uzzolinus*, Episcopus Puteolanus, obiit anno 1698. ex eod.

*Carolus de Aquino* Poeta celebris, multa edidit: ex eod.

*Carolus Maurellius* C*astilionus*, Regius Consiliarius. Vide Samblas & Mugn. part. 2.

*Celsus Mollius*, Philosophus & Medicus. Topp. in bibl.

*Ciccus Monachus*, Regius Familiaris. Petr. Vincent.

C*iccus Pelusius*, Regni Secretarius: ex MS. Famil. Consent.

C*iccus Samblasius* Regius Familiaris: ex eod. MS.

C*oriolanus Martyranus*, de quo supra in textu.

C*osmus Maurellus* C*astilionus*, Poeta celebris: ex Samblas.

*Curtius Bombinus*, Regius Consiliarius: ex MS. Famil. Consentin.

*Daniel Sersalis*, doctissimus, Congregationis Vallis Umbrosæ Abbas Generalis: ex Inscriptione quæ extat Romæ in Ecclesia S. Praxedis, quamque hic subnectimus:

D. O. M.
D. DANIEL SERSALIS ABBAS GENERALIS CONGREGATIONIS VALLIS VMBROSÆ SILVESTRINÆ INTER VMBRAS SACRÆ VALLIS EDOCTVS, OMNIA VMBRAM ET NIHIL ESSE, MORTIS MEMOR, CANDIDATVS IMMORTALITATIS VIVENS POSVIT, VT DISCERET E SEPVLCHRO RERVM HVMANARVM VOTIS ABDICATIS FRACTISQVE AD CINERES MALE ÆSTVANTIVM CVPIDIDATVM FLVCTIBVS SIBI MORI, DEO VIVERE.
MDCLXII.

*Diana Moscana*, virginitatis contra nefarium aggressorem, quem trucidavit, custos integerrima, ac vindex. Vide Capaccium in elog. lib. 1.

Di-

*Didacus Maurellus Castilionus*, Episcopus Miletensis, ut ex inscriptione quæ extat in ead. Cathedr.

*Didacus Sersalis*, Archiepiscopus Bariensis. Ughell.

*Dionysius Campanella*, Carmelita, doctissimus, Episcopus S. Agathæ Gothorum. Ughell. & Topp.

*Fabricius a Valle*, eruditissimus, traduxit Cæsaris Commentarios, aliaque in linguam Italicam: scripsit volumen epistolarum Latine: scripsit & Commentar. in Plaut. Vide Topp. in bibl.

*Ferrantes*, sive *Ferdinandus Bernaudus*, miles fortissimus: ex MS. Consentin.

*Ferrantes Favarus*, miles itidem fortissimus; ex eod. MS.

*Ferrantes Stocchius*, Philosophus, Theologus, & Astronomus peritissimus, multa edidit Consentiæ 1657. Ex Gregorio Lauro.

*Flaminius Monachus*, Jurisconsultus, multa edidit. Topp.

*Flaminius Parisius* Archigymnasii Romani Juris Pontificii primarius Lector, inde Episcopus Bituntinus. Ughell. Vide infra num. 17.

*Flaminius Samblasius*, R. C. Præses: ex MS. Mart.

*Flavius Fieschi*, eruditissimus, multa edidit. Vide Allatium in Apes Barberin. & Topp. in bibl.

*Franciscus Alimena*, Caroli Regis Andegavensis Familiaris. Mugnos part. prima.

*Franciscus Amicus* Soc. Jesu Theologus insignis, multa edidit monumenta. Topp. in bibl. Tametsi Montaltius, & Vvendrochius eum sugillent.

*Franciscus Castilionus Maurellus*, Alphonsi Frater in Germania Equitibus Præfectus, Innocentii X. Summi Pontificis exercitus Locumtenens generalis. Obiit in bello Castrensi mense Augusti 1649. Samblas & Mugnos.

*Franciscus Marianus* ex Minimorum Familia sanctæ vitæ vir: ex Gravina in lib. Vox Turturis p. 2.

*Franciscus Darius*, Archiater Regius sub Ladislao, ut ex regestu anni 1390. & MS. Gualter.

*Franciscus de Tarsia*, literis clarus & armis, M.C.V. Regens, Carolo V. Imperatori apprime charus, muneribusque auctus. Toppius p. 3. de orig. Trib.

*Franciscus Franchinus*, Massæ Populoniæ Episcopus, doctissimus, apud Scriptores celeberrimus, ut ex Inscriptione quæ extat Romæ in Ecclesia SS. Trinitatis in monte Pincio, quæ hæc est:

FRANCISCO FRANCHINO
CONSENTINO
MASSÆ POPULONIÆ EPISCOPO,
PRUDENTI ACRIQUE INGENIO,
ATQVE VENUSTO POETÆ, QVI
PHOBI, MARTISQVE CASTRA
SEQUUTUS, RETULIT AD PATRIOS
BINA TROPHÆA LARES. JACOBUS
SFORTIA, ET JOANNES BAPTISTA
FRANCHINUS HÆREDES
P. MOESTISS. VIXIT
ANN. LIX.

*Franciscus Garofalus*, Jurisconsultus celebris. Topp. in bibl.

*Franciscus Martyranus* Minorita Episcopus Coren. VVading. ad ann. 1523.

*Franciscus Matera*, Dux militum, & apud Regem Orator: ex Samblas. Et MS. Famil. Consent.

*Franciscus Monachus*, Jurisconsultus, Episcopus Martyranensis: ex Ughello, qui tamen corrigendus est; non enim consecratus est Episcopus anno 1592, sed 1591. Constat siquidem

M

dem ex Inscriptione superius allata.

*Franciscus Parisius*, Presbyter, Theologus, Latine, Græce, Hebraice eruditissimus. Obiit Romæ 1637. in Domo Congregationis Doctrinæ Christianæ, tametsi Misasius in suo MS. Paterno adscribat; ex MS. Martyr.

*Franciscus Samblasius* Soc. Jesu in Indiis celeberrimus: ex Inscriptione quam hic subnectimus;

PII, HIC EST MAGNUS PATER FRANCISCUS DE SANCTOBLASIO SOC. JESU SINARUM APOSTOLUS, PRO CHRISTO VIRGIS CÆSUS, DUOBUS SINICIS IMPERATORIBUS UNICE DILECTUS, SUB UTROQUE AD MACAON LEGATUS, ET PROREX PENTOPOLI, REGIO TANTVM DRACONE INSIGNITVS, SANCIANI INSVLÆ ET IMPERATORIS NVNQVAM REGIA VESTE DONATVS, BONTIIS TRIVMPHATIS, ET MILLIBVS IDOLORVM ATTRITIS, POST MANDARINOS BAPTISMATE ABLVTOS REGINAM NEOPHITAM, ET REGIAS ÆDES VSV SACRI COMMVTATAS IN ÆDEM, SINICVS SCRIPTOR DE ANIMA DE SOMNO, DEPOSTVRA IMPERIALI, DIPLOMATE ET HYMNO, EPISTOLISQVE, DIGNVS IMPERATORIS ENCOMIASTIS, OBIIT NANQVIN 1649. REGALI CEDRINO SEPVLCRO INTER REGII SANGVINIS PRINCIPES HVMATVS ANNO ÆTATIS 67.

Vide Carolum de Lellis, Dan. Barthol. & Topp. in bibl.

10. *Franciscus Scaleonus* Regni Mareschallus: ex Samblas. & Lauro in Vit. Abb. Joach. cap. 16.

*Franciscus Telesius* Jureconsultus celebris, Advocatus Fiscalis ann. 1282. scripsit super Constit. Regni. Petr. Jann.

*Franciscus Vitalis* eruditione clarus. Topp.

*Franciscus Antonius Dattylus*, Dux militum: ex MS. Mart.

*Franciscus Antonius Rossius*, eruditissimus, multa edidit apud Speram lib. IV. Topp. in bibl. & Nicod. in addit.

*Fulvius Caputus* Soc. Jesu ab Indis in odium fidei occisus ex Martyrolog. Gualterii 18. Octob.

*Galeatius de Tarsia*, Regis Alphonsi Familiaris, Dux militum Regi acceptissimus, variisque muneribus locupletatus: ex Samblas. & Gualt.

*Galeatius alter* Ferdinandi Regis intimus Consiliarius, bis M. C. V. Regens, eruditissimus. Scripsit Italica carmina omnium judicio celeberrima. Topp. de orig. Trib.

*Galeatius Monachus*, Regius Consiliarius: ex Petr. Vincent.

*Galeottus Paschalis*, Regis Ladislai familiaris; ex Cæsare de Engen.

*Galeottus Quattrimanus* Episcopus Crotoniensis, interfuit concordiæ inter Regem Alphonsum & Civitatem Consentiæ initam: ex Samblas. & Ughell.

*Gavinus a Consentia* Breticæ Classis Præfectus, qui Corpus S. Matthæi Apostoli in Lucaniam advexit, unde postmodum Salernum translatum fuit. Vide Baron. to. 2. ad ann. 954. Leon. Ostiens. & Paul. Reg.

*Georgius Sersalis*, Dux militum; ex MS. Famil. Consent.

*Gerardus Matera*, Regiæ classi Pro-Præfectus ann. 1270. ex Gualterio.

*Gothifredus a Consentia*, Regis Manfredi a secretis. Ughell. to. 9. ex Anonym.

*Guido de Cavalcantibus*, Poeta celeberrimus. Leo Allat. & Toppius in bibl.

*Guillelmus a Consentia*, classi Friderici II. Præfectus anno 1239. ut ex

re-

regeſtu ejuſdem anni.

*Guillelmus Monachus*, Regis Ferdinandi a Conſiliis: ex Petro Vincenti in theatr. hiſt.

*Hadrianus Guillelmus Spatafora*, Regio Archivio Præfectus, vir eruditiſſimus. Topp. in bibl. & Capacc.

*Henricus a Conſentia*, *Cuſantes* dictus, Caroli I. exercitus Dux ſupremus. Samblas.

*Henricus Firraus* Regni Mareſchallus. Aldimar. to. 3.

*Henricus Scaleonus*, Bretici exercitus Dux ſupremus. Idem.

*Hettor Serſalis*, eruditione clariſſimus. Topp.

*Hieronymus Martyranus* Regni Secretarius. Samblas.

*Hieronymus Quattrimanus* R. C. Præſes. Topp. de orig. trib. p. p.

*Hieronymus Rocchus*, eruditiſſimus multa edidit. Leo Allat. in Ap. Barb.

*Hieronymus Samblaſius*, ex Dominicana familia Theologus, edidit Neapoli 1639. in 8. opus, *Raguaglio di Coſenza &c.* Neap. ann. 1639. multaque alia edidiſſet, ni morte præventus fuiſſet: Topp. in bibl.

*Hieronymus Serſalis*, ingenio, ac dexteritate clarus, Abbas Montis Caſini. Paul. Diac. de viris Caſin. illuſtr. cap. 28. Samblas.

*Heronymus Vecchiettus*, Philoſophus & Aſtronomus doctisſimus, ſcripſit *de Anno Sacro primitivo*, & *de Sacrorum ratione temporum*; licet alii ad Caſtilionum Conſentiæ pagum pertinere putent. Vide Baron. to. VI. pag. 692. edit. Rom. in fin. & Gualt.

*Horatius Brittus*, Comes, & Duciſſæ Sabaudiæ cubiculo Præfectus: ex MS. Conſent.

*Horatius Civitella*, Dux militum in Sabaudia: ex MS. Gualterii.

*Hyacinthus Biſcardus*, Juriſconſultus, M. C. V. Judex: ex MS. Martyrenſi.

*Jacobus Biblia* Caroli I. Regis, & Ludovici a ſecretis, Aprutii Prorex: ex MS. Gualter.

*Jacobus de Tarſia*, Veneti exercitus Dux, Ferdinando charus, ſed S. Franciſco Paulitano chariſſimus ob eleemoſynas in Conventuum ædificatione erogatas. Paul Jovius hiſt. lib. 3. Marr. Iſidor. Toſcan. in Vita S. Franc. lib. 1.

*Jacobus de Tarſia* alter Caroli Regis apud Regem Tunicenſem Orator. Aldimar.

*Jacobus Gaeta*, utraque lingua eruditus, Poeta, & Philoſophus Teleſianus. Mazzell. & Topp. in bibl.

*Jacobus Monachus*, Regius Cubicularius, Regique Ladislao charus, muneribuſque auctus. Petr. Vincent.

*Jacobus Podericus*, Philoſophus & Medicus. Topp. in bibl.

*Jacobus Villanus*, Epiſcopus Martyranenſis ſub Bonifacio ix. Ughell.

*Ianus Parrhaſius*, de quo ſupra in textu Barrii. Vide infra n. 17.

*Ignatius Samblaſius*, eruditiſſimus Topp. in bibl.

*Ioannes Abenante*, Imperatori Rodulpho apprime charus, muneribuſque auctus ob res bene militiæ geſtas. Mugnos.

*Ioannes Baraccha*, Regis Friderici apud Regem Ferdinandum Orator, magnæ dexteritatis vir, multis muneribus auctus. Samblas.

*Ioannes Barreſius*, in re militari clariſſimus: ex MS. Sertorii Quattrimani, & Mart.

*Ioannes Biſignanus*, Epiſcopus Martyranenſis. Ughell.

*Ioannes Cicala*, Vir ſtrenuus ſub

Carolo VIII. atque in illa rerum perturbatione sagacissimus. Samblas.

Ioannes *de Majo*, Magnæ Curiæ a Rationibus. Petr. Vincent.

Ioannes *de Majo alter* Calaber, fortasse Consentinus, in Bello Florentino clarus. Jov. lib. 29.

Ioannes *Lauria*, Miles clarissimus: ex Ms. Mart.

Ioannes *Paschalis*, Caroli I. Orator, & Justitiarius Neapoli. Eugen. fol. 194.

Ioannes *Peronus* Regius Secretarius. Aldimar.

Ioannes *Rocchus*, sæpius apud Reges Orator. Samblas.

Ioannes *Sersalis*, Episcopus Chariatensis, cui provincia data fuit a Julio II. processum condendi super canonizatione S. Francisci de Paula anno 1512. Ughell. Samblas. Isid. Tosc.

Ioannes *Telesius* Poeta celebris. Topp.

Ioannes *Alphonsus Maurellus*, Carolo V. Imperatori apprime charus, muneribusque auctus. Samblas.

Ioannes *Andreas Alimena*, Regis Roberti Familiaris. Mugnos par. prima.

Ioannes *Antonius Palatius*, doctissimus; alii autem Rubeto, alii Pedacio adscribunt. Vid. Topp. in bibl.

Ioannes *Antonius Pandosius*, de quo supra in textu Barrii, qui tamen corrigendus est; fuit enim Pandosius Episcopus Literanensis, & Granianensis, non Campaniæ. Corrigendus etiam Ughellus, qui Pandosium in sua Cathedrali diem clausisse extremum asserit: obiit siquidem in Concilio Tridentino. Vide Abb. Iustinianum super Concil. Trident.

Ioannes *Baptista Abinante*, prudentia & sagacitate insignis inter Equites Hierosolymitanos Samblas.

*Ioannes Baptista* alter, Caroli V. Imperatoris Familiaris. Puglisius.

Ioannes *Baptista Alimena* Provinciæ Hydrunti Gubernator sub Regina Joanna. Mugnos.

Ioannes *Baptista Amicus*, de quo supra egimus.

*Ioannes Baptista Arduinus*, Poeta celebris: ex Ms. Gualt. & Maraf.

Ioannes *Baptista Brittus* a Sixto V. Summo Pontifice ad Ætiopum Imperatorem legatus. Ughell. Samblas

Ioannes *Baptista Marta*, Archidiaconus, ad Regem legatus. ex Privileg Consent.

Ioannes *Baptista Martyranus*, eruditione clarissimus. Leand. Alb.

Ioannes *Baptista Ragusa* Soc. Jesu Sanctæ vitæ vir: ex P. Alegambe ad ann. 1659.

Ioannes *Baptista Samblasius*, Poeta celebris. Topp. in bibl.

Ioannes *Baptista Sersalis* ex Dominicana Familia eruditione clarus. Vide Filamund. part. 2.

Ioannes *Baptista Telesius* scripsit Commentarios in Petrarcham: ex MS. Mart.

Ioannes *Baptista Vecchiettus*, Philosophus Telesianus, Sixti V. & Clementis VIII. Summorum Pontificum ad Persiæ Regem legatus, ubi Sacra Biblia in Persarum sermonem transtulit. Fuit & Campanellæ amicus, multaque Poemata Italice scripsit. Obiit Neapoli IV. Idus Decembris 1622. ut ait Gualt. in MS. & Baron. tom. 6. in fin. ubi de legatione Ecclesiæ Alexandrinæ, edit. Roman. pag. 692. scribit a Gregorio XIII. ad Patriarcham Alexandrinum legatum fuisse.

*Joannes Conradus Alimena*, Calabriæ Gubernator. Mugnos in Fam. Alimena. Ioan-

*Ioannes Franciscus Cicala*, Dux militum. Samblas.

*Joannes Maria Bernaudus*, Philosophus Telesianus, bonis literis eruditus, varia scripsit monumenta. Topp. in bibl.

*Joannes Paulus de Aquino*, in utraque lingua clarus, varias orationes conscripsit, quas inter celebrem pro Bernardino Telesio, dum illi parentaretur, Consentiæ editam anno 1596. Topp.

*Joannes Paulus Parisius*, Regius Secretarius in Provinciis Bariensi & Hydruntina: ex Privileg. ann. 1495. & MS. Gualt.

*Joannes Thomas Pandosius*, de quo supra in textu Barrii, quem vide.

*Joannes Victorius Maurellus* Eques Hierosolymitanus, Dux militum clarissimus. Jacobus Bosius in hist. Melit. & Samblas.

*Iordanus Rufus*, Equorum Magister, edidit. quedam. Vide Labbeum.

*Iselgrimus a Consentia* Episcopus sive Archiep. anno 920. Vide Vghell.

*Isidorus Samblasius* Ordinis Minimorum Generalis, Sanctæ vitæ vir. Lanov. ad ann. 1593. Gualt. in MS.

*Julianus* Archiepiscopus, sive Episcopus Consentinus ann. 680. de quo supra.

*Julianus Firraus*, militum Dux supremus, Neapolitanos strenue adjuvit, a quibus Civitate donatus est. Samblas.

*Julius de Cavalcantibus*, Philosophus Telesianus, scripsit gesta, & miracula S. Francisci de Paula. Gualt.

*Julius Sersalis*, Dux Militum clarissimus. Filamund.

*Lælius* Caputus Jurisconsultus celebris, librum edidit *Super Consuetudinibus Regni*. Neapoli 1623. in fol. Topp. in bibl.

*Lælius Samblasius*, Dux militum Barcinone: ex Ms. Consent.

*Lælius Sersalis*, in utraque lingua impense eruditus. Topp.

*Lanfrancus Monachus*, apud Fridericum Imperatorem Orator. Petrus Vincent. in theatr.

*Laurentius Tirellus*, Dux militum. Samblas.

*Leander Aloe*, Regis Roberti Consiliarius. Mugnos.

*Leo Matera*. Regius Consiliarius. Ughell. & Samblas.

*Lucius Brutius*, Romæ Præfectus ex Inscriptione allata a Leandro Alberti in sua Italia, quamque hic subnectimus.

*L. BRVTIO L. F. PAL. CELERI EQV. PVBLIC. PRÆF. CON. (fortasse COH. nempe COHORTIS) III. L. BRVTIVS PRIMITIVO PATER, ET INSTEIA MATER FILIO OPTIMO P. S. P. L. D. D. D.*

Id est: *Lucio Brutio Lucii Filio Palatina celeri equiti publico Præfecto cohortis* III. *Lucius &c. optimo pecunia sua posuit loco dato decreto Decurionum.*

*Lucius Vitalis*, Poeta celebris. Laur. in Vita A. Joachimi.

*Lucretia a Valle*, eruditissima, scripsit *de Arte Poetica*. Gualterius in MS.

*Ludovicus* sive *Aloysius de Cavalcantibus* Episcopus Besidianensis. Ughell.

*Ludovicus* sive *Aloysius Ruffus*, utrique Academiæ Neapolitanæ Præfectus eruditissimus. Topp.

*Ludovicus Longobuccus*, Dux militum. Pontan. lib. 2. de Bello Neapolit.

*Ludovicus* alter cujus cognomen ignoratur, Jurisconsultus celebris. Topp.

*Lu-*

*Lustricus Brutianus*, Orator eloquentissimus, Proconsul. Vide Plin. lib. VI. Epist. 22. & Martial. lib. IV.

*Manilius Caputus* eruditione clarus. Topp.

*Manilius Plantedius*, Guicciardini historiam in epitomen redegit. Nicodem. in addit.

*Manlius Caputus*, Regi charus, unus ex tribus fundatoribus Ecclesiæ *S. Mariæ omnis boni* Neapoli erectæ: ex Inscriptione quam affert Engenius Neap. sacr.

*Marcus Arduinus*, Dux militum. Samblas.

*Margaritonus Casellus* (tametsi alii Rosciano adscribant). Lodovico III. apprime charus, muneribusque auctus. Samblas.

*Marius Abinante*, Tribunus militum: ex eod.

*Martius Abinante*, S. Joannis Hierosolymitani Magna Crux, apud Equites summo in honore habitus: ex eod.

*Martius Dattylus*, in bello clarissimus, optime de Patria meritus, Obiit anno *1692*: ex Ms. Mart.

*Martius Martyranus*, Bernardini nepos, Regni Secretarius: ex Ms. Belmontis a Dominico Mart. laud.

*B. Matthæus*, Abbas monasterii Florensis anno 1202., postea Episcopus Gerentinus: ex Ms. Mart. pag. 265. Vide Ughell.

*Mauritius Baraccha*, eruditissimus. Topp.

*Mauritius Maurellus*, Dux militum. Mugnos. Samblas.

*Mazzeus* fortasse *Mattheus Maranus*, militum. Ibid.

*Michael Marra*, eruditione celebris. Topp.

*Mutius Passalacqua*, Philippo III. Hispaniarum Regi apprime charus, muneribusque auctus. Samblas.

*B. Nicolaus*, Abbas Monasterii Coratii: ex Ms. Mart.

*Nicolaus*, ex Decano Archiepiscopus Consentinus electus, & a Joanne XXII. confirmatus, consecratusque anno 1320. Ughell.

*Nicolaus*, Episcopus Martyranensis Ughell.

*Nicolaus Maloperus*, Episcopus Crotoniensis: ex eod.

*Nicolaus Maurellus Castilionus*, Ludovici III. a secretis. Samblas.

*Nicolaus Migliaresius*, Dux militum ex eod.

*Nicolaus Telesius*, eruditione clarissimus: ex eod.

*Nicolaus Tortamanus*, Musicæ peritissimus, varia edidit ejusmodi monumenta Neapoli *1622*. Gualter. in Ms.

*Nicolaus Tostus*, in bello clarissimus. Pontan. de bell. Neap. lib. 1.

*Nicolaus Antonius de Caroleis*, Dux militum supremus. Idem lib. 2.

*Octavius Caputus*, eruditione conspicuus Topp.

*Odoardus de Tarsia*, utriusque Calabriæ Prorex. Ferrant. Marr. Aldimar. to: *3*.

*Palumbus*, ex Archidiacono ad Cathedralem sedem evectus anno 598 Huic ad annum *599*. causa Cleri Rhegiensis adversus Episcopum a S. Gregorio Papa concredita fuit. Vide *cap. Filius noster* 5. *tit. de Testamentis*, & ejusdem S. Gregorii lib. 7. Epist. 4. Ughell. to. *9*.

*Paulinus Scaleonus* Regni Mareschallus, cujus statua Aversæ extat. Aldimar. tom. III.

*Paulus Bombinus* Soc. Jesu, eruditione conspicuus, multa edidit præclarissima monumenta. Leo Allat. in

Apes

Apes Barb. Toppius, & Labbeus.

*Paulus Jacuccius*, Monasterii S. Placidi Messanæ Abbas Casinensis, eruditione, prudentia, & morum sanctitate clarus. Samper. iconolog. Messan. lib. 2. cap. 23.

*Petrus Carinus*, M.C. V. Judex anno 1522. Topp. de orig. tribun. part. 3.

*Petrus Catroppus*, scripsit de Familiis Consentinis. Samblas.

*Petrus Ciaccius*, Regius Consiliarius. Topp. in bibl.

*Petrus* primus, & Secundus Archiepiscopi Consentini, ille anno 1056 hic anno 1184. Vide Ughell.

*Petrus Curtus*, Ordinis Minimorum Generalis emeritus anno 1674. ex Ms. Mart.

*Petrus Antonius de Caroleis* regibus acceptissimus in Siciliam secessit, ibique sibi suisque *Consentiæ* cognomen sumpsit. Mugnos lib. 3.

*Petrus Paulus Parisius* S. R. E. Cardinalis, Jurisconsultus celeberri- de quo supra intextu Barrii.

*Petrus Paulus Rossius*, sive *de Rubeis*, Jurisconsultus & Poeta celebris. Topp.

*Petrus Samblasius* Dominicanæ Familiæ Archiepiscopus Brundusinus, quamquam alii Nerito, alii Brundusio adscribant: ex Ms. Bernardini Morani & Mart.

*Petrus Thomas Sersalis* ex Dominicana Familia eruditissimus. Topp.

*Philippus Bernaudus*, Regis Ferdinandi Familiaris. Sambl.

*Philippus de Cavalcantibus*, Reginæ Joannæ Cubicularius: ex Martyrano, Samblas. & Vghell. ad Nusc.

*Philippus Gaeta*, Equitum Hierosolymitanorum classi Præfectus. Obiit Melitæ anno 1635. Samblas. & Lelius.

*Philippus Jacobus Casolus*, alias *Tirellus*, in re militari clarus, Ludovico III. charissimus, muneribusque auctus: ex Samblas.

*Philippus Longus* Eques Hierosolymitanus, & Commenda Consentina insignitus. Samblas.

*Philippus Matera*, Friderici II. Imperatoris a Consiliis, utriusque Siciliæ Magnus Cancellarius, & anno 1221. Episcopus Martyranensis. Vghell. Topp. & Samblas.

*Philippus*, sive *Leo Philippus Matera* Regni Siciliæ Scriniarius ann. 1220. ex Ms. Gualter.

*Philippus Maurellus* Archiepiscopus Rheginus sub Innocentio VI. ann. 1355. Vghell.

*Philippus Paschalis* Regius Consiliarius ann. 1625. Jurisconsultus eximius, scripsit *de viribus patriæ potestatis*. Vide Topp. de orig. rib: par. 2. & Cæsar. Eng.

*Philippus Quatrimanus* M. C. V. Judex ann. 1391. Samblas.

*Philippus Rocchus* ex Minimorum Familia bonis literis instructus: Topp.

*Philippus Samblasius* Calabriæ Iustitiarius circa ann. 1381 Lell. tom. 3.

*Pompejus Cuzzolinus*, M. C. V. Judex circa ann. 1670. ex Ms. Mart.

*Pompejus Puglisius*, M.C. V. Judex ann. 1537. Topp. de orig. trib.

*Præsens Brutius* Consul, sed duo aut tres fuerunt. Vide *Petavium* to. 3. Cons. Rom. ad ann. Christi 139.

*Procopius Matera* Friderici II. Imperatoris Logotheta. Petr. Vinc. Topp. de orig. trib. par. pr.

*Prosper Parisius*, Philosophus, ac Geographus disertissimus, ob longum in Vrbe incolatum Romanam Civilitatem adeptus. Orthelius in theatr. Labbeus in bibl. ex inscriptione, quæ extat Romæ

Romæ in Ecclesia Carthusianorum S. Mariæ Angelorum ad Thermas, quæ hæc est:

REGI, CVI OMNIA VIVVNT PROSPERO PARISIO, CIVI ROMANO, MATHEMATICO, GEOGRAPHO, AC ANTIQVARIO, QVI IN NAVALI PVGNA AD ECHINADAS ADVERSVS TVRCAS PROSPERI COLVMNÆ

(fortasse Marci Antonii.)

AVSPICIIS COHORTIS DVCTOR VIRILITER EGIT. AC DEMVM EXVTVS ARMIS AD PACIS ARTES CONVERSVS, ET LEGVM PERITIAM ADEPTVS, MVLTIS LOCIS, AC VARIIS OCCASIONIBVS IN PONTIFICIÆ DITIONIS PROVINCIIS, AC NEAPOLITANO REGNO, JVRI DICVNDO, PESTI ARCENDÆ, FACINOROSISSIMIS HOMINIBVS EXTIRPANDIS, TVRCARVM INCVRSIONIBVS COMPESCENDIS ILLVSTREM OPERAM NAVAVIT, SICVT IN BELLO FORTIS, ITA ET IN PACE PRVDENS: JVSTI VINDEX, LVCRI CONTEMPTOR, BRVTVS PARITER ET CVRTIVS.

FABRITIVS CAJETA, MARCVS ANTONIVS DE PROSPERIS, JVLIVS CÆSAR ALAGALLA EX TESTAM. POS.

*Pyrrhus Samblasius* Dominicanæ familiæ a Rege Ludovico & Joanna ad Hungariæ Regem Legatus. Fontan.

*Pyrrhus Schettinus* Canonicus, & Poeta celebris. Veruntamen Dominicus Martyre, qui eum novit, Aprilianensem scribit.

*Raymundus Dattylus*, Carolo Regi acceptissimus, muneribusque auctus. Samblas.

*Riccardus* Archiepiscopus ann. 1155. ex Ms. Mart. Vide Vghell.

*Riccardus de Lauria* Prorex in Provincia Bariensi. Petr. Vincent.

*Robertus Dattylus*, Dux militum celeberrimus. Samblas.

*Robertus Matera* R. C. Officialis supremus ann. 1270. ex eod.

*Rocchus Maurellus*, Philosophus, & Poeta. Topp.

*Rogerius Loria* sive *de Lauria*, classi Aragonensi Præfectus, in re militari totius Europæ judicio nulli secundus. Obiit Catalauniæ Kalendis Februarii 1305. Platin. in vita Martini IV. Jov. Petr. Vincent. Campanil. & Gualter.

*Rogerius Tarsia*, sive *de Tarsia* M. C. Justitiarius anno 1183. Gualt.

*Rogerius Firraus*, Calabriæ Justitiarius ann. 1200. Samblas.

*Rogerius Parisius*, Regius Auditor. Topp.

*Rogerius Quattrimanus*, Ludovici III. a Consiliis supremis. Samblas.

*Rogerius Samblasius* Roberto Regi apprime charus, Dux militum, & Justitiarius Calabriæ. Lell. & Sambl.

*Rogerius Scaleonus*, Regni Justitiarius ann. 1228. Aldimar.

*Rogerius Tostus* Regi Ferdinando apprime charus, muneribusque auctus ann. 1462. Ms. Gualt.

*Ruffus*, Archiepiscopus Consentinus ann. 1170. Vide Vghell.

*Sancius* Archiepiscopus ann. 1169. Ms. Consent. & Mart.

*Saracenus Matera*, Regius Consiliarius: ex eisd.

*Scipio Andreotta*, Dux militum in Belgio: ex eisd.

*Scipio Firraus* apud Carolum V. Imp. Orator. Samblas.

*Scipio Paschalis* egregiæ indolis, spectatæque eruditionis, ex Referendario Signaturæ Episcopus Casalensis. Nicius Eritr. in Pinac. Vghell. to. 4.

*Senator Martyranus* Episcopus Martyranensis. Vghell.

*Sertorius Quattrimanus*, MONTANVS dictus, Philosophus Telesianus, acris ingenii vir, omnigenaque eruditione refertus, multa edidit mo-

monumenta. Ejus Adnotationes in Barrium extant manuscriptæ Romæ in Bibliotheca S. Augustini, unde excerpsimus & suo quasque loco apposuimus. Vide Topp. Nicod. & Capacc.

*Silvester Matera*, Episcopus Anglonensis. Ughell. to. IX. & Ferd. Marra.

B. *Telesphorus* Eremita, de quo supra in textu Barrii.

*Thomas Parisius*, Regius Consiliarius. Topp. de orig. trib.

*Thomas Rossius*, sive *de Rubeis*, Episcopus Chariatensis. Ughell. to. 9.

*Thomas Samblasius*, utriusque Calabriæ Magnus Justitiarius, & Hydrunti Prorex. Top. de orig. trib.

*Thomas Sersalis* Clericorum Regularium Theatinorum Præpositus Generalis. Ms. Marc.

*Tiberius Cortesius*, Jurisconsultus celebris, Episcopus Lavellensis. Ughell. to. 7. Topp. in bibl.

*Tiberius de Luca* Presbyter Secularis, postmodum Dominicanæ Familiæ alumnus, eruditione clarus. Topp.

*Vibius & Pactius* fratres Consentini apud Senatum Romanum ad veniam impetrandam post Annibalem pulsum legati: Ex Livio, qui lib. XXVII. ait: *Et Bruttiis similis spes veniæ facta est, cum ab iis Vibius & Pactius longe nobilissimi gentis ejus, eandem, quæ data Lucanis erat conditionem deditionis petentes venissent*. Vide Dissert. *de Brettiorum origine*.

*Vincardinus Beccutus*, Ludovici III. intimus consiliarius: ex Ms. Consent.

*Vincentius Agrippa* eruditione clarissimus. Nicodem.

*Vincentius Bombinus*, Poeta celebris. Ms. Gualt.

*Vincentius de Cavalcantibus*, eruditissimus M. C. Judex Messanæ. Aldimar. tom. 3.

*Vincentius de Tarsia*, Dux militum Ferd. Marra.

*Vincentius de Via*, ex Minimorum Familia, eruditione conspicuus. Top.

*Vincentius Gaeta*, sive *Cajeta* in Hydruntina Provincia Prorex: ex Lell.

*Vincentius Quattrimanus*, Philosophus & Jurisconsultus eximius Romæ, & Neapoli: ex Ms. Gualt.

*Vincentius Sersalis*, Dux militum: ex Philamundo.

*B. Zachæus* Minorita: ex Chron. & Martyrolog. Francisc. aliique non pauci, quos videre poteris apud Eliam de Amato in sua Pantopol. Calab. Conqueruntur tamen Consentini sive Academici sive Patritii quod non satis accurate scripserit.

Nostris autem temporibus quamplurimi Civitatem hanc illustrarunt, & in præsentiarum illustrant, quos inter:

*Albertus Gullus*, de quo supra.

*Alexander Magnus* Cistercienfis ex Procuratore Generali Episcopus S. Marci ann. 1728.

*Alexius Benincasa* bonis literis instructus.

*Aloysius Girardus*, ingenii acumine, & eruditione clarus, Canonicus Metropolitanę emeritus.

*Antonius Bombinus*, eruditione conspicuus.

*Antonius Casellus*, Philosophus & Mathematicus.

*Antonius Manfredus* Jurisconsultus, in Romana Curia Advocatus, edidit poemata fratris sui Francisci, de quo infra.

*Antonius Quattrimanus* Jurisconsultus celebris.

*Antonius Telesius* Regius Quæstor.

*Brunus de Franco*, ex Minimorum familia doctissimus, edidit quasdam orationes panegyricas.

*Cajetanus Argentus* S. R. C. Præſes emeritus, acerrimi ingenii vir, atque in re literaria nulli ſecundus, ſcripſit *de Re Beneficiaria*, aliaque multa omnigena eruditione referta. Obiit Neapoli, maximo parentantium, ac ſummis laudibus ex tollentium literatorum concurſu. Ejus MS. avide exſcribuntur ac non ſine maxima Auctoris laude circumferuntur.

*Carolus Ferrarius* in Romana Curia Advocatus, in Juriſprudentia celeberrimus, novam in jure ſcribendi methodum invenit.

*Dominicus Andreas de Cavalcantibus* Cler. Reg. Theat. Franciſci Antonii itidem Cl. R. frater verbi Dei præco celeberrimus. Anno 1736. Romæ in Eccleſia S. Andreæ de Valle dicta ac perampla conciones habuit Quadrageſimales tanto populorum concurſu ut præ foribus ſtandum eſſet. Quod non ſemel accidit alibi.

*Dominicus Zicarus*, Jurisconſultus eruditiſſimus.

*Fabricius Caſtilionus Maurellus*, acris ingenii vir, eruditione conſpicuus, Academiæ Conſentinæ Princeps. Edidit quædam.

*Fabricius Salernus* Epiſcopus Melphitenſis. ann. 1713.

*Felix Ranerius*, Poeta celebris.

*Franciſcus Manfredus*, nunc *Stephanus* Carthuſianus doctiſſimus, cujus Italica carmina bis excuſa nempe anno 1720. & 1730. ætatis aureæ nitorem redolent, ac majeſtatem.

*Franciſcus Maria Salernus*, Campaniæ Regius Commiſſarius.

*Franciſcus Ventura*, Regius Conſiliarius, mox in Regentem R. C. inauguratus.

*Franciſcus Zicarus* in Jurispruden- tia clarus.

*Joſeph Caputus*, Regius Advocatus Fiſcalis Aquilæ 1695.

*Jacobus de Fabritiis*, Iuriſconſultus, eruditione conſpicuus.

*Ignatius Baraccha*, Philoſophus & Mathematicus celebris.

*Ignatius Votta*, Epiſc. Iſulanus.

*Joannes Baptiſta Salernus* Soc. Ieſu S. *R*. E. Cardinalis emeritus, edidit quædam. In ejus Sarcophago hæc inſcriptio appoſita fuit Romæ intus Eccleſiam S. Ignatii de Urbe:

D. O. M.
JOANNI BAPTISTÆ
TITULI SANCTI STEPHANI
IN MONTE CÆLIO
CARDINALI SALERNI SOC. JESU
CONSENTINO DOMINICI
SALERNI, ET CÆCILIÆ
CONTESTABILE CIACCIO
CONJUGUM FILIO, PIETATE
PRUDENTIA, CONSTANTIA,
DE RELIGIONE, DE SANCTA SEDE,
DE PRINCIPIBUS VIRIS OPTIME
MERITO; MARCHIO
FRANCISCUS MARIA, ET
FABRITIUS SALERNI EPISCOPUS
MELPHITENSIS FRATRI
AMANTISSIMO POSUERE
ANNO MDCCXXIX.

*Joſeph Firraus*, S. *R*. E. Cardinalis ampliſſimus ex Principibus Neapolitanis, Sanctiſſimi Domini Noſtri Summæ Rei a ſecretis de Sede Apoſtolica optime meritus.

*Joſeph Sambláſius*, Juriſconſultus conſpicuus.

*Mutius Caſellus* eruditiſſimus.

*Petrus de Cavalcantibus* C. R. Theat. doctiſſimus Epiſcopus Puteolanus

*Petrus de Majo* Epiſcopus Iſulanus ann. 1722.

*Petrus Græcus* Juriſconſultus, acris ingenii vir, eruditione clariſſimus, optimam ſibi Bibliothecam Muſeumque antiquorum numiſmatum comparavit, quæ vidi. Extat apud eundem eximii Poematis incerti Conſentini auctoris Ita-

Italice circa Torquati tempora exaratum *Gerusalemme perduta*, utinam edendum.

*Salvator de Spiritibus*, Jurisconsultus, eruditione atque eloquentia celeberrimus.

*Scipio Sersalis* Episcopus Soranus ann. 1735.

*Seraphinus Biscardus* S. Collat. Conf. Regens, doctissimus, tractatum edidit *de Quindenniis*.

*Vincentius Quattrimanus* in civitate Neapolis Jurisconsultus celeberrimus.

*Xaverius Bombinus* Jurisconsultus Neapoli clarus.

*Xaverius Donatus*, Philosophus, eruditione conspicuus Aliique non pauci apud nostrates & exteros.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(a) *Janus Parrhasius*, ut supra n. (2) Annotationes edidit potius Parrhasius in Nasonis Ibin, quam Commentarios. Edidit & fragmenta quædam Grammaticæ. Non intelligit Aldus de fragmentis Grammaticæ a Jano Parrhasio confectis, sed de Charisii aliorumque Grammaticorum antiquorum fragmentis Jani opera, & diligentia in lucem prolatis, & excusis.

(b) (4) *Bernardinus*. Nimis frigide de Bernardino Telesio, viro omnium doctissimo, qui omnem philosophiæ seriem e tenebris excitavit.

(c) *Joannes Antonius Pandosius* Campaniæ Episcopus. Fuit Episcopus Literanensis, & Granianensis.

(d) *Vivit modo Jo: Thomas, qui scripsit de speculo comburente libros duos &c.* Dicendum *Coriolani Martyrani* ex fratre nepos. Nam *Joannes Thomas Martyranus* Mathematicis studiis eruditissimus nihil ad *Jo: Antonium Pandosium*; sed nepos est ex fratre *Coriolani Martyrani* Episcopi Sancti Marci.

# CAPUT VIII.

## *De Pagis agri Consentini, & præcipue de Cœlico, ubi de Abbate Joachimo.*

SUnt in Consentino agro (1) pagi circiter centum, quorum plerique sunt oppidis magnitudine pares. Omnes autem in vigintiduas præturas sive xxii. corpora distincti. Horum primum est (2) *Castionum* non longe Arenthum in colle atque natura egregie munitum, amœno loco situm, juxta quod (b) Arens fluvius labitur, qui Crathi miscetur. Ager hic frugibus, oleribus, & varii generis fructibus fecundus est: affluit oleo & vino, fit & sericum optimum, & legitur manna. Oppidum clarius reddidere duo *Cæsarii* pater & filius, *Ioannes Antonius*, & *Ioannes Paulus*. Ambo ingenio & doctrina clari. Quorum ille grammaticæ institutionis rudimenta, & notationes in Livium edidit, & quatuor millia carminum. Reddidit (c) Plutarchi

opuſculum De immoderata verecundia Latine. Hic vero utraque lingua eruditus nunc Romæ Latinas literas publice profitetur. Scripſit in primum librum Odarum Horatii, ſcripſit & poemata. Non longe ab oppido *Arenthum* flumen labitur. (3) (*d*) *Sapanum* (4) beato *Franciſco* venerandum. Fuit hic ſanctæ vitæ vir, militavit Chriſto ſub habitu Eremitarum divi Auguſtini, ejus corpus Suberati jacet. (5) *Lapanum*, (6) *Rubetum*, (7) *Cælicum Ioanne Ioachino* Abbate glorioſum, & prope *Iovinum* flumen torentinis uber fluit. ſecundum quod aurum & ferrum naſci ferunt. (8) Fuit IOANNES IOACHINUS Abbas Mauri Tabellionis & Gemmæ filius. Qui non ſine futuræ ſanctitatis portento conceptus fuit. Siquidem matri, cum Ioachinum concepiſſet, juvenis quidam forma decorus, & lineis candidis veſtibus amictus per quietem apparuit, eique dixit: „ Puerum concepiſti, „ quem cum parueris, ſi ipſum vivere cupis, ante ſeptennium ba„ ptiſmatis fonte lavari ne ſinas „. Eo vero nato patri ſuper aram divi Michaelis Archangeli, quod ſacellum non longe a domo ſua aberat, puerum aſpicere videbatur, cujus vertex templi tectum tangeret, & chorum aſtantem albis veſtibus indutum alta voce concinentem, „ Puer natus eſt nobis alleluja, & filius datus eſt nobis alleluja „. Elapſo ſeptennio cum pater diem baptiſmatis ſtatuiſſet, mater graviter ægrotare cœpit, eoque morbo deceſſit. Atque tribus aliis annis defluxis decimo anno non ſine myſterio puer baptizatus eſt, & uſque ad quartumdecimum grammaticæ operam dedit. Atque non multo poſt Ieruſalem religionis gratia perrexit, quo itinere inopes quoſdam ſuis ſumtibus aluit. Et monachalem habitum albi coloris, & aſperum ſumſit. Cumque deſerta quædam loca eſſet ingreſſus, nimia ſiti confectus, mori veritus ſabulo ſe obruit, ne inſepultus feris cibus foret, ac dum ſcripturarum intelligentiam meditatur, ſopore corripitur. Et ecce olei flumen, & juxta hominem ſtantem cernere, ſibique dicentem, Bibe de hoc flumine, eique ad ſatietatem bibere videbatur. Cumque evigilaſſet totius divinæ ſcripturæ intelligentia illi patuit. In monte, in quo Chriſtus ſe transfiguravit, in ciſterna quadam veteri totam quadrageſimam vigiliis, obſecrationibus, jejuniis, hymnis, & pſalmis vacans tranſegit. Nocte vero Reſurrectionis dominicæ ingens illi claritatis ſplendor apparuit. Atque ita cæleſti lumine afflatus eſt, ut utriuſque Teſtamenti concordiam, omneſque difficultates & involucra intelligeret. Quare totum ſe divinis lectionibus dedit, triaque opera tum cœpit, Concordiam duorum teſtamentorum, Expoſitionem in Apocalypſim, & Pſalterium decem chordarum. Ex Jeroſolymis in Siciliam conceſſit, ubi in quadam ſpecu latitans jejuniis, & orationibus vacabat, & die Mercurii, Veneris, & Saturni nil prorſus guſtabat. Poſtea in Calabriam tranſmiſit: & ſacris initiatus (*e*) monaſterii Coratii Abbas eligitur. In ejus vita nulla erat intercapedo laboris, ſemper enim aut orabat, aut legebat, aut ſcribebat, ſicque pernoctabat aſſidue. Orabat flexis genibus, manibus & oculis in cælum erectis, vultu alacri angelicum præſeferens vultum, ac ſi Chriſtum præſentem alloqueretur. Quotidie altaris ſacra peragebat, ac perſæpe lacrimabatur. In monaſterio, cui nomen

eſt

eſt *Petralata* totam quadragenam Dominicis diebus exceptis panem tantum & aquam guſtabat potius, quam edebat. Claruit multis miraculis. (9) Scripſit libros quinque Concordiæ utriuſque Teſtamenti, quod pridem, ut dixi, inchoavit, adhortante eum Lucio Papa hujus nominis tertio, & inde Urbano & Clemente jubentibus, ut in epiſtola ipſius Clementis ad illum directa videre licet. In quibus de quinque Sigillis agens eximia & arcana myſteria enodavit: & in quinto nonnulla Danielis, & aliorum prophetarum capita dilucidavit. Expoſitionem quoque Apocalypſis octo partium titulis inſignitum dictorum Pontificum juſſu, elucubravit. Item Pſalterium decem chordarum tribus voluminibus diſtinctum exaravit, quorum primum dedicavit Deo Patri, ſecundum Filio, tertium Spiritui ſancto. Quod opus die Pentecoſtes, ut ipſe dicit, inchoavit. Scripſit & in Euagelium Joannis, & contra Judæos " & catholicæ fidei adverſarios", & ſuper Merlinum, & in Cyrilli revelationem, & librum de Flore nuncupatum de ſummis Pontificibus, & librum de Conſolatione, & Sententiarum volumen egregium, & in Erythræam ", & de Vita ſolitaria, qui liber eſt in Bibliotheca Vaticana. Item Henrici ſexti Cæſaris rogatu anno a Chriſto nato M. clxxxxvii. ad eundem, ut ipſemet ſuper Hieremiam fert, in Eſaiam, & in nonnulla capita Naum, Abacuch, Zachariæ, & Malachiæ prophetarum. Scripſit & in Hieremiam, in quibus ſe ſpiritum prophetiæ habuiſſe manifeſtum eſt. Pleraque enim eſt vaticinatus, quorum multa adimpleta ſunt, cetera adimplenda ſuperſunt. Nam & Græciam ob in Romanam eccleſiam perfidiam gentibus dandam, & Prædicatorum ac Minorum Ordines initiatores mox futuros, quin etiam in januis Eccleſiæ eſſe prædixit. Et quidem cum hæc præſagivit ipſi in mundo erant, ſed qui futuri eſſent ignoti, Ordines autem initiarunt paucis poſt annis quam ille prædixerat, utpote divus Dominicus tribus, divus Franciſcus novem. Quos vel Venetiis in divi Marci delubro, quod Salomonis templi inſtar fieri curavit, effingi fecit. In cujus pavimento, parietibusque, ac fornicibus, teſtudinibusque ſimulacra alia pleraque effigiata emblemate, vermiculatoque opere futura protendentia, quæ in dies exitus comprobat, formari atque effingi fecit. Efflavit animam in monaſterii Floris loco, qui *Canalis* dicitur, cœnobitis ſuis benedicens. Ejus corpus poſtea in monaſterium Florenſe translatum eſt. Ex cœnobitis ejus, qui ipſo vivente ſanctitate floruerunt, hi ſunt, *Peregrinus*, & ejus frater *Bonatius*, quibus futuram & proximam tribulationem revelavit, *(f) Lucas* ejus ſcriba, qui poſtea Epiſcopus Conſentinus fuit, *Gerardus* Abbas, *Ioannes* & *Nicolaus*, quorum alter Abbas monaſterii Coratii fuit, alter iſtius vices gerebat: item *Matthæus*, qui poſt Joachinum Abbas Floriacenſis fuit, & poſtea Gerentinus Epiſcopus, *Rogerius* Diaconus Eccleſiæ Severinatis, *Petrus*, & *Nicolaus*. Qui omnes ſanctæ vitæ viri extiterunt. De Abbate autem ipſo Joachino Guilelmus Pariſienſis in libro de virtutibus ſic dicit: ,, Debes ſcire quia donum intellectus ,, tantæ claritatis eſt & acuminis in quibuſdam, ut valde aſſimiletur ,, ſpiritui prophetiæ, qualem crediderunt nonnulli fuiſſe in Abbate ,, Joachino. Et ipſemet de ſeipſo dixiſſe dicitur, quia non erat ei

,, da-

„ datus ſpiritus prophetiæ, ſed ſpiritus intelligentiæ. Si quis autem „ inſpexerit libros, quos ſcripſit ſuper Apocalypſim, & ſuper Concordiam duorum teſtamentorum mirabitur donum intellectus in eo; „ verum in libris ſuper Prophetas liquet fuiſſe in eo ſpiritum prophetiæ „. Licet quidam divinarum literarum ignari negent ipſum fuiſſe prophetam, quod Chriſtus Apoſtolis dixerit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta*, & alibi, „ Omnes prophetæ & lex uſque ad „ Joannem prophetaverunt „. Quod utique de primo Chriſti adventu intelligendum eſt. Et Hieronymus in Matth. & in Amos, & Ioan. Chryſoſtomus & Athanaſius in ſecundam Epiſt. Pauli ad Cor. & Auguſtinus contra Fauſtum aſſerunt. Iam vero in eccleſia, quæ erat Antiochiæ, prophetas fuiſſe Lucas in Actibus Apoſtolorum ſcribit. Et Agabus, & quatuor Philippi filiæ, & Corinthii, & Apoſtoli ipſi prophetaverunt, ut paſſim in Epiſtolis Pauli videre licet. Et Iuſtinus Philoſophus & martyr apud Euſebium Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro quarto, uſque ad tempora ſua prophetiæ gratiam in Eccleſiis floruiſſe ait. Quid multis opus verbis? Cum Ioel Apoſtolos, alioſque in Eccleſia prophetaturos prædixerit, ut Petrus in Actibus Apoſtolorum dicit, & Chriſtus ſe ad Judæos, inter ceteros, Prophetas etiam miſſurum ab ipſis in Synagogis ſuis occidendos dicit. Nam, ait Amos: „ Non faciet dominus Deus verbum niſi reve„ laverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos prophetas „. Cur autem Deus ſecreta ſua ſervis ſuis revelat, & quare non neceſſe eſt omnia fieri, quæ dicit, qui ſcire cupit legat Hieronymum in Ionam, & in Ezechielem. Alii quidam Ioachinum uti hæreticum calumniantur, quod Innocentius tertius (10) libellum quendam Ioachini nomine, hoc eſt injuſtam adverſus Petrum Lombardum reprehenſionem in concilio damnarit. Cum ipſe, in epiſtola, quam propria manu exaravit, ſimpliciter & humiliter fatetur ſe eam fidem tenere, quam Romana tenet eccleſia, jubetque cuncta ſua opera compoſita & componenda ſummo Pontifici aſſignari, quæ ipſemet morte fortaſſe præventus offerre non valeret, Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda & corrigenda. Idipſum Innocentius ipſe in Decretali illa aſſerit. Extat in bibliotheca Vaticana epiſtola Honorii tertii Rom. Pont ad Epiſcopum Lucanum favore Ioachini adverſus ejus obtrectatores, quæ „ hæc eſt. „ Ad audientiam noſtram noveritis perveniſſe quod „ cum Abbatem & Monachos Ordinis Floris de crimine hæreticæ „ pravitatis infamas, & a tuis permittis ſubditis infamari, ſumens oc„ caſionem ex eo quod felicis memoria Innocentius Papa prædeceſſor „ noſter libellum ſive tractatum, quem Abbas Ioachinus ejuſdem Ordi„ nis inſtitutor edidit contra Magiſtrum Petrum Lombardum de uni„ tate ſeu eſſentia Trinitatis generali approbante Concilio damnavit. „ Cum igitur idem prædeceſſor noſter in ſententia prædictæ damna„ tionis expreſſerit, quod per hoc Florenſi monaſterio nolebat aliqua„ tenus derogari, quoniam & in eo regularis eſt inſtitutio, & obſer„ vantia ſingularis, idemque Ioachinus omnia ſcripta ſua ipſi præde„ ceſſori noſtro aſſignari mandaret Apoſtolicæ Sedis approbanda judi„ cio, vel etiam corrigenda, dictans epiſtolam, cui propria manu

„ ſub-

„ subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam „ Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Deo mater est cunctorum „ fidelium & magistra: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta man„ damus, atque præcipimus, quatenus fratres Ordinis supradicti su„ per hæreseos crimini nec ipse infamare præsumas, nec a subditis „ tuis permittas, seu aliquatenus dissimules infamari. Datum Romæ „ apud Sanctum Petrum iiii. Nonas Decembris Pontificatus nostri anno „ primo „. Post Cælicum (11) *Spatianum* est cum fonte nobili, hic marmor effoditur. Inde est *Spatianum* iterum, ubi aurum & ferrum nasci dicitur. Ex hujus corporis vico quopiam, cui *Casula* nomen est, fuit *Antoninus Ponta*" sive *Pontanus*" utraque lingua eruditus. (12) *Pedatium*, hic etiam aurum nasci fertur, nec longe (g) *Cardonum* flumen auriferum labitur, quod cadit in Crathim torentinis aureis maculis sparsis fecundum. Ex hujus corporis vico quodam, qui *Serra* dicitur, fuit (13) *Ioannes Crassus* utraque lingua satis eruditus, poeta & orator clarus, ingenii acumine & memoriæ tenacitate pollens, fuit & accumulatæ virtutis vir. Inde est (14) *Petrafitta*, & juxta (15) *Ispica* fluvius labitur. Hic plumbum & chalcanthum & Salfossile nascuntur. (16) *Aprilianum* secundum quod Crathis fluvius oritur. Hic præter alia ferramenta, cultri fiunt nobiles & sclopi machinulæ. (17) FILINUM (18) *Magonum*, (19) *Rublanum*, & juxta *Sabbatum* flumen labitur, incolæ bovina coria, & soleas optime concinnant. Fiunt & hic falsamenta optima ut farcimina, pernæ, petasonesque. Ex hujus corporis vico *Ferveto* dicto fuit *Nicolaus* utraque lingua eruditus, & bonis moribus præditus. Scripsit librum de Rebus sacris, & Silvarum libros quatuor conquestionis Italiæ heroico carmine. (20) *Carpacianum*, (21) *Sylanum* cujus incolæ pectinibus conficiendis & lanificio plurimum vacant. Nam & aulea, & tapetia, & sitarchas texunt, & lodices, quas quod alicubi ex caprina lana fiant, capritas vocant. (22) *Altilia*. Nec longe (23) *Crepisitum* vicus est, ubi specularis lapis nascitur. *Maletum*, ex quo fuit *Carolus Iardinus* Parrhasii alumnus acerrimi ingenii vir, Romanæ facundiæ haud inglorius, Græca quoque lingua apprime eruditus. Sed enim in literarum ocio se mirum in modum accinxit, Romæ bonas literas publice est professus. Rebus excessit humanis juvenis admodum. (24) *Paternum* cum emporio annuo. Incolæ hircinis, vervecinisque, & ovinis pellibus aptandis dant operam. (25) *Depinianum*, cujus incolæ æreis vasis conficiendis navant operam. nam & lebetes, & ahena, & sartagines, & pelvas, & cacabos, & alia ejusmodi vasa optime conficiunt. (26) *Thessanum*, (27) *Donitium*, hic chalcanthum nascitur, & prope *Album* flumen labitur. Per omnia autem loca hæc generosa vina fiunt, & præsertim Rublani. Fiunt & lina nobilia ejus generis, quæ feminina vocant. Extant & in Consentino agro pulchra bovum armenta.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Pagi circiter centum*. Vulgo appellantur *Casalia*, quorum pleraque post Saracenorum incursionem Consentiæque destructionem sæculo nono, ut nonnulli autumant, extructa fuere, præsertim ea, quæ vulgo appellantur

del

*del Manco* ad Crathidem usque. Id autem pro certo asserere non audemus, cum horum multa vel Consentiæ parem, vel potius antiquiorem sibi vindicent sedem. Vt ut sit, Consentiæ ita conjuncta sunt, ut sint veluti ejus suburbia, & privilegiis a Regibus, Imperatoribusque concessis una potiuntur. Vide Diplomata in fine hujus operis.

2. *Castionum*. Potius Castilionum, vulgo *Castiglione*, quod nomen duxit a Familia Castiliona Maurellia, ejusdem pagi tum domina, prius namque *Guaranum* appellabatur, ut ex regestu Mensæ Capitularis Consentinæ. Fuit ex hoc loco *Marcus Antonius de Feulo*, Carolo V. Imperatori charus, qui in Algerii expugnatione strenuam navavit operam. MS, Pauli Gualter. Et Mart. Et nostris temporibus *Ignatius Guaranus* bonis literis instructus.

Prope Castilionum extant & alii pagi, quos inter *Petrejum Guarani* vulgo *S.Pietro di Guarano* patria *Eustachii Entrerii* ex Minimorum familia Annibalis Cardinalis Albani Episcopi Sabinensis Suffraganei, viri eruditione conspicui. Extat & *Benedictum* vulgo *S. Benedetto*, patria *Alberti de Iuso* ex Dominicana familia doctissimi, & morum integritate conspicui, qui dum Romam Innocentii XII. jussu ad emeritos virtutis honores evocaretur, Paulæ in itinere obiit.

3. *Sapanum*. Vulgo *Zumpano*. Ex hoc loco fuere *Angelus* & *Petrus* laici, & *Thomas* sacerdos, ex Minimorum familia sanctitate conspicui: ex MS. Francisci de Longobardis, & Mart.

4 *Beato Francisco*. Hic acceptissimus fuit Ægidio Viterbiensi Cardinali, qui eum summis laudibus elogiisque extollit. Vide Torell. in secul. Augustin.

5. *Lapanum*. Edito loco situm.

6. *Rubetum*. Tellus aprica, ingeniorum fecunda: patria fuit *Bartholi Arnoni*, Regii Quæstoris Consentiæ, ubi magnificentissimas sibi ædes extruxit, quæ postmodum Regiæ Cameræ cessere. Intus extat inscriptio hæc.

BARTHOLVS ARNONVS IN BRVTIIS CÆSARIS QUÆSTOR PALATIUM, QVOQVE ANIMO! QVAQVE IMPENSA VIDES. ASCANIVS FRATER, AC ITEM CÆSARIS THESAVRARIVS, QVI INCOEPTA MODO PEREGIT, VERVM IACTIS AD ALTIORA GRADIBVS TOTVM OPVS VT AB APELLE RELICTVM ABSOLVIT.

Item alia intus chorum Cœnobii S. Francisci Minoris Observ.

BARTHOLO ARNONO CONSENTINO CÆSARIS QVÆSTVRA BRVTIIS PERFVNCTO, PALATIOQVE MAGNIFICENTISSIMO SIBI CONSTRVCTO, ASCANIVS ARNONVS IVRISCONSVLTVS, ITEMQVE QVÆSTOR FRATRI OPTIMO, SVIQVE AMANTISSIMO, AC BENEMERENTI POSVIT ANNO 1553.

Rubeti quoque natus est *Thomas Cornelius*, literatorum phœnix, Philosophus celebris, qui Neapolim bonas literas invexit, ubi per annos quatuor supra triginta docuit; edidit item *Progymnasmata physica* Venetii 1663. in 4. multaque conscripsit stilo plane aureo. Obiit IV. Kal. Novembr. ann. 1684. Topp. & Ms. Mart. *Hieronymus Arnonus* Ordinis Minimorum Generalis emeritus, ann. 1556. morum integritate & doctrina clarus. Lanov. in chron. *Dionysius* B. Pauli Paternensis socius: ex Chron. *Marcellus Cornelius*, qui scripsit *de Christianorum victoria in Turcas*, quem tametsi Marafiotus Consentinum scribat, ad Rubetum pertinere arbitramur. *Hyacinthus Scarpellus* Presbyter, Dipiniani Parochus, eruditione clarus, qui libros edidit

edidit *Directorium Confessariorum* & *Speculum Parochorum* Neapoli 1710. *Hieronymus* Minorita morum integritate & pœnitentia clarus.

7. *Cælicum.* Nomen oppido aptissime impositum, quasi *Cæleste* dixeris. Aer enim salubre est, terra fertilis, aquæ optimæ & copiosæ, gens culta, atque humana.

Fuerunt ex hoc loco viri in omni virtutum genere celeberrimi, quos inter *B. Ioachim*, de quo mox. *Matthæus Via* ex Minimorum familia sanctitate conspicuus. *Lanov. Chron. Felix* Via Romæ in Archigymnasio Sapientiæ Lector, edidit librum super Canones, mox Episcopus Asculanus ann. 1672. ut ex Dominico Martyre, qui illum novit & in suo ms. recensuit. *Franciscus Maurus* Ordinis Minimorum Generalis doctrina & pietate clarus. Ms. Mart. *Philippus Guerra* Theologus celebris, qui cum Episcopo S. Marci Concilio Tridentino interfuit, mox creatus Episcopus Fundanus, inde Episcopus S. Marci ann. 1576. Ughell. *Cherubinus* Instituti Capuccinorum morum integritate clarus. Est & *Mennitum* ad Cælicum pertinens.

8. *Joannes Joachinus*. Nonnulli arbitrati sunt, ita Joachimum appellari, ut Joannes nomen fuerit, Joachinus vero cognomen: sed Joachimum tantummodo appellatum esse ante & post initam Congregationem, antiquissimum M. S. a B. Rogerio Aprilianensi ejus discipulo exaratum, ut putatur, fidem facit. Exstabat intus Metropolitanam Ecclesiam Consentinam inscriptio a Tamburino relata to. 2. de jure Abb. disp. 24. quæ est hæc:

JOACHIMUS MAGNVS ABBAS, NATIONE CALABER, MAGNÆ DOCTRINÆ VIR, ET EXCELLENTISSIMÆ VITÆ INGENII PROPE DIVINI HAC IPSA TEMPESTATE ANNO 1158. APVD GVILLELMVM REGEM ET CALABROS OMNES CLARVS ET INCLYTVS HABITVS EST, QVI PROPHETICO SPIRITV REPLETVS FVTVRA QVASI PRÆSENTIA DISSEREBAT.

Eadem pene verba refert Philippus Bergomensis in supplem. Chron. lib XII.

9 *Scripsit libros quinque*. Præter libros hic recensitos, scripsit & alios, nempe *Librum Epistolarum ad Imperatricem Constantiam*, & *ad alios.* Exstat MS. Consentiæ in Monasterio S. Mariæ Pietatis, ut ait Cala lib. 1. part. 3. & 4. Exstat etiam in Bibliotheca Vaticana liber MS. *De vita solitaria*: *De Virtutibus*: *Super Regula S. Benedicti*: *De ultimis tribulationibus*: *De virtutibus Fidei*: *super Apocalypsim*: *super Psalterium*: *super Hieremiam*; & *Concordia inter novum & vetus Testamentum*. Venetiis item superiori seculo repertum fuit vaticinium, & publicatum anno 1684. ut ait Dominicus Martyre in suo MS. Extant in Monasterio Florensi MS. *super Apocalypsim*, *super Epistolas XIV. S. Pauli* & *Vaticinia quædam de Summ. Pontif.* Fundavit Joachimus Monasterium Florense anno 1198. eique per triennium præfuit. Obiit autem anno 1201.

10. *Libellum quendam Joachini nomine*. Libellum istum subdole in odium Joachimi interpolatum & ad sedem Apostolicam delatum esse nonnulli autumant. Cæterum hic subnectam quid Joachimus de sanctissimo Trinitatis mysterio sentiret, quod excerpsi ex ejus opusculo, cui titulus *Psalterium decem chordarum* juxta exemplare

O Vene-

Venetiis impressum in chalcographia Francisci Bidoni & sociorum anno Domini M. D. XXVII. sic enim ait: *Non igitur Divinam substantiam, aut unum Deum, quem trinum esse audis, sic in tres personas divisam putes, ut tria divisa arbitreris, sicut olivam, myrtum, & palmam, quæ diversæ sunt natura & genere: sed nec ut tres olivas, quæ unius sunt naturæ, sed tamen corporum proprietate disjunctæ: neque ut tres ramos uni radici infixos, ut substantiam radices, & tres ramos hypostases arbitreris juxta aliquorum perfidiam, quod est inducere quaternitatem. Sed si coactis aliqua necessitate figura visibilis accipienda est, saltem quod nobilius est in rebus ratione carentibus, lucem istam accipiamus, quam constat illius veræ lucis habere qualemcumque imaginem, quæ non tam oculos exteriores reproborum hominum, quam corda illuminat electorum, & ex qua manat semper illa lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Siquidem ex luce ista, quæ vocatur sol, & radius indesinenter nascitur, & calor indefesse procedit &c.*

Et super Apocalypsin cap. 1. ait: *Deus Pater unus est, Deus Filius unus est, Deus Spiritus Sanctus unus est. Quasi quartum aliquid sit Divina substantia: idolum adorant non Deum; quoniam quartum aliquid non recipit fides nostra, sed tantum tres personas.* Libellum siquidem illum a Patribus in Concilio Lateranensi justissime proscriptum esse constanter asserimus, ac fatemur. Vide Bollandum, Guillel. Paris. Math. Manriquez, Laur. &c.

Neque audiendus est nuperus scriptor, qui Joachimum ridicule carpit ac nugatorem appellat, &, ut suis verbis utar, *Cianciatore*; nam vel ex Dante Aligherio emunctæ naris poeta, quem refert, satis apparet Joachimum prophetiæ spiritu afflatum. Ait enim Parad. Cant. 12.

*Raban è quivi, e lucemi dallato*
*Il Galavrese Abate Giovacchino*
*Di spirito profetico dotato.*

Cæterum si quidpiam non evenerit quod Joachimus prædixisse visus sit, parum refert: multæ siquidem prophetiæ Ioachimi nomine circumferuntur, quas nec ipse somniavit.

11. *Spatianum.* Ex hoc loco fuit *Felix Monachus*, qui Jurisprudentiam docuit Romæ in Archigymnasio Sapientiæ, mox ab Alexandro VII. creatus Episcopus Martyranensis anno 1661. Obiit Martyrani Kal. Januar. 1667. ut ex Dominico Martyre, qui eum novit. *Laurentius Ciollarus* Ordinis Minimorum Generalis emeritus. Obiit in Hispania IV. Kal. Ianuar. 1645. *Ms. Mart.*

Sunt & alia oppidula ad Spatianum pertinentia, nempe *Machia*, patria *Matthæi Monachi* ex Minimorum familia Sacerdotis vitæ integerrimi, qui nunquam cum mulieribus locutus fuit, prophetiæ spiritu afflatus, & miraculis clarus. Obiit Paulæ anno 1614. ex MS. Francisci de Longobardis, quem laudat Dominicus Mart. *Casula* & prope *Jovinum* flumen, patria fuit *Francisci a Notario Joanne* dicti Congregationis Cisterciensis, Monasterii S. Mariæ de Succursu Excalceatorum fundatoris ann. 1525. juxta vaticinium S. Francisci de Paula. Vide Iacob. Græcum, & Laur. Item *Verticilla*, *Cribarium*, *Trentum*, *Ferocii*, *Excalceati*, ubi natus est *Joannes Dominicus Longus* Parochus Pedacii: hic scripsit historiam terræmotus, qui accidit anno 1638. *Ms. Mart.* Aliud oppidu-

dulum est *Mallei*, vulgo *Li Magli* edito loco situm, patria *Josephi* Instituti Capuccinorum doctrina & sanctitate conspicui quem ego noviConsntiæ heroicum patientiæ actum exercuisse. Dum enim juxta assideret sacram concionem auditurus impudentissimo cuidam homini in faciem expuenti reposuit : *Sit nomen Domini benedictum*, pallioque se tersit. Hic etiam natus est *Franciscus* ejusdem instituti Theologus & Mathematicus celebris.

12. *Pedatium*. Aliquibus *Pedacium*, & *Pedachium*, meridiem spectans, cujus ager frugifer est, aer salutaris. Fuit ex hoc loco *Joseph* ex Minimorum familia laicus, morum sanctitate clarus : ex Domin. Mart. qui illum novit. *Martinus Palatius* M.C.V. Regens ann. 1504. Topp. de orig. trib. *Petrus* Instituti Capuccinorum vitæ integer: ex chron. anno 1600.

Sunt & alii pagi, nempe *Serra* ex qua prodierunt *Ludovicus* familiæ Capuccinorum laicus sanctæ vitæ vir, prophetiæ spiritu afflatus, miraculisque clarus. MS. Gualt. & Mart. Chron. ad ann. 1608. *Antonius*, & *Anselmus* ejusdem instituti laici sanctitate itidem conspicui : ex Chron. & Martyrolog. Gualt. *Franciscus Manardus* Jurisconsultus celebris in Universitate Maceratensi Lector primarius, ad nostram memoriam usque. Vivit modo Romæ *Dominicus Mollus*, Presbyter, insignis Collegiatæ S. Mariæ in Via lata Beneficiatus, eruditione clarus. *Jotta*, & *Peretum*. Hic natus est *Felix Antonius Brognus* Presbyter eruditione & pietate clarus, optime de Patria meritus : edidit duo opuscula ascetica. MS. Mart. *Dominicus Martyre* Presbyter, Capituli Consentini Decanus, Jurisprudentia, pietate, atque eruditione conspicuus : scripsit labore incredibili Italice historiam Calabriæ in duos tomos distributam, quæ extat MS. Romæ in Collegio S. Francisci de Paula ad Montes dicto, quæque nobis plurimo adjumento fuit, sæpiusque laudatur: scripsit quoque Geographiam sacram.

13. *Joannes Crassus*. Extat in Ecclesia S. Dominici icon depicta cum epigraphe :

*Culmen ad empyreum Crassus dum scanderet, aras*
*Condidit has cælebs, quæ sua membra tegat.*

14. *Petrafitta*. Ex hoc loco fuerunt *B. Andreas de Martinis* unus sociorum S. Francisci de Paula, sanctitate, & miraculis clarus : ex Lanov. in append. ad Chron. & MS. Mart. *Bonaventura*, & *Joannes* instituti Capuccinorum vitæ integri : ex Chron. *Carolus Frontera*, Jurisconsultus eximius. Marafiot. *Aloysius Antonius de Martinis* Dux militum. Oldoin. in append. ad Tursellin. Nostris autem temporibus *Cajetanus Monachus*, Presbyter, Canonicus Consentinus doctissimus. Vivit modo *Joannes Bucatius* ex Reformata Franciscana familia bis Commissarius Generalis emeritus, patriæ decus & ornamentum.

Secus Petrafittam, ut conjicitur, celebre erat monasterium, ex quo *SS. Hilarius*, *Falcus*, aliique socii sanctitate conspicui prodierunt, ut supradictum est. Anno 1593. sub Abbate Commendatario *Petro Paulo Panuntio* Consentino ibidem repertum est corpus B. Ubertini Hydruntini Abbatis cum lamina argentea, in qua scripta erant hæc verba: *Cum sancta civitas fulgebit splendore stellæ, sol iterum me videbit. Hoc est corpus Abbatis Ubertini Hydruntini sepulti VI. Kalendas Novembris anno 778. a vir-*

*gineo partu*. Item in involucro plumbeo membrana vaticinia quædam continens, quæ licet mendose refert Ians. in Mercur. Gallobelg.tom.1.lib.6.ad ann.1593.Vide Arnold. Vujon.par. 2. lib. 3. & Joann. Vvolf. in epist.mem.

Sunt & alia duo oppidula ad Petrafittam pertinentia, nempe *Hyppolitum* vulgo *S. Ippolito*, & *Tursanum*, patria *Rutilii Benincasa* Philosophi, Mathematici, & Astronomi peritissimi, qui librum edidit *Almanacco perpetuo* centies impressum·Obiit circa annum 1625. Topp.in bibl.& Ms.Gualt.

15. *Ispica*. Fortasse a verbo Græco ἀσπίζω *defendo* ἤσπικα enim Græce idem est ac Latine, *tutatus sum*.

16. *Aprilianum*. Ex duodecim oppidulis parumper disjunctis constat, quorum pleraque satis habitatoribus sunt referta, magnamque urbem appellaveris si a longe prospexeris: sunt autem *Casignanum*, *Grupa*, *Stephanum*, vulgo S. *Stefano*, *Curtes*, *Pyra*, *Augustum* supernum inferumque, *Vici*, *Guarnum*, *Petronum*, *Pedalina*, & *Nicolaum*, vulgo S. *Nicolo*, quod paulo remotius est, Crathideque fluvio disjungitur. *Aprilianum* puto ab *Aprili* Mense dictum ob aeris jucunditatem temperiemque, terræque amœnitatem ad meridiem sitæ.

Ex hoc loco fuerunt *B. Rogerius* ex Diacono Seberinate Monachus Cisterciensis B. Joachimi alumnus, ejusque gestorum scriptor, ut diximus supra. Vide Manriquez. *Franciscus* instituti Capuccinorum sanctitate conspicuus: ex Chron.. *Ioannes de Bono* ex Minimorum familia vitæ integritate, humilitate, ac pœnitentia clarus. Obiit Romæ XVII. Kal. Febr. 1650. in Collegio S. Francisci ad Montes magna sanctitatis fama, ut ex Ms. Francisci de Longob. & Mart. *Nicolaus Santes de Luca* Presbyter vitæ austeritate, & puritate mirabilis. Obiit Romæ Nonis Febr. 1650. ex Ms. Mart. *Paulus* ex Franciscana reformata familia sacerdos, sanctæ vitæ vir, ante, & post mortem miraculis clarus: ex Chron.Ms. & Ms. Mart. *Bonaventura Cairous* Conventualis, verbi Dei præco eximius Ms. Mart. *Franciscus Cribarus* Episcopus Nicoteriensis anno 1658.Ughell. *Nicolaus*, *Alphonsus*, & *Prosper Muti* in bello clarissimi quorum postremus S. Francisco Paulitano acceptissimus fuit, & ab eodem in Galliam profecturo cingulum dono accepit, quod in Mutorum domo asservatur. *Franciscus Antonius*, & *Prosper Muti* eruditione conspicui. *Franciscus Mutus* Philosophus celebris, Telesii auditor edidit librum de *Philosophia* Ferrariæ 1588. Topp. in bibl. *Franciscus de Rubeis* Theologus Minorita scripsit super libros sententiarum Scoti. Ms. Gualt. *Joannes Dominicus Maurus*, Parochus Ecclesiæ S. Salvatoris ad Cohortem dicti trans Tiberim, varia edidit monumenta, nempe *Descriptionem ejusdem Ecclesiæ*, & *Martyrium SS. Pigmenii & sociorum*, Veliterni 1677. in 4. *Historiam sacram*, Romæ 1682. & 1683. in 4. *De Sacramentis*, & *Doctrina Christiana*, Romæ 1683. in 4. Obiit Idibus Aprilis 1688. ex Ms. Dominici Martyre qui eum novit. *Pyrrhus Schettinus*, de quo supra in adnotationibus ad Cap. VII.

Nostris autem temporibus, *Carolus Mutus*, *Francisci* de quo supra abnepos, eruditione clarissimus, amicus noster, *Josephus Donatus*, alias, *Panto*, poeta celebris, *Isidorus Pyrus* ex Minimorum familia eruditissimus,

librum

librum edidit *Philosophia rationalis*, Venetiis 1707. apud Politum, *Marius Abruzzinus*, & *Stephanus Donatus* Jurisconsulti celebres, *Petrus Antonius Abruzzinus* Dux militum, aliique non pauci.

*Filinum.* Potius *Fillenum* vulgo *Figline*, aliis, *Figlino*. De *Filleno* patria mea Oppido pervetusto aut nihil, aut parum veteres scripsere, recentiores vero vix de ejus fundatione quidquam attigerunt sunt, virosque illustres aut abstulerunt, aut tacuerunt. Filleno siquidem adamussim quadrat Horatianum illud lib. IV. od. VIII.

*Vixere fortes ante Agamennona*
*Viri, sed omnes illacrimabiles*
*Vrgentur, ignotique longa*
*Nocte, carent quia vate sacro.*

Conjiciendum sane hoc Oppidum aut ab *Helena* nomen sumsisse, quæ *Feleni* aliquando vocitata est, teste Dionysio Halicarnasseo Roman. antiq. lib. I. aut a Sybaritarum reliquiis vel extructum vel auctum, ut incolarum traditio est, aut ab Oenotriis, qui loca edita incoluere, ut situs opportunitas vindicat. Utcumque sit, Consentia vetustius, aut saltem suppar credendum est: neque enim ut ceterorum oppidulorum quamplurima post Consentiam a Saracenis devastatam extructum conjicitur; cum opera Gothica quæ ibidem etiamnum extant, imagunculæ ac numismata in ruderibus reperta, aliaque antiquitatis monumenta Gentium vetustatem redoleant. Quinimo, & Consentiæ ruinis auctum fuisse par est conjicere. Modo Prætura Consentiæ est, ubi comititia ad ferenda populi suffragia in foro, pro iis qui Magistratus inirent, haberi consueverunt. In quodam diplomate Friderici Imperatoris, cujus fragmentum in elencho locorum destructorum in fine hujus operis adducemus, *Philanum* scribitur; alii *Felinum*, alii *Philenum* a Græco φιλέω *amo*, alii *Fillenum* scribunt. Est hoc Oppidum edito loco ad Silæ radices situm, aeris salubritate, frugum copia, terræque amœnitate jucundum, Crathidi finitimum, nec longe ab hujus fluminis celeberrimi scatebra, vulgo *Capo Crate*. Fit sericum selectissimum, ac vinum optimum. Sunt & pagi *Cellaria*, ubi extabat nobilissima Familia *Fera*, ad quam fortasse *Camillus Fera*, de quo ignoratur patria, referendus est: *Francolisii*, & *Planæ*, ad Fillenum pertinentes. Extabant & *Clausuræ* jam dirutæ, ut in eodem elencho dicemus. Sunt tria Cœnobia, S. Mariæ *ad Cancellos* dictæ Ordinis Prædicatorum, quod vetustissimum est, ubi requiescit corpus *Iacobi Bruni* ejusdem familiæ Dominicanæ doctrina & sanctitate conspicui, ut ex inscriptione quæ ibidem extat. Alterum Minoritarum strictioris Observantiæ anno 1614. alterum Instituti Capucinorum anno 1609. erectum. Ecclesia Parochialis Filleni & Francolisiorum sub titulo S. Joannis Baptistæ majorum nostrorum ætate in terræmotu anni 1638. corruit, quæ postmodum magnificentius exstructa situ, nitore, ac sanctitate præfulget. Celebrari ibidem consuevit quotannis festum S. Blasii ejusdem oppidi Compatroni tanta solemnitate ac pietate, ut finitimorum concursui fieret satis, ac permulti de beneficiis Sancti Martyris intercessione a Deo acceptis nuncupata vota persolverent. Cellariorum Parochialis Ecclesia est sub titulo S. Petri Apostolorum Principis, adjunctusque fuit titulus S. Michaelis Archangeli postquam *Clausurarum*

*rarum* pagus interiit, cujus erat Patronus. Parochialis *Planarum* est sub titulo S. Barbaræ Virginis & Martyris, miraculis præsertim contra fulminum ictus tuitione celeberrimæ. Sunt & aliæ ædiculæ B. Virgini, S. Sophiæ (Fileni alteræ, alteræ Francolisiis) S. Roccho, S. Catharinæ, S. Sebastiano, & eremus S. Antonio Patavino sacræ. Extabat & ædicula S. Mariæ Magdalenæ non longe a S. Roccho, sed interiit. In Ecclesia S. Jo: Baptistæ extat tabula cedrina vetustissima, sed integra, nec fœdata, Christi Domini e Cruce pendentis, aliorumque Sanctorum imaginem repræsentans, quæ in altari omnibus Sanctis sacro colebatur. Hæc ex Græcorum characterum specimine ad iconoclastarum tempora pertinere conjicitur. Sunt & alia Sanctorum corporum lipsana, ac sanctissimæ Crucis frustulum. Extabat & Crux ænea vetustissima illius instar, quæ in Ecclesia Lateranensi in urbe asservatur & colitur, quamque Constantinianam dicunt. Cellariis quoque ex Ossibus S. Ursulæ duo frustula sunt.

E regione Filleni Paternum inter & Mangonum ubi nunc dicitur *Monte malo* extat crypta Glauci, nunc *Grotta di Chiauco*, sepulcrum Gigantum appellata, ubi *Marduccus*, & *Rubichellus* Gigantes ab Henrico Calà interemti conditi sunt. Ibidem anno 1659. cadaver repertum est sexdecim palmorum, variaque ossa ac dentes. Tum ad ejus caput lamina erat ænea Gallica lingua, sed characteribus Teutonicis insculpta, qui Italice hæc sonant:

*Vinto da Errico Calà che fu chiamato a duello*
*De' Giganti sotto la tomba qui giace Rubichello*
*Che a vendicare la morte del fratello Marducco andò*
*Alla Città di Salerno ucciso per temerario restò*
*Di Giovanni Calà per la spada bene avventurosa;*
*Ebbe di sua grandezza la fortuna invidiosa.*

Hujus rei gestæ testes fuere permulti, qui cadaver, ossa, dentes, laminamque inspexerunt: confectumque fuit publicum instrumentum die 28. Junii ejusdem anni 1659. Joannis Mariæ Adami Notarii Carpaciani auctoritate firmatum. Vide Calà histor. Suecor. & Gaspar. Scottum in append. Physic. observ. to. 1. lib. 3. cap. 4.

Fuit Fillenum illustrium virorum scatebra semper fecunda, sed proh dolor, sive terræmotibus, ac pestilentiis, sive bellorum incommodis, aliisque temporum injuriis, & quod pejus est, intestinis civium dissidiis, plurimum a prisco splendore defecit: tum monumenta quæ magnam historiæ materiem posteris suppeditare potuissent, scriptorum inopia interiere. Siquidem ex spicilegiis, quæ nos pro virili parte collegimus, facile cognoscetur & messis quæ periit. Filleni anno 1473. natus est PETRUS PAULUS PARISIUS, Juris Pontificii ac Cæsarei lumen. Hic nobilissimæ puellæ conjugio devinctus, filium suscepit, sed mox utrisque orbatus, Patavium secessit, inde Bononiam, ubi utrumque jus docuit plausu incredibili. Cumque ejus fama longe lateque personaret, a Paulo III. Farnesio Romam accitus Apostolicæ Cameræ Auditor, mox Episcopus Nuscanus III. Idus Jnnuarii ann. 1538. tum Anglonensis renuntiatus est. Anno autem 1540. S.R.E. Cardinalis tituli S. Balbinæ creatus, S. Concilii Tridentini Legatus & Præses eligitur anno 1542. Sed Bononia accitus insequenti anno ad Carolum V. Imperatorem cum Marcello Cervino Cardinali S. Crucis nuncupato Januam Legatus a Latere mittitur. Absoluta legatione Signaturæ Gratiæ libellis præficitur. Eo dirigente *Vincentius*

*tius Laureus* adeo profecit ut inter purpuratos Patres fuerit cooptatus, ut infra dicetur. Tandem pro Ecclesia Dei ac Sede Apostolica tot exantlatis laboribus, Romæ 5. Idus Maji anno salutis 1545. diem clausit extremum, sepultusque est in Ecclesia S. Mariæ Angelorum ad Thermas, ubi celebre erectum est mausoleum hoc epitaphio:

D. O. M.
PETRO PAVLO PARISIO CONSENTINO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
QVI OB CELEBREM JVRISPRVDENTIÆ FAMAM IN NOBILISS. ITALIÆ
CATHEDRIS SPECTATÆ
A PAVLO III. PONT. MAX. BONONIA ROMAM ACCITVS APOSTOL.
PRIMVM CAM. AVDITOR
MOX IN AMPLISS. ORD. ADSCRIPTVS, SIGNANDISQVE GRATIÆ LI.
BELL. PRÆPOS.
SAC. TANDEM CONCILII TRIDENTINI LEGATVS AC PRÆSES ELECTVS
VT VIVENS ÆTATIS SVÆ CHRISTIANÆQUE REIP. PRÆSENTI CONSILIO
ATQVE VIRTVTE,
ITA POST MORTEM PRÆCLARISS.
EDITIS INGENII ATQVE DOCTRINÆ MONVMENTIS
PLVRIMVM POSTERITATI PROFVIT.
OBIIT V. IDVS MAJI ANNO SALVTIS 1545. ÆTATIS SVÆ 72.
FLAMINIVS PARISIVS EPISCOPVS BITVNTINVS GENTILIS SVI STVDIORVM ET GLORIÆ ÆMVLVS PATRIÆ
ET FAMILIÆ ORNAMENTO FIERI TESTAMENTO MANDAVIT
QVI VIXIT ANNOS 40.
FABRITIVS CAJETA ET PROSPER
PARISIVS EXECC. CVR.
ANNO CIↃIↃCIII.
CORPVS HVMO TEGITVR
FAMA PER ORA VOLAT
SPIRITVS ASTRA TENET.

Nec mirandum si *Consentinus* scribatur, & recte; Fillenum siquidem Consentiæ Prætura est, sicuti & ceteri Pagi, vulgo *Casalia* quæ ut diximus *Consentiæ* suburbia sunt, velut corporis membra, quorum *Consentia* est Caput. Capiti itaque honor deferendus est, ut ceteri facere consueverunt. Guillelmus Sirletus Stiniani natus, Stylensis scribitur: Rutilius Benincasa, Thomas Cornelius, Sextilius Mazzuchius, aliique ad pagos Consentinos spectantes Consentini dicuntur: Quin & Janus Vincentius Gravina, Rogiani natus, ut ostendimus, in ultimis tabulis quas vidimus *Consentinum* se facit, quemadmodum & nos fecimus. Opinandum profecto est Parisiorum familiam longe nobilissimam, quæ *Consentiæ* potissimum splendet, quæque Northmannorum tempore ut ex monumentis infra adducendis præstabat, bellorum injuriis præsertim Gallis atque Aragonensibus Calabriam vexantibus, *Fillenum* se receperit, ibique radicem aliquam fixerit: id tamen pro certo asserere non audemus, cum & alibi Parisiorum familia æque nobilis reperiatur, quæ *Petrum Paulum* Cardinalem suum esse contendat. Sed absit verbo invidia, ad *Fillenum* pertinet, ut constans traditio durat, & monumenta supersunt. Filleni quippe in Ecclesia S. Mariæ *ad Cancellos* dictæ Ordinis Prædicatorum extat gentilis ara *Parisiorum*, in qua est tabula celeberrima peritissimi artificis manu depicta Epiphaniam Domini Regesque illum in sinu Deiparæ adorantes mirifice repræsentans, quam vel ipse Petrus Paulus Cardinalis, vel Flaminius Parisius, Episcopus Bituntinus gentili stemmate ornatam misit sive Roma, sive Neapoli incompertum. Iuxta aram quoque lapideam inscriptionem Flaminius supposuit, quæ hæc est:

PETRO PAULO PARISIO
DOCTORI EXIMIO
FLAMINIVS PARISIVS.
... FILIUS POSUIT
M. D. LXXXXV.

Sed & Rutilius Benincasa scriptor fere con-

contemporaneus in suis Astronomicis observationibus centies excusis vulgo *Almanacco perpetuo* tract. 7. cap. 10. *Petrum Paulum Parisium* Cardinalem, *Fillenensem* ingenue scribit. Sane I*oannes Baptista Parisius* hujus sive rami sive stipitis ultimus surculus temporibus fere nostris e vivis sublatus est, quem plerique superstites agnoverunt. Ex mulieribus autem soboles adhuc durat, ut apud incolas, aliosque compertum est. Ex libris quoque Baptizatorum, aliisque Fillenensis Ecclesiæ monumentis, nisi terræmotibus aliisque temporum injuriis omnino periissent, luculenter ostendi posset, quod ex iis quæ adduximus satis constare arbitramur.

De Petro Paulo Parisio Cardinali loquuntur Paulus Jovius histor. lib. 42. Ciaconius in vitis Pontificum Romanorum, Oldoinus, Guido Pancirolus to. 2. de claris legum interpr.. Valentinus Froster histor. legal. Angelus Portinarus hist. Patavin. lib. 7. cap. 4. Toppius, Nicodemus, Rutilius Benincasa ubi sup. Ughellus, qui in Italia sacra Episcopum Anglonensem adnotare oblitus, in Appendice ad Ciaconium postea commemoravit, Abbas Justinianus super Concil. Tridentin. indict. 13. Pallavicinus hist. Concil. Tridentin. lib V. Cap. 1. & 2. aliique. Ciaconius vero, & Marafiotus referunt scripsisse quoque *Epistolas Commentarios in lib.* 2. *Decretalium*, *Lectiones vespertinas & quatuor Libros* I*uris Civilis*; Gualterius in Ms. quasdam *Epistolas Canonicas super Cod. & Digest. & additiones ad Bartholum* scripsisse commemorat.

Hæc de Petro Paulo Parisio Gentili suo scripsit *Flaminius Parisius* Episcopus Bituntinus, De Resignat. Beneficiorum lib. 1. quæst. 2. numero 28. 29. & 30. *D. Matthæus Contarellus cum annis elapsis superioribus Prodatarius esset, mandavit, ut dicta clausula non apponeretur, nec certe mirum; fuit enim longe usu, & exercitatione in Curia Romanæ negotiis maxime versatus, & exierat de familia illa omnium bonarum artium, & virtutum florentissima Petri Pauli Parisii Consentini Card. amplissimi Gentilis mei, quem virum ob ejus in legum disciplina præstantissimam eruditionem egregiasque virtutes animi, postquam Romæ, Patavii, ac Bononiæ in prima Cathedra Pontificia & Cæsarea jura de loco superiori multos annos esset interpretatus, Paulus* III. *Pontifex maximus Cardinalatus dignitate dignissimum judicavit. Ex qua etiam familia quamplures præstantissimi viri prodiere: Inter quos non reticebo D. Ugonem Boncompagnum Bononiensem* I. *C. clarissimum a Pio* IIII. *Cardinalatus insignibus ornatum, qui postea Pontifex maximus creatus Gregorius* XIII. *fuit nominatus. Nec silentio prætéribo Illustrissimum & Reverendissimum D. Vincentium Laureum Tropiensem, quem propter multiplicem eruditionem vitæque pietatem, & in rebus gravissimis tractandis summam prudentiam a Pio V. Episcopum Montis Regalis creatum Gregor.* XIII. *felic. record. post multas in longinquas regiones feliciter defunctas legationes Cardinalatus dignitate decoravit.*

Extat Epigramma Joannis Rivallii in Senatu Tolosano Causarum Patroni De Flaminio Parisio super libr. de Resignatione Beneficiorum, quem notis illustratum vulgavit P. Duclos Tolosæ apud Dominicum Bosc. MDCXVI.

Ut

*Ut Paris umbrosa Pastores Pastor in Ida,*
*Gallica ut antistant oppida Parisii:*
*Parisium sic tollit honos, sic anteit omnes*
*Parisius Scribas Sedis Apostolicæ. &c.*

Corrigendus Ughel, qui Flaminium *Tolentinatem* scribit. Obiit ann. 1603.

Fuit & *Ioannes Parisius*, nomine immutato *Ianus Parrhasius* dictus, de quo supra in textu Barrii, quemque Gualterius in Ms. Crepisiti natum ait, sed ad *Fillenum* pertinet, ut constans traditio est. Fuit & *Petrus* Croccus ex Dominicana Familia, Magister, doctrina & pietate conspicuus, ut ait Nicolaus Toppius in biblioth. Neapolitana. *Franciscus* a Cellariis Minorita, Musicæ peritissimus, edidit quasdam elucubrationes Neap. 1625. ut ait Gualter. in Ms. Sed & quamplurimos ex Filleno fuisse viros illustres opinari par est, quos temporum injuriæ, scriptorumque inopia ut diximus delevere. Ceterum nostrorum majorum ætate fuerunt *Achilles* Cundarus a Francolisiis, qui omnino pater Patrię appellari potuit: omnes siquidem pecunia consilioque adjuvare solemne habuit. *Franciscus Siderius* ex Franciscana strictioris Observantiæ familia, sanctitate & spiritu prophetiæ clarissimus: Hic socius fuit Ven. Servi Dei *Humilis a Bisiniano*, ut ex Act. S. Rit. Congr. Obiit Filleni magna sanctitatis fama, ingentique populi concursu. *Ioannes Petrus Soda* a Cellariis edidit librum Italico sermone sine litera *R*. quemque inscripsit *R sbandita*. Fuit & *Thomas Soda* itidem a Cellariis Minorita doctissimus, *Bernardinus Aceti* Jurisconsultus. *Januarius Brittella* Alexandri VIII. Sum. Pont. Familiaris, tum Metropolitanæ Ecclesiæ Consentinæ Parochus.

Nostris vero temporibus *Joseph Aceti* Philosophus, & Medicus præstantissimus, acris ingenii vir, scripsit quædam de *S. Alexio* Italico carmine concinnata. Obiit Filleni, sepultusque est, in Ecclesia Minoritarum strictioris observantiæ paulo post constitutum sibi sepulcrum, ut ex inscriptione quæ ibi extat:

*D. O. M.*
*D. IOSEPH ÆMILII PRIMOGENITUS*
*EX ANTIQUISSIMA, ET REGIO*
*IMPERIALIQUE TESTIMONIIS*
*NOBILISSIMA ACETORUM FAMILIA ET TIBERIA GRANDINETTI*
*UXOR DIVO PASCHALI*
*BAYLON*
*ADMIRABILI LIBERTATIS ET SOSPITATIS VINDICI IN GRATI*
*ANIMI MONUMENTUM SACELLUM EREXERE, SUPPOSUERUNT ET TUMULUM, UT*
*QUEM VIVENTES HABUERE PATRONUM ET FILIIS CONSTITUUNT AC SUCCESSORIBUS,*
*AB EO SIMILITER POSSENT*
*EXPECTARE COMINUS CONSEPULTI SUFFRAGIA.*
*A. A PARTU VIRGINIS*
*M.D.CCVIII.*

*Bernardinus Aceti* Minorita strictioris Observantiæ morum integritate & pietate conspicuus, *Clara* itidem ejus soror instituti Capuccinorum Sanctimonialis, vitę austeritate atque integritate mirabilis. *Iulius Vetere* Presbyter eruditione clarus, qui Siberenæ docuit plausu incredibili. *Franciscus Jordanus* Parochus & Concionator. *Simon Croccus* medicus peritissimus. *Thomas Soda* alter Minorita a Cellariis, verbi Dei præco eximius. *Ioannes Paulus Marrazzius* a Planis in Civitate Neapolis Jurisconsultus celebris. *Petrus Antonius* & *Franciscus le Piane* a Planis Jurisconsulti eximii. *Salvator* a Francolisiis Instituti Capuccinorum laicus, vitæ integer. *Genialis Laureati* bonis literis instructus. *Thomas Ubriacus* eruditione clarus. *Angelus Alessius* Minorita strictioris Observantiæ, sanctæ vitæ vir, ex S. Francisci Paulitani Familia Alessia oriundus, ut con-

ſtans traditio eſt. Extat ſiquidem gentilis ara S. Franciſco Paulitano ſacra intus eccleſiam Parochialem Filleni. *Philippus de Manza* Parochus meritiſſimus, aliique.

Vivit modo *Franciſcus Græcus* Juriſconſultus celebris in civitate Conſentiæ: multi ſiquidem Filleno ad alienas regiones tranſierunt, quos inter *Ianuarius Salvator Græci* Clementi XII. acceptiſſimus *Filleni* natus, atque adoleſcens anno 1709. *Tuſculum* a conſanguineo *Thoma* accitus, hereſque ex aſſe relictus, ibidem laudabiliter degit, natoſque bonis artibus inſtruendos curat; nam & *Thomas* ejus filius natu major bonis literis imbutus adhuc ex ephebis Canonicus Tuſculanus renuntiatus eſt. Vivunt quoque *Carolus Oranges* a Planis Carthuſianus acris ingenii vir. *Xaverius Vetere* Presbyter doctiſſimus Canonicus Seberinates. *Franciſcus de Iſula* Minorita ſtrictioris Obſervantiæ Provincialis emeritus, Theologus, ac verbi Dei præco inſignis. *Bernardinus Lopes* Presbyter Canonicus Seberinates meritiſſimus. *Michael Angelus Perronus* bonis literis eruditus. *Lælius le Piane*, a Planis Sabbatii Baro, Petro Paulo Pariſio Cardinali affinis, aliique quamplurimi. In editiori Oppidi parte, ubi dicitur *li Vigliatori*, e regione domus noſtræ ſupra fontem Ulmus eſt ingens ac jucunda, in qua cardueles nidificant.

18. *Magonum*. Potius *Mangonum*, vulgo *Mangone*. Mangonizatus quippe idem eſt ac ornatus. Plin. lib. 23. cap. 1. *Equos mangonizatos venire videmus*. Mangonium etiam artificium ſignificat: incolæ quidem induſtrii ac ſolertes ſunt. Fuit ex hoc loco *Stephanus* ex reformata Franciſcana familia laicus ſanctæ vitæ vir, miraculis clarus. Obiit Conſentiæ X. Kal. Februar. 1680. MS. Mart. *Marcellus Berardus* Juriſconſultus celebris ad noſtram memoriam uſque. Vide Synopſim Chronologicam.

Eſt & *Stephanum*, vulgo S. *Stefano*, ſatis habitatoribus plenum, patria *Franciſci Antonii de Simone* Preſbyteri, eruditione clariſſimi, mihique familiariter juncti.

19. *Rublanum*. Vulgo *Rogliano*, oppidum nobile, civitati par, ex variis oppidulis in unum congregatis, ut nonnulli autumant. Puto ſic dictum a rubedine terræ. Pulcherrima ibidem ædificia, terra fertilis, aer ſalubris, gens culta. Fuerunt ex hoc loco viri celeberrimi. *Bernardus Militia* Presbyter Congregationis Coloretanæ fundator, Sanctitate & miraculis clarus. Obiit pridie idus Januarii 1602. octogenario major: ut ex Io: Leonardo Tufarelli, qui eum novit. *Gaſpar a Foſſo* ex Minimorum familia eximiæ virtutis vir, Archiepiſcopus Rheginus, interfuit Concilio Tridentino, ubi diſſertiſſimam habuit ad Patres concionem, Divo Carolo Borromæo acceptiſſimus, a quo crebras accepit epiſtolas, quarum una Rhegii aſſervatur. Fuit non doctrina tantum, ſed & morum integritate conſpicuus. Obiit nonageſimo ſexto ætatis ſuæ anno 1592. Hæc de eo Flaminius Pariſius De reſignat. Beneficior. lib. IV. quæſt. 3. num. 64. ait: *Fr. Gaſpar de Foſſo Conſentinus Ord. S. Franciſci de Paula Archiepiſcopus Rheginenſis 93. annum agit, & prudenter omnia quæ incumbunt officio paſtorali exercet, ac ſemper fuit reputatus doctiſſimus, & prudentiſſimus, & eſt memoriæ profundiſſimæ, ut ex pluribus mihi compertum eſt*. Vide Ughel. *Antonius*

*tonius Boccherius*, Jurisconsultus Romæ in Archigymnasio Sapientiæ Cathedraticus per annos fere triginta. Obiit circa annum 1652. septuagenarius. Ms. Mart.

*Antonius Ricciullus* Archiepiscopus Consentinus scripsit *de Jure personarum*, aliasque elucubrationes apud Ughell. & Topp. *Antonius* itidem *Antonii* nepos Episcopus Umbriaticensis ann. 1660: ex MS. Mart. *Dominicus Toscanus* ex Dominicana Familia doctissimus. Topp. *Hieronymus Ricciullus* Iurisconsultus, Archigymnasii Romani celebris Cathedraticus, mox Episcopus Belicastrensis ann. 1616. Top. in bibl. & Ughell.

*Ignatius Adamus*, Presbyter eruditione conspicuus, librum edidit: *I secoli delle Principesse*, Amstelodami 1692. in 4. ex MS. Mart. *Thomas Clausus* Iurisconsultus, in Archigymnasio Romano Lector, eruditione clarus. Obiit anno 1670. quadragesimo ætatis suæ: ex MS. Mart. *Dominicus Accettura* Carthusianus Prior Monasterii S. Stephani ann. 1660.

Ad nostram memoriam usque, *Didacus Belsitus*, Presbyter, doctrina & morum integritate conspicuus, *Vincentius Clausus* Canonicus Consentinus, bonis literis instructus, *Ioseph Gabriellus*, Presbyter, Romæ literis & prudentia clarus, Clementi XI. Summo Pontifici acceptissimus, *Bruno Clausus* Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai in Carcere Tulliano dicti Canonicus emeritus, *Iacobus Salvinus*, Presbyter, Filleni Parochus, sanctæ vitæ vir: aliique non pauci apud nostrates, & exteros.

Fit emporium nobile in festis Visitationis, & Nativitatis B. Mariæ Virginis, cujus antiquissima icon pio fidelium concursu religiosissime colitur. Extant & pagi ad Rublanum pertinentes, nempe *Cuti*, & *Martii* superi, inferique, ubi vinum optimum fit.

20. *Carpacianum*. Quod *fructuarium* denotat, a Græco καρπὸς *fructus*. Nunc vulgo *Carpanzano*. Patria fuit *Angeli Christiani* M.C.V. Judicis anno 1662. Top. de orig. tribun. *Bernardini de Aragonia* Episcopi Bovensis ann. 1657. Ughell. qui tamen corrigendus est; non enim ad *Pattos* pertinet, sed ad *Carpacianum*; frater quippe fuit *Hyacinthi* Regii Auditoris, & antea Canonicus Consentinus, ut ex actis Capitularibus Kal. Decembr. 1646.

*Syllanum*. Vulgo *Scigliano* Civitas ex pluribus Oppidis, quæ sunt, *Dianum*, *Calvisii*, *Lupia*, *Petrisium*, *Pedivilianum*, *Serra*, & *Cupanum*. Appellatum est & *Hurni*, *Scilianum*, & *Xilianum*: a Brettiis, ut puto, conditum, *Regum* privilegiis auctum, & libertate donatum. Sunt & in hoc agro alii vici, nempe *Blancum*, *Godinum*, *Flumen Coratii*, *Ischa*, *Stocchium*, *Castaneæ Panetterium*, *Garrobolum*, *Iuncium*, *Mandellii*, & *Villanova*. Extat & Oppidulum *Pittarellum*. Pertinet ad Diœcesim Martyranen.

Fuerunt ex hoc loco viri in omnibus clarissimi. *Hieronymus* ex Augustiniana Familia *B. Francisci* a Sapano socius, sanctæ vitæ vir. Obiit Suberati fere centenarius circa annum 1585. Herrer. in Alph. Aug. *Ignatius ab Angelo Custode* Scholarum Piarum instituti, in sæculo *Cælius Brunus*, doctrina & morum integritate clarus. Ms. Mart. *Cornelius Ajellus* Minorita, scripsit *Paraphrasim super Symbolum S. Athanasii*: Vvading. & Topp. qui Calabrum faciunt, sed Gualterius *Syllanensem* scribit.

*Ioannes Baptista Falvus* Episcopus Marsicanus ann. 1671. ex Ms. Mart. *Dominicus de Rubeis* Episcopus Strongyli anno 1433. Ughell. *Iacobus Brunus* ex Dominicana Familia Philosophus & Theologus celebris, quem novi, plura edidit Neapoli & Messanæ ingenii sui monumenta. Obiit Filleni magna sanctitatis fama. Topp. Vide num. 17. *Iacobus Græcus* Cisterciensis, edidit *Historiam B. Ioachimi*, Consentiæ 1612. in 4. Topp. *Hieronymus de Pyris* Philosophus & Medicus disertissimus in Neapolitana Universitate Cathedraticus, edidit librum: *De improbo usu Vesicatoriorum* Neap. apud Nuccium 1636. in 4. Topp. in bibl. *Laurentius Gauderinus* bonarum literarum Bononiæ publicus professor, edidit ibidem *decem libros Latinarum epistolarum* 1625. in 4. Spera lib. 4. Topp. in bibl. *Laurentius Mirabellus* Presbyter eruditione conspicuus, edidit *Commentarios super quibusdam locis Sacræ Scripturæ*, Romæ 1652. in 4. Topp. *Robertus Mirabellus* Soc. Jesu doctissimus, quædam edidit sub ejusdem Laurentii nomine. Vide Topp.

*Sangonettus Franchinus* Caroli V. Imperatoris Coronellus, & Commensalis, *Ferdinandus Stocchius*, & *Marius Mirabellus* in bello clarissimi, *Pompejus Mazza* Tribunus militum, *Pelius* ejusdem cognominis, Dux equitum, *Annibal Brunus*, & *Petrus Franciscus Gualterius* viri clarissimi, *Franciscus Franchinus* Massæ Antistes eruditione conspicuus, *Gabriel Mascarus* Benedictinæ Familiæ doctissimus. Vide Eliam de Amato. Vivit modo *Antonius Mascarus* in Jurisprudentia celebris.

22. *Altilia*. Oppidum vetustum, nunc una ex Consentiæ Præturis, edito loco situm, a quo & nomen sumsit, prope *Sabbatium* flumen. Extat & Arx antiqua: ad radices montis quædam apparent rudera alterius oppidi, quod *Altiliam* vetus appellant incolæ: & juxta flumen Civitatem extitisse *Albalongam*, aliis *Astalongam* appellatam constans apud ipsos traditio est. Arva frugifera: fiunt & legumina selectissima.

Fuerunt ex hoc loco *Angelus Serra*, Instituti S. Francisci de Paula Tertiarius, sanctæ vitæ vir, *Perna* mulier itidem Tertiaria, quibus S. Franciscus post mortem gloriosus apparuit. *Ioanna Caserta* itidem Tertiaria, sanctæ vitæ mulier, quæ cælesti apparitione dignata est, diemque mortis suæ prædixit, ut ex processu Canonizationis S. Francisci apud. Lanov. in chron. ad ann. 1501. *Gabriel Altilius*, Pontano familiarissimus, Poeta celebris Episcopus Policastrensis ann. 1471. ut ex Ms. Gualt. licet alii *Lucanum* scribant. *Thomas* ex Minimorum Familia laicus morum integritate conspicuus. Obiit Paulæ, ut prædixit, III. Idus Aprilis 1621. ex Ms. Francisci de Longobardis.

Extat & *Majonum* pagus ad Altiliam pertinens, ambo in Diœcesi Consentina.

23. *Crepisitum*. Nunc vulgo *Belsito*, quod cum *Maleto* vico conjungitur. Est in Diœcesi Consentina.

Prope *Maletum*, aliud extat oppidum *Grimaldum* nuncupatum, quod ex aliis sex vicis, qui interierunt, extructum est. Erant autem vulgo *S. Anastasia*, *S. Catarina*, *Trinità*, *S. Pietro*, *S. Stefano*, *Ara degli Schiavi*: ex MS. Mart. In Diœcesi Consentina.

24. *Paternum* Oppidum nobile ex quatuor vicis parumper disjunctis; sunt

ſunt autem *Merenda*, *Capora*, *Calendini*, & *Caſale* ſeu *Quarterium inferum*. Variis Regum & Imperatorum privilegiis auctum eſt. Extat ibi Cœnobium alterum a *S. Franciſco de Paula* extructum anno 1444. ubi & ejus cellula etiamnum inviſitur. In hoc loco quamplurima ſigna fecit, ut ex ejus vita apud Iſidorum Toſcanum. Vide Lanov.

Ex hoc loco fuit *B. Paulus Rendacius* S. Franciſci ſocius, ſanctitate & miraculis ante & poſt mortem clarus. Obiit ibidem Kal. Aprilis 1521. ex MS. Franciſci de Longobard. *Antonius Grandinettus* a S. Ianuario nuncupatus ex Auguſtiniana diſcalceata familia Clericus, morum integritate & patientia clarus. Obiit Neapoli V. Idus Iulii 1625. Herrera in Alph. *Bartholomæus* ex Minimorum familia ſacerdos, & *Antonius* laicus ſanctæ vitæ viri. Lanov. *Dominicus* ejuſdem inſtituti trium Cœnobiorum fundator, Papiæ anno 1572. Peruſiæ 1576. & Viterbii 1577. magnus pietatis & charitatis amator. Lanov.

*Humilis*, & *Franciſcus* inſtituti Capuccinorum ſanctitate & miraculis clari: ex Chron. *Hieronyma* B. Pauli neptis, S. Franciſci Tertiaria, virgo vitæ integerrima. Magiol. *Sertorius Caputus* Soc. Ieſu doctrina & Sanctitate conſpicuus. Obiit Aquilæ 3. Idus Septembr. 1608. magna Sanctitatis fama. Ms. Gualt. & P. Barone in ejus vita. *Bartholus Puglianus* Caroli V. Imp. Familiaris: ex Ms. Miſaſii. *Berardus Miſaſius* Regi Aragoniæ, quem a Gallorum aggreſſione *Soreti* incolumem reddidit, apprime charus: ex eod. *Blaſius* & *Flaminius Merenda* in bello clariſſimi: ibid. *Franciſcus Miſaſius* Epiſcopus Geruntinus: ex eod. ſed Ughellius nihil de hoc. *Ioannes Petrus Puglianus* Regis Bohemiæ equorum Magiſter: ex eod. *Manilius Caputus* Regius Quæſtor: ex eod. *Petrus Aloyſius de Franco* Dux militum: ex eod. *Rogerius Curtus* in militia clarus, Gallorum Regi acceptiſſimus, muneribuſque auctus: ex eod. *Scipio Caputus*, in bello Belgico Architectus & machinator celebris, ex eod. & Ms. Mart.

*Sextilius Mazzuca* in utraque lingua doctiſſimus, Epiſcopus Alexanenſis ann. 1592. mox ann. 1594. noſtræ Vaticanæ Baſilicæ S. Petri Canonicus. Hæc de illo habentur in noſtro Archivio Vaticano Regeſt. Canonic. pag. 57. a tergo: *Totum ſtudiis ſacrarum literarum, & Chori ſervitio, pauperibus facultates ſuas tribuendo, ſe penitus tradidit*. Extat Romæ inſcriptio in Eccleſia S. Laurentii Scholarum Piarum ad Burgum vetus dicti, quam ipſe proprio ære ampliavit. Obiit ann. 1625. Ughell. & Topp. *Sigiſmundus Miſaſius* in bello conſpicuus. Ms. Miſas. *Thomas Florius*, Dux militum: ex eod.

Noſtris vero temporibus *Thomas Grandinettus* doctiſſimus, *Franciſcus Antonius Spada* Presbyter acris ingenii vir, multa edidit præclariſſima monumenta, Antelucanæ Vigiliæ Viennæ in Auſtria, aliaque. In eadem Diœceſi.

25. *Depinianum*. Novem vici, qui ſunt *Caſalium*, *Vitioſi*, *Porchiachæ*, *Capocaſalium*, *Moſcanium*, *Brunetta*, *S. Maria*, *Petronum*, & *Serretani*. Alius Vicus *Motta* corruit ad annum terræmotus 1638. Ex hoc loco fuerunt *Ioannes* & *Auguſtinus* inſtituti Capuccinorum ſanctæ vitæ viri: ex Chronic. Et ad noſtram memoriam uſque, *Bonaventura* ex reformata Fran-

Franciſcana Familia ſanctitate clarus, *Ioſeph Caruſius* amicus noſter, Presbyter doctrina & morum integritate conſpicuus. Obiit Romæ magno populi concurſu, ac ſanctitatis fama. In ead. Diœc.

26. *Theſſanum*. Fortaſſe a verbo Græco Τέσσαρα *quatuor*. Sunt enim quatuor vici, nempe *Theſſanum*, *Laurinianum*, *Serra*, & *Pulſanum*, Patria fuit *Vincentii* inſtituti Capuccinorum vitæ integerrimi. Obiit Depiniani cæleſti viſione recreatus: ex Ms. Gualt. & Mart. In eadem Diœceſi.

27. *Donitium*. Superum, inferumque, vulgo, *Li Donnici ſovrani, e ſottani*. Fit vinum optimum. Ex hoc loco fuit *Scipio Ricciutus* Medicus celeberrimus ad noſtram memoriam uſque. In eadem Diœceſi.

## SERT. QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Caſtionum*. Liber Annalium *Caſtalionum* & *Caſtilionum* qui nunc *Caſtiglione*. Cur hic *Caſtionum*?

(*b*) *Arens fluvius*. *Arinthum* flumen appellat ſcriptor Annalium.

(*c*) *Plutarchi opuſculum* &c. Latinitate donavit *Cæſarius* Filius, non autem Pater, ut Barrius ſcribit, qui etiam Carminum librum compoſuit, quod Barrius adſcribit patri. *Joannes Antonius* Pater, Filius *Joannes Paulus*.

(*d*) *Sapanum*. Nunc *Zumpano*. *Sympanum* appellat Martyranus. De omnibus Pagis Conſentinis & eorum nominibus vide quæ Martyranus annotavit.

(*e*) *Monaſterii Coratii Abbas eligitur*. Non Coratiriæ Eccleſiæ præfectus eſt *Joachimus*, ſed Templo Divo Joanni Florio dicato.

(*f*) *Lucas ejus ſcriba, qui poſtea Epiſcopus Conſentinus fuit*. Dic, Archiepiſcopus; Nam Conſentinus Antiſtes Epiſcoporum caput ſemper habitus eſt.

(*g*) *Cardonus fluvius*. *Carydonem* appellant antiquiores.

# CAPUT IX.

## *De Menecina, Bellimonto, Amanthea, aliiſque Oppidis & Vicis Mamertum uſque.*

Supra Conſentiam (1) (*a*) *Menecina* oppidum eſt Oenotriorum urbs mediterranea, ut ait Hecateus apud Stephanum, civis Menecinus. Ager hic frugifer eſt, fit ſiligo, & lens laudatiſſima, & caſtaneæ optimæ, quas inſitas vocant, & optimi ſerici copia, naſcitur & ſilex. Non longe a Menecina (2) (*b*) *Caroleum* oppidum eſt, *Ixias* olim dictum, urbs quoque Oenotriorum mediterranea contra Menecinam, ut ait idem Hecateus, eodem Stephano referente, & prope *Baſentum* flumen labitur. Hic etiam ſiligo fit, & caſtaneæ inſitæ, & ſericum, naſcitur & ſilex, inter reliqua hortenſia Carolei laudantur cinaræ, quarum ingens numerus fit. Ex hoc oppido fuit *Baſilius* Latina lingua eruditus. Juxta Caroleum (3) *Domanicum* Caſtellum eſt cum ſiligine & caſtaneis, quales fiunt Carolei agro. (*d*) Ad mare (4) *Fligidium* oppidum eſt

eſt freto imminens, quod ejuſdem nominis fluvius adlabitur, diſtat a Niceto m. p. vi. hic optimi ſerici numerus immodicus fit, naſcitur & vinum non vulgare, ſunt in hoc agro ſilvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ. Ex hoc oppido fuere *Franciſcus Majoranus* & *Antonius Bonius* integerrimæ vitæ viri, beati Franciſci Paulitani ſocii. Sunt in hoc agro vici (5) *Falcunaria*, & (6) *Longoburgum*, ex quo fuit *Archangelus* itidem ſanctæ vitæ vir & beati Franciſci Paulitani ſocius. Poſt Fligidium (7) (*e*) *Bellimontum* oppidum eſt, in tumulo ſitum, a loci amœnitate dictum, milliario a mari repoſitum, abeſt a Fligidio m. p. vi. Hic marmor naſcitur. Sunt & horti nemoroſi citrorum, limonum, & malorum aureorum. Fiunt & omnis generis fructus, & hi præcoces. Dein *Verres* fluvius cadit in mare, eſt & eodem nomine promontorium *Linum* quondam dictum, quod Lycophron, ut mox oſtendemus appellat jugoſum: & contra ſcopuli adjacent duo. Exin (8) *Amanthea* civitas occurrit, mari abluitur. Amanthea enim nympha eſt quaſi per arenam currens, egregie loci natura, inde vero poſtea manu munita, quam *Catocaſtrus* fluvius adlabitur, civis Amantheanus Diſtat a Verre promontorio milliario, a Bellimonto ii. Hanc (*f*) *Nepetiam* eſſe arbitror, a qua Antiochus apud Strabonem ſinum hunc *Nepetinum* dixit. In æde divo Bernardino dicata beati *Antonii Scocetti* Minorum ordinis cœnobitæ corpus jacet, qui beati Franciſci Paulitani ævo floruit, & beati *Ioſue* Epiſcopi corpus quieſcit. Sedes hæc Epiſcopalis Tropeanæ Eccleſiæ juncta eſt. Hic optimi olei copia fit, naſcitur capparis. Eſt in agro hoc (9) *Petrejum* vicus. Nec longe (10) *Lacum* puſillum caſtellum eſt. Poſt urbem *Oliva* & *Turbidum* fluenta labuntur: & *Corica* promontorium prominet, *Tyleſium* olim dictum, abeſt ab Amanthea milliario. Eſt & intus (*g*) *Tyleſium* oppidum, (11) *Agellum* nunc dictum, edito loco ſitum, & ejuſdem nominis fluvius, diſtat a freto m. p. iiii., a Corica promontorio iii. Tyleſii & Lini meminit Lycophron in Caſſandra. Ubi ſic ait:

*Alii autem colles inacceſſos Tylleſios,*
*Liniquæ maritimi verticem ſupremum*
*Amazonis conſortem munient civitatem;*
*Servæ mulieris jugum recipientes,*
*Quam ferrea mitram ſtrenuæ puellæ habentes*
*Errantem ducet unda ad peregrinam terram.*

Super quibus verbis Iſacius ait: „ Tylleſium mons, & urbs, & ſilva in „ Italia, & (12) Linum promontorium Italiæ „. Meminit & Stephanus. Arx eſt hic ſuper ſaxum natura munitiſſima, celebrantur nundinæ quotannis. Hic jacet corpus beati *Martini* Beſidianenſis Minoritæ. In hoc agro marmor effoditur, & gypſum coquitur e lapide. In ſilvis apri & alia id genus animalia ſtabulantur. Sunt & in hoc agro (13) *Serratum* & *Serra*, vici. Inde eſt (14) *Petramala* caſtellum, *Cleta* olim dicta, a Cleta Pentheſileæ reginæ nutrice condita, validis turribus undequave munita, a Crotoniatis everſa, ut Lycophron in Caſſandra ſcribit, ubi ſic ait:

*Crotoniatæ vero civitatem devaſtabunt aliquando;*

*Ama-*

*Amazonis perdentes intrepidam puellam*
*Cletam reginam cognominis patriæ .*
*Multique prius terram ab illa dentibus*
*Mordebunt præcipitatæ , neque sine laboribus*
*Turres devastabunt Lauretæ filii .*

›Super quibus verbis Isacius ait : „ Cleta Amazonis Penthesileæ nu-
„ trix fuit , quæ cum intellexisset Trojæ mortuam esse Penthesileam
„ navigavit ut illam quæreret, pulsaque ventis in Italiam pervenit :
„ ubi cum civitatem condidisset , in illis locis regnavit . Porro multo
„ tempore elapso exercitum ducentes Crotoniatæ interfecerunt ulti-
„ mam reginam Cletam . Omnes enim Cletæ urbis Reginæ Cletæ
„ dictæ sunt . Laura autem civitas est Crotonis a Laura Lacinii filia
„ dicta , a quo Lacinium promontorium in Italia nomen accepit „ .
In Petræmalæ agro sal fossile nascitur . Non procul a Petramala (15) *Sabbatium* oppidulum est , & eodem nomine flumen navigabile & pisculentum cadit in mare *Ocynarus* olim dictus , de quo mox .

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Menecina* . Nunc vulgo *Mendicino* . Hanc plerique autumant *Pandosiam* fuisse, quodque adlabitur flumen , *Acheronta* , ubi Alexander Molossorum Rex trucidatus fuit , quod incolæ voce paululum immutata *Arconte* vocant . Vide Cap. V. num. 12. Ex hoc loco fuit *Sebastianus de Gaudio* Presbyter , bonis literis eruditus , edidit Tragœdiam cui titulus *Le Tenebre*, Consentiæ 1593. in 8. Top. & *Teresia Madragano* Carmelita vitæ austeritate insignis. In Diœcesi Consentina.

2. *Caroleum* . Ex hoc loco itidem fuit *Didacus Ragusa* multis Proregibus acceptissimus , Regni Archiater doctissimus . Obiit circa annum 1672. ex Dominico Martyre qui eum novit . *Alexander* instituti Capuccinorum vitæ integritate clarus : ex Chron. ad ann. 1627. Vivit modo *Joannes Baptista Brunettus* , in Romana Curia Advocatus celebris . In Diœcesi Consentina .

3. Domanicum . A verbo Græco Δόμα *donum* , ut puto.

4. *Fligidium*. Vulgo *Fiume freddo*. Aliquando ad Tertullum Sancti Placidi Martyris patrem pertinebat, qui postmodum Monasterio Sublacensi , ut ex monumentis quæ ibidem extant , dono dedit . Martyrio autem coronatus est S. Placidus anno Christi 536. ut ex Chron. Ex hoc loco itidem fuere *Antonius* ex Franciscana reformata Familia sanctitate conspicuus . Obiit Romæ XV. Kal. Maji 1679. MS. Mart. *Franciscus Bruscus* Conventualis in Archigymnasio Romano Lector , mox Episcopus Literanensis ann. 1599. ex eod. *Joannes Aletus* , Ordinis Minimorum Generalis emeritus anno 1565. Lanov. Nostris autem temporibus *Julius Saccus* Episcopus Monopolitanus, *Isidorus Pitellia* ex Minimorum familia eruditione clarus , tametsi hic ad Amantheam spectare videatur: edidit quasdam *Orationes Panegyricas*, aliique non pauci . Est in Diœcesi Tropeana .

5. *Falcunaria* . Incolæ Græci , vulgo *Albanenses* appellati.

6. *Lon-*

6. *Longoburgum*. Nunc vulgo *Longobardi*. Oppidum ſatis habitatoribus plenum, ex variis vicis ad radices Cacutii montis juxta mare ſitum. Hinc fuerunt *Franciſcus Preſte* Ordinis Minimorum Generalis emeritus doctrina & vitæ ſanctitate vel apud Turcas, in quos incidit, conſpicuus, multa edidit. Lanov. in Chron. *Franciſcus* itidem nepos ex eadem Minimorum familia, eruditione clariſſimus Ms. Mart. *Ruffinus* Minorita laicus ſanctæ vitæ vir. Obiit Conſentiæ anno 1672. Ms. Mart. Noſtris autem temporibus *Nicolaus* laicus ex Minimorum familia ſanctitate & miraculis inſignis, *Petrus* itidem ejusdem familię Sacerdos vir probus & doctus, *Franciſcus* alter ejuſdem inſtituti eruditione clarus. In Diœceſi Tropeana.

7. *Bellimontum*. Patria *Antonii Baroni* Juriſconſulti, Philoſophi, & Theologi clariſſimi, *Philippi Bruno* eruditione conſpicui. Vide *Amat*.

*Amanthea*. Civitas variis privilegiis a Regibus aucta. Ex hoc loco fuerunt viri celeberrimi. *Gregorius*, cui ſucceſſit *Joſue*, Epiſcopus & civis ſanctæ vitæ vir. Ms. Mart. *Vincentius Laureus* Cardinalis fortaſſe oriundus, quare corrigendus eſt Toppius. Vide Adnotationes ad Cap. XIII. hujus libri. *Antonius Laureus* Epiſcopus Stabinenſis vulgo *Caſtell' a mare* ann. 1562. Ughell. *Aloyſius de Amato* Epiſcopus S. Marci. Ughell. *Antonius Laureus* ſub Alphonſo Rege Aprutii Prorex. Petr. Vincent. *Berardus* ejus frater Regis Ferdinandi Magiſter equitum ſupremus: ex eod. *Bernardus Laureus* ejusdem Regis Mareſchallus. MS. Gualt. *Bonaventura Caballus* ex Franciſcana reformata familia orator celebris, Commiſſarius Generalis, mox Epiſcopus Caſertanus, multa edidit. Obiit 1689. Top. in bibl.

*Ferdinandus Laureus* S. R. C. Regens emeritus circa annum 1520. MS. Gualt. *Franciſcus* ex Dominicana familia Epiſcopus Tropeanus ad ann. 1344. Fontan. in theatr. *Franciſcus Laureus* M. C. V. Regens. Petr. Vincent. *Fulvius Virdianus* Medicus celebris, & Regni Neapolitani Archiater, Collegii Soc. Jeſu Amantheani fundator: Ms. Gualt. *Galeottus de Amato* Alphonſi, & Ferdinandi Regum Familiaris: ex eod. *Jacobus Caballus* in jurisprudentia nulli ſecundus, ut ex Archivio Regiæ Cameræ ad ann. 1520. Vide Topp. in bibl. *Joannes Laureus* M. C. V. Judex ann. 1522. Topp. de orig. trib. *Joannes Petrus Laureus* Ferdinandi Regentis filius biſcentum militibus ære ſuo comparatis ad Regni defenſionem Carolo V. Imperatori ſummo adjumento fuit: MS. Gualt.

*Nicolaus Baldachinus* Ferdinandi II. Regis Familiaris, ut ex diplomate VIII. Kal. Aprilis 1495. Ms. Gualt. *Chiattus Mirabellus*, Dux militum, Regi Ferdinando acceptiſſimus muneribuſque auctus ann. 1495. Joſeph. Amat. in Lacon. *Ferdinandus de Amato* R. C. Præſes ann. 1498. ex eod. *Nicolaus de Alano* Regius Familiaris ann. 1465. Ms. Gualt. *Nicolaus de Amato* R. C. Præſes, mox M. C. V. Regens ann. 1503. Topp. de orig. tr. & Ms. Gualt. *Horatius Jannutius* eruditione clarus, edidit opuſculum *de ludo latrunculorum* Taurini 1597. MS. Gualt.

Noſtris vero temporibus *Joſeph de Amato* in juriſprudentia clarus, edidit librum *de Amanthea* & *Laconiſmum* Meſſanæ 1701. *Philippus de*

*Amato* eruditione conſpicuus, Epiſcopus Umbriaticenſis ann. 1732. longiori ævo dignus. *Franciſcus Laureus* eruditione clarus aliique non pauci.

9. *Petrejum*. Vulgo S. *Pietro*.

10. *Lacum*. Caſtrum oppido par, in convalle ſitum, patria *Jordani Poliſichii* ex Dominicana familia doctiſſimi, acriſque ingenii viri, qui ſub nomine *Genialis Poſterari* librum edidit *De Tortoribus Chriſti* eleganti ſtilo, Neap. 1731. *Multa* ſcripſit, utinam quantocius edenda. In Diœceſi Conſentina.

Extat & aliud Caſtellum *Laculum* dictum, vulgo *Laghicello*, in Diœceſi Tropeana.

11. *Agellum*. Olim Civitas Epiſcopalis, cujus initium ignoratur; vetuſtiſſima tamen creditur, & a Græcis vel extructa, vel aucta. In quibuſdam monumentis quæ ibidem aſſervantur *Athleja* appellatur fortaſſe a voce Græca ἄθλος *certamen*. Nunc vulgo *Ajello*. Ex hoc loco fuit *Franciſcus* ex Franciſcana familia ſtrictioris obſervantiæ Sacerdos, ſanctitate conſpicuus, qui in ſacris *Miſſionibus* in Inſula Cypri occubuit magna ſanctitatis fama: multa prædixit, quæ evenerunt: ex chron. Ms. *Franciſcus a Valle* Philoſophus, Poeta, omnigenaque eruditione conſpicuus, multa ſcripſit ingenii ſui monumenta: Ms. Gualt. Noſtris vero temporibus, *Marius Malta* in utraque lingua doctiſſimus, *Æmilius Iannutius* Presbyter eruditione conſpicuus In Diœc. Trop.

12. *Linum*. Eſt & *Linus* fons in Arcadia abortus fieri non patiens, ut ait Plinius hiſt. nat. lib. 31. cap. 2.

13. *Serratum*. Nunc vulgo *Terrato* aliis *Li Terrati*. In Diœceſi Tropeana.

14. *Petramala*. Ex hoc loco fuerunt *T. Antonius Merenda* ann. U.C. 305. *Q. Antonius Merenda* ann. U. C. 332. *Ser. Cornelius Merenda* ann. V. C. 480. *Romani* Conſules. Nola in Chron. Crot. & Petr. Vincent. in Theatr. Vide Petav.

*Marcus Maſſa* Preſbyter a Maumethanis, ſacram pyxidem cum auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento in Caſtri devaſtatione auferri non ſuſtinens, in odium fidei interfectus, circa ann. 1555. ex Martyrol. MS. Gualt. ſub die 15. April.

*Paulus Merenda*, Jurisconſultus, edidit librum *de Conſiliis* Neap. 1573. MS. Gualt., & Mart. In Diœceſi Tropeana.

15. *Sabatium*. Nunc vulgo *Savuto*, aliis *Savutello*. Oppidum vetuſtiſſimum, tametſi origo ignoretur. Sed vel a nomine, ut conjici licet, Hebraico ad priſcos Auſoniæ populos referendum: & an a *Sabatio* flumine oppido nomen inditum, an ab oppido flumini, incertum. Commeminit Plinus hiſt. nat. lib. VI. cap. XXVII. oppidum *Sabata* juxta Tygrim fluvium ad orientem Antiochiæ: & lib. 3. cap. IV. *Sabatium Vadum* Oppidum Liguriæ maritimum. Siquidem שבת *Sabat*, Latine *requies* Oppido magis congruit, quam *Sabatio* flumini velociſſimo, quem Græci Ωκυναρὸν *Ocynarum*, ideſt *velociter fluentem* appellavere, cui *Dardanus* miſcetur. Hujus Oppidi dominus nunc eſt Baro *Lælius le Piane*, *Petri Antonii* filius Fillenenſis civis noſter virtute, & ſanguine clarus. In Diœceſi Tropeana. Extat & *Mangum*, olim *Muricellum*, vulgo *S. Mango*, vicus anno 1640. extructus.

SER-

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Mœnecina oppidum*. Sunt qui Mœnecinam, & Pandosiam unam faciunt, sunt qui diversas: Stephanus diversas facit.

(*b*) *Caroleum, Ixias olim dictum*. A Carolo conditore, vel potius ab herba *Carolena*, cujus magnam copiam provenit in his locis, quæ vulgo *Carlina*. Græcis *Ixias* appellatur; Unde & hoc Oppidum *Ixias* ab antiquis cognominatum est. Itaque recte sentiunt Martyranus & Barrius *Caroleum* esse antiquorum *Ixiam*.

(*c*) *Basilius*. Ignatius *Basilius* Natus est in *Beresani* Oppido, non aute *Ixiæ*, quod nunc *Carolei* dicitur, ut Barrius contendit.

(*d*) *Ad mare Fligidium Oppidum est*. Nunc F*iume freddo*. *Fligidum* etiam appellat Auctor Annalium.

(*e*) *Bellimontum*. *Bellimontium* appellant Eruditi.

(*f*) *Hanc Nepetiam esse arbitror*. *Nepetia* non est Amanthea ut Barrius auguratur; sed potius Oppidum quod nunc *Lopizzo* dicitur.

(*g*) *Tylesium oppidum Agellum nunc dictum* Divinare est. Verba Isacii, & Lycophronis parum probant.

(*h*) Petramala, *Cleta olim dicta*. Nihil probant nec Lycophron nec Isacius *Cletam* esse quam nunc *Petrammalam* appellamus.

# CAPUT X.

## *De Mamerto, Nuceria, & Terina, ac de Sabatio flumine.*

INtus est (1) MAMERTUM civitas vetusta, sedes Episcopalis, *Martyranum* nunc dicitur, secundum quam *Ocynarus* fluvius idest *Sabatium* labitur, cujus meminit Antoninus Pius in Itinerario. De qua urbe Strabo, ubi de Locris & Caulonia scribit, sic ait: „ Supra „ has urbes mediterraneam Brettii occupant, ubi est Mamertum op„ pidum nobile, & silva picis ferax optimæ Brettiana dicta „. Fuere Mamertini viri bellicosi, Romanisque amici, ac socii fidelissimi. Qui primi ac soli absque Romano duce aut milite Pyrrho ex Sicilia a Tarentinis adversus Romanos accito occurrerunt, ut Plutarchus in eo scribit. Qui Messana cum classe solvens, Tyrrhenumque pontum legens, transmisit in Italiam, ac Terinæo sinui juxta Lametum flumen appellens, ibi exercitum cum elephantibus exposuit, iterque fecit Tarentum per Neocastrensem & Mamertinum agrum, valle, quæ ab indigenis dicitur *Decollatura*, & per Silam Silvam ad Crathis fluminis ostia, ait itaque Plutarchus ipse: „ Pyrrhus compluribus navi„ bus in Messanensi portu amissis, in Italiam pervenit. Mamerti„ norum haud pauciores decem millibus primo transgressu signis col„ latis dimicare cum non auderent, iniquis locis, impetu contra re„ gem facto, totum exercitum turbavere. Ibi duo elephanti ex iis, „ qui

„ qui posterius claudebant agmen oppressis, ipse rex a fronte discur-
„ rens adversus homines bello assuetos magno cum periculo restitit:
„ vulnere autem in capite accepto cum paulo ex pugna cessisset,
„ etiam magis extulit hostes. Quorum unus præ ceteris ferox, pro-
„ cero corpore, & splendidis armis, superba voce regem, si viveret,
„ in certamen provocabat. At Pyrrhus ob hæc irritatus, iraque in-
„ census, & sanguine fœdatus, trucique aspectu terribilis in pugnam
„ rediit, hominem illum consequutus ita caput percussit, ut vi ictus,
„ & virtute gladii usque ad partes inferiores plaga descenderet, cede-
„ rentque hinc inde divisæ corporis partes. Hoc reliquos continuit,
„ ne amplius persequerentur, quasi supra humanam vim Pyrrhum ad-
„ miratos conterritosque. Ipse vero quod reliquum erat itineris secure
„ profectus Tarentum pervenit. Peditum xx. equitum tribus millibus
„ secum adductis „. (2) Signabant Mamertini in numo Martem nu-
dum stantem, galeatum, altera manu ensem altera hastam habentem,
& juxta ipsum scutum & thoracem, & ex altera facie gallum, qui
Marti est dicatus, eique ob vigilantiam sacrificabatur, item Martis
stella, inscriptione Græca tali, ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Quandoque si-
gnabant Martem tenentem equum & ex postico Apollinem. Inter-
dum signabant Martem galeatum sedentem in saxo innixum clypeo,
& dextra hastam tenentem, & ex postico Apollinem. Interim signa-
bant Jovem, & ex altera facie Martem cum hasta & clypeo pugnan-
tem. Aliquando signabant Jovem imberbem, & ex altera parte aqui-
lam fulgur in pedibus habentem. Quandoque ex postico Jovis signa-
bant taurum. Interdum signabant ex postico Apollinem. In Mamer-
tino agro vinum generosum nascitur, fit mel & sericum optimum,
nascitur & lapis molaris, & lapis Phrygius, & chalcanthum, & ru-
brica fabrilis, & color cyaneus. Sunt & in hoc agro pagi *Confli
tium*, (3) *Mota*, & *Conflentum*. Exinde ad fretum proficiscenti (4)
*Nuceria* oppidum occurrit inter Sabatium & Grandum amnes (*a*)
Terinæ reliquiæ, abest a mari m. p. ii. Circum Sabatium lutræ
sunt. In hoc agro vina & mella bonitate præcipua fiunt, nasci-
tur & lapis Phrygius. Sunt & sylvæ glandiferæ ad porcos alendos
opportunæ, & silvæ silvestres, ubi silvestrium animalium venationes
fiunt. Secus mare (5) *Terinæ* oppidi vestigia visuntur. Terinæ locus
eminet, rupibus quaquaversum circumseptus, ubi jugiter benignæ
spirant auræ, planities est satis magnæ urbis capax, ubi aer viget amœ-
nissimus & saluberrimus, abest ab Amanthea m. p. xii. Fuit enim Te-
rina dicta a loci amœnitate, quod aer hic mollis sit & blandus, ubi
incolæ, ut creditur, longam agebant ætatem, & vegeta ac felicia vi-
gebant ingenia. Eruta fuit ab Agarenis beati Nili tempestate, quo
tempore universa Calabria, Lucania, & Apulia magnas calamitates
perpessæ sunt. Abest ab Amanthea m. p. viii. Collem hunc Sabatium
flumen olim Ocynarus dictus adlabitur, cujus radices mare abluebat,
sed nuper paululum recessit, & (6) Terinæum scopulum, cujus memi-
nit Plinius, Navem vocant nautæ, reliquit in sicco. Meminit Teri-
næ Pomponius Mela, itemque Plinius. Fuit Terina, ut Solinus, &
Plinius, & Phlegon apud Stephanum scribunt, a Crotoniensibus con-
dita,

dita, quo tempore, ut quantum auguror, Cletam urbem sustulerunt. De hac urbe Strabo libro sexto ait. „Temesæ proxima est Terina, quam „ Annibal cum tutari non posse desperaret, solo æquavit, qua tempesta. „ te in ipsam confugerat terram Brettiam „. Solo inquit, mœnia utique diripuit, non urbem. A Terina Plinius (7) Terinæum sinum nominat, eumque ingentem esse ait. Siquidem a Lampete promontorio ad Vaticanum usque promontorium protenditur, cujus ambitus uno supra centum m. p. est. Meminit & sinus hujus Thucidides. Quem interim Vibonieňsem etiam Plinius appellat a Vibone Urbe, sic & Cicero in epistola ad Atticum. Strabo autem ipsum Hipponiatem vocat ab Hipponio, idest Vibone. Aristoteles vero Lameticum a Lametia urbe. Antiochus autem apud Strabonem Nepetinum vocat a Nepetia urbe. " Ergo quinque nominibus hunc sinum ab urbibus appellatum legimus, *Lameticum*, *Nepetinum*, *Terinæum*, *Hipponiatem*, & *Vibonienſem*, licet quidam historiæ & vetustatis inscii quatuor sinus diversos esse opinentur & *Nepetinum* a *Pitio* novo Castro dictum pueriliter nimis somnient ". Nuper Terinæ plumbei aquædustus cuniculi reperti sunt inscriptione hac L. APIUS MAGISTER VIARUM. Meminit & urbis hujus Lycophron in Alexandra, in qua Ligia una e Sirenis interiit, sepultaque est. Ait enim:

*Ligia vero in Terinam a fluctibus ejicietur*
*Per undam natans, illamque nautæ*
*Hanc quidem Phaleri*
*Littoribus sepelient in oris:*
*Ocynari vorticibus conterminam:*
*Lavabitque sepulcrum bovis*
*Cornua habens aquis Martis.*

Super quibus verbis Isacius ait: „ Ocynarus fluvius est juxta Terinam, „ MARS idest robustus vocatus, & bovis cornua habens propter strepitum. Quod autem fluvios cornutos, & bovum cornua habentes inducunt, fortasse fit propter violentiam & strepitum undarum. Mars enim non est fluvius juxta Terinam, sed Eris, unde illud „ epitheton imposuerunt „. Item Lycophron ipse:

*Alii rursum Terinam, ubi irrigat aquis*
*Ocynarus terram, puram ejiciens aquam,*
*Oberratione inhabitabunt laborantes amara.*

Isacius *Amara oberratione infortunati, ubi circa Terinam Ocynarus fluvius terram irrigat, aquam puram ejiciens* Cicero Tus. primo de Elisio Terinæo sic scribit. „ Terinæum Elisium cum graviter filii mortem mœreret, venisse in Psycomantium quærentem quæ fuisset tantæ calamitatis causa: huic in tabellis tres hujusmodi versiculos datos:

*Ignaris homines in vita mentibus errant:*
*Euthymus patitur fatorum fun ere læto.*
*Sic fuit utilius finiri ipsique tibique.*

Notabant Terinæi in numismate Ligiam Sirenam, & juxta tubam & ly-

lyram, & ex altera facie victoriam alatam in sella sedentem, & manu sertum habentem, quandoque vero tenentem aquilam Græca inscriptione TEPINEΩN. Aliquando effingebant eandem Ligiam diadema in capite habentem, & ex postico victoriam alatam sedentem in sella, altera manu sertum, altera oleæ ramum & quandoque caduceum tenentem. Interim signabant Apollinem & ex altera parte Solem. Mare hoc Euripum usque longe piscosum est: nam & parvorum & magnorum piscium, & præsertim thynnorum & xiphearum captio fit, quibus membratim dissectis cætaria replent, capitur & coralium multis locis.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Mamertum*. Aliis *Mamercum*: nunc vulgo *Martirano*. Civitas vetustissima, sed an a Marte fundata, ut numismata innuunt, an ab alio, incertum. Hic obiit *Henricus* Friderici II. Imperatoris filius, ut ait Riccardus a S. Germano, ubi carceribus mancipatus fuerat a patre.

Fuerunt ex hoc loco, ut conjicitur *P. Pinarius* Mamercinus, anno U. C. 265. *L. Æmilius Mamercus* ann. 270. *Tib. Æmilius* Mamercus ann. 284. M. *Æmilius* Mamercinus ann. 316. M. *Æmilius Lepidus* Mamercus ann. 677. Romani Consules. Vide Petav. Fuit & *Donnus* civis & Episcopus anno Christi 761. MS. Mart. *Julius* Monachus nostræ Vaticanæ Basilicæ S. Petri Canonicus, mox Episcopus Lucerinus ann. 1580. Ughell. *Bernardus Scaleonus*, licet alii Consentiam repetant, Dux militum sub Ladislao ann. 1413. Adimar. to. 3. *Robertus de Archis* Regii Exercitus Dux supremus. Vide Anonym de gest. Frid. Imp. apud Ughellum to. 9. *Euangelista Gattus* Soc. Jesu Sacerdos, doctrina, pœnitentia, & sanctitate admirabilis. Obiit postridie Idus Decembris ann. 1642. Anton. Barone in ejus vita.

2. *Signabant Mamertini*. Præterea signabant Gallum, & ex postico Gallum, hastam, & palmam cum epigraphe MAMEPT. BPET. Interdum Caput juvenis laureati cum epigraphe ΑΡΕΩΣ & ex postico Aquilam duo fulmina pedibus tenentem cum epigraphe MAMEPT. BPET. Vide Golt. de numismat. Magnæ Græciæ.

3. *Mota*. Vulgo *Motta di S. Lucia*: antiquitus *Porchia*. Oppidum vetustum a Brettiis, ut puto, conditum edito loco. In hoc agro frugifero extant duo vici, *Aquinum*, & *Decollatura*. Vide lexicon Dugang. verb. *Mota*. In Diœcesi Martyranensi.

4. *Nuceria*. Ex hoc loco fuerunt *Fabius de Georgio* in jurisprudentia clarus, Montisfusculi & Materæ Præses emeritus MS. Mart. *Franciscus Acerbus* Soc. Jesu eruditione conspicuus, edidit *Polypodium Apollineum* Neap. 1674. in 8. & *Ægro corpori a Musa solatium* 1666. in 8. Topp. *Joannes Andreas de Georgio* Jurisconsultus eximius, R. Consiliarius ann. 1508. Obiit 1625. multa edidit apud Topp. *Julianus Barrada*, Poeta & Jurisconsultus, linguarumque peritissimus: multa scripsit stilo plane aureo. Vide Topp. *Lucius Barrada* Lanista celebris. MS. Mart. In Diœcesi, Tropeana.

5. *Ter-*

5. *Terinæ*. Hic Ligia Sirenarum trium una periit. Ad Sabati ostia invisitur ejus sepulcrum inscriptione Græca ΛΙΓΕΙΑ ΘΑΝΕΙ Ζ.Δ. P. *Ligia*, sive *Ligea*, a cantus suavitate dicta est, cujus meminit Virgilius 4. Georg. *Λιγεῖα* enim *canora* interpretatur a Verbo *Λίγζω* *strideo*. Huc pertinet Q. *Minucius Terinus*, aliique celebres viri apud historicos laudati.

6. *Terinæum Scopulum*. Nunc vulgo *Pietra della Nave*.

7 *Terinæum sinum*. Nunc vulgo appellatur *Golfo di S. Eufemia*.

## SERTORII QUATTRIM. ANIMADVERSIONES.

(a) *Terinæ Reliquiæ*. Tam propinqua sunt Terinæ Urbis vestigia Nuceriæ, ut eadem omnino censenda sit.

# CAPUT XI.

## *De Castiono, Euphemia, Neocastro, Maida, aliisque Oppidis ac Vicis Montileonum usque.*

POst Terinam (1) *Castionum* oppidum offertur edito loco paulum a mari sepositum. Hujus oppidi dominus est nunc *Cæsar Aquinus* ex divi Thomæ Aquinii familia. Distat a Terinæ loco m. p. iiii. Hic vina & mella præclara fiunt, & gypsum coquitur e lapide, sunt etiam verricula thynnaria. Archestratus apud Athenæum libro septimo thynnos, qui in hoc sinu capiuntur, mirifice laudat, ait enim de thynnis loquens: „ Si forte Hipponii Italiæ perveneris oras, optimi erunt illic „ cunctorum „. Thynni biennium excedentes *orcyni* dicuntur, ante vero annum *palamides*. (a) Non longe (2) *Subarum* promontorium est *Brettium* a Sallustio appellatum. Secundum quod (3) *Euphemia* oppidum occurrit haud nimium a mari semotum, a Castiono m. p. vi. distans, (b) *Lametia* olim dictum a *Lameto* fluvio, quod adhuc nomen retinet, *Lametia*, ait Hecateus referente Stephano, *urbs est Oenotriorum a Lameto fluvio dicta*, *fuit Crotoniatarum*. Ab ea Lameticus, & Lametinus civis, a qua Aristoteles, ut dixi, sinum hunc appellavit Lameticum. Meminit & Lametiæ urbis Lycophron in Alexandra, ubi & *Tyrsetum* vadum esse dicit, meminit & Philogenes, referente Isacio in Lycophronem. Hinc ad Scylaticum fretum m. p. sunt viginti, ubi (4) Italia angustior est. Euphemiæ divi Joannis phanum est divi Benedicti monachorum cœnobium, in quo divi Joannis Lacertus & divæ Euphemiæ caput, & pars quota brachii Sancti Stephani protomartyris asservatur. Sunt & nonnullorum aliorum Sanctorum ossea frusta. Haud procul ab oppido *Lametum* flumen navigabile & piscosum labitur. In hoc agro juniperus frequens provenit. Supra est (5) (c) NEOCASTRUM civitas " vetusta " sedes Episcopalis cum (6) emporio nobili edito pensilique loco sita fontibus rivisque affluens, distat a freto m. p. septem " Ab Ausoniis, ut opinor, aut ab Oenotriis condita *Lisania* olim dicta, quæ a Gothis Totila duce diruta

ruta fuit. Quare Divus Gregorius Papa Secundo suarum Epistolarum ad Joannem Episcopum Lisanianum sive Lisaniensem scribens ipsum post civitatis vastitatem, Joanne Episcopo Scylatico mortuo, Scylaticæ Ecclesiæ proposuit, ita tamen, ut si Lisania ab hostibus libera erit, ad eam redeat: id etiam in decretis legitur licet mendose Ioanni Episcopo *Scylatico* pro Lisaniano sive Lisaniensi, & *Lisitanæ* Ecclesiæ pro *Lisanianæ* legatur. Qui error, exortus est quia uterque *Ioannes* vocabatur, quæ Civitas novis, ut creditur colonis susceptis *Neocastrum* dicta est. Mansit Neocastri Calistus Secundus Romanus Pontifex diebus quindecim, & hinc Catazanum petiit. Fiunt Neocastri opera fictilia ". Hujus urbis ager est frumenti & aliarum frugum ferax, & pascuus, sunt perpulcra limonum citrorum & malorum aureorum nemora, abundat omnis generis fructibus, fit & optimi olei ubertas, & vina ac mella præclara. Nascitur rubrica fabrilis, provenit & juniperus. Fiunt multarum alitum pulcra aucupia. Extat & silva glandifera ad porcos alendos opportuna. Est in agro hoc (7) *Blasium* pagus, (*d*) *Turres* olim Antonino Pio Cæsari in Itinerario dictus, cum melle spectato, & balneis nobilibus, aqua sulphurea est, qua multis medetur morbis. Vico (8) *Marcinara*, via, quæ Neocastro Catazanum itur, lapis specularis nascitur. Post Neocastrum *Ipoletum* & *Pesipum* fluvii labuntur, qui Lameto miscentur: Supra est *Lametum* vicus, ubi marmor effoditur: & prope est (9) *Feroletum* castellum cum melle optimo. Ex hoc castello fuit *Matthæus Collacius* eruditus vir, Venetiis Latinas literas publice est professus. Scripsit quædam: Exinde (10) (*e*) *Maida* oppidum nobile est edito eoque amœno loco situm, olim Melanium " ut auguror " dictum ab Oenotriis conditum mediterrraneum, ait Stephanus, civis Melanius, & Melaniensis, orientem Solem spectat, quod *Panopletus*, idest bono omni repletus fluvius perlabitur. Abest a freto m. p. octo, a Neocastro totidem. Hic vina & mella laudata fiunt. Ager hic totus prope in planitie est frumenti & aliarum frugum uber, pabulo, aucupio & venationi commodus. Nascitur gypsum marmorosum. Est & fons salsam manans aquam, ex qua muries fit. Est & (11) *Calocrius* mons in Apennino sublimis quasi Pulcer mons, vel pulcra sublimitas, aut pulcrum idest suave frigus, ubi fons scatete cujus jugo utrunque fretum conspicitur. Provenit & in agro hoc Iuniperus. (12) *Ex hoc Oppido* fuit *Vincentius* (13) *Vianeus* medicus chirurgus eximius, qui primus labia & nasos mutilos instaurandi artem excogitavit. Fuit & *Bernardinus* ejus ex fratre nepos, & artis heres. Viget modo, hujus filius & itidem artis heres. In hoc agro (14) pagi sunt *Cortalis*, *Coriga*, *Petrejum*, & *Iacorsum*. Post Maidam (15) *Lacania* castellum offertur, abest a mari m. p. tribus, a Maida sex, quod *Mocata* fluvius præterfluit. Hic lina optima fiunt ejus generis, quæ feminina dicuntur, fit & sesama, nascitur vitex, & nymphea herba, gignuntur tubera, eximitur marmor, extant & retia thynnaria. Ager hic saccaro aptissimus est. Proveniunt sponte platani frequentes. Quanquam quidam, qui plantarum peritiam habere præsefert, platanos in Italia sponte nasci temere negat. Hic si Ca-

si Calabriam reliquamve Italiam sedulo perlustrasset, plurimas plantas, aliaque in ea esse, quae ultro gignuntur, vidisset, si tamen veram hujusce rei rationem habebat. Verum quia in uno tantum Italiae loco diu contabuit & emarcuit, quicquid ibi non novit, nullibi in Italia nasci audacter asservit. Supra Lacaniam (16) (*f*) *Monsaurum* exiguum castellum est cum melle claro. Et prope est (17) *Monardum* oppidum edito loco, cujus ager frugifer est, aprorum, caprearum & aliorum quadrupedum venationi, ac palumborum & phasianorum, aliarumque avium aucupio, necnon pabulis aptus. Nascitur lapis Phrygius, gignuntur tubera. Dein meridiem versus est (18) *Francavilla* oppidum cum temeto laudatissimo, eoque austero. Distat a Freto m. p. tribus, a Lacania totidem, salubri amoenoque loco situm. Ager hic foecundus est, venationi & aucupio commodus. Fit sesama, provenit vitex, & juniperus. De lentisco & myrto nil attinet dicere, cum tota Calabria his referta sit. Postea est (19) *Angitula* oppidum edito loco, & ejusdem nominis fluvius navigabilis & piscosus torentinis & anguillis uber, cujus meminit Antoninus Pius in Itinerario. Fuit olim dicta (*g*) Angitula *Crissa* urbs Phocentium, cujus meminit Lycophron, ut supra ostendimus, a Crisso Panopei fratre condita, ait Isacius in Lycophronem, prope Hipponium e regione Crotonis. Hic nobile emporium annuatim celebratur, distat a freto m. p. duobus, a Francavilla tribus. Fit in hoc agro sesama & gossipium, nascitur marmor, & intus smiris lapis reperitur, provenit vitex, est & fons salsam aquam scaturiens, ex qua fit muries: fiunt in agro hoc aucupia & venationes uberes. Suntque pagi *Macheratum* & *Pimenum* a *pimeno* verbo Graeco, quod *pasco gregem* significat. Intus sunt (20) *Polia*, & *Monrusum*, & *Monsantum* tenuia castella cum spectato melle: in montibus lapis Phrygius nascitur. In Monsanto mulier est nomine *Angela*, quae vestes in telario inconsutiles conficit, ut indusia, diploides, brachas cum ocreis caligisque & capitis operimenta. "Quam ego vidi, & ejus hujusmodi opera quaedam etiam vidi". Est in hoc agro (21) *Capistranum* pagus. Ad mare est (22) *Pitium* (*h*) oppidum freto imminens novum opus, abest ab Euphemia m. p. xviii. Conditum est id oppidum ut pyratis depraedandi hac transeuntia navigia facultas interciperetur: nam hic secessus est, in quo pyratae latebant. Hic thynni e verriculo exponuntur. Quem locum oppidani *Segiolam* vocant, & a Cicerone in Epistola ad Atticum *Sedeculam* appellatam opinantur, cum ibi Cicero Aristotelicam disciplinam intelligat, quam Atticus sedeculam suam appellare consueverat, "& eam cunctis Romanis Magistratibus praefert". Oppidani piscationi & navigationi dant operam, merces hominesque lembis ultro citroqne trajicientes. Mare hoc piscosum est. Sunt & retia thynnaria, quibus ingens thynnorum copia capitur, quos cetarii membratim caesos sale asservant, conduntque in cadis. Fit & magna trichiarum piscatio, quibus sale conditis cados opplent. Est Pitii aqua ferrea, quae tamen bibi potest. Nascitur in hoc agro marmor, intus quod smiris reperitur. Fit in hoc agro gossipium; sunt & limonum & citrorum nemora.

Intus eſt (23) *Philocaſa* tenue caſtellum, ideſt amabilis caſa. Ager hic frugifer eſt frumenti & aliarum frugum ferax, & pabulis aptus. Fiunt olea & vina non vulgaria, provenit nardus montana. Eſt in hoc agro (24) *Stephanaculum* vicus, qui coronam ſignificat cum melle optimo. Fiunt & in agro hoc phaſianorum, & externarum, & aliarum alitum aucupia pulcra, & capræarum & leporum venationes. Philocaſæ contermina eſt (25) *Panagia* puſillum caſtellum, quod nomen *totum purum* ſignificat. Exin eſt (26) *Vallonga* exiguum caſtellum cum caſeo probatiſſimo: in hoc agro ſilvæ ſunt glandiferæ & caſtaneta ad porcos alendos opportunæ. Sunt & pulcra pabula, fiunt venationes, & aucupia. Proveniunt ubertim fraga Sunt in hoc agro pagi (27) *Pizzonum*, ubi fit charta. Erumpit & (28) ſquilla. (29) *Nicolaum*, *Batianum*, ubi quoque ſquilla provenit. (30) *Broniaturum*, quod tonitrua obſervantem ſignificat. Quod " Cæcinus fluvius interfluit. *Turris* & (31) *Cymbarium* cum caſeo & hippace præclaris, ubi & lapis obſidianus naſcitur ". In hoc agro glandiferæ arbores ferunt agaricum. A Vallonga m. p. duobus (32) (*i*) *Beliſortum* oppidulum eſt edito loco, *Subſicinum* Antonino Pio in Itinerario. Quod *Medama* fluvius adlabitur. Intus divi Stephani ædes eſt Carthuſienſium monachorum cœnobium a (33) Rogerio Guiſcardo junioris Roberti ex fratre nepote conditum, in qua æde (34) beati Brunonis hujus Ordinis fundatoris, & beati Lanuini ejus ſocii corpora quieſcunt. Venit in Calabriam beatus Bruno Urbani Secundi Pont. Max & Rogerii junioris temporibus. Exceſſit e vita anno a Chriſto nato M. C. pridie Nonas Octob. Eſt & digitus Stephani Protom. Fruſtula crucis dominicæ, & menſæ, & virgæ Aaron, & Joannis Baptiſtæ, & Zachariæ patris ejus, utriuſque Jacobi, Philippi, Matthæi, Bartholomæi, Thomæ, Simonis & Judæ Apoſtolorum, Joannis Chryſoſtomi, Athanaſii, Baſilii, Gregorii, Felicis, & Caliſti Rom. Pont. Marcellæ, Mariæ Magdalenæ, Chriſtinæ, Catharinæ, Priſcæ, Georgii, Dionyſii Areopagitæ, Coſmæ & Damiani, Ioannis & Pauli, Cyriaci, Hippolyti, Panthaleonis, Theodori, Antonii, & multorum aliorum Sanctorum. Item dens Agathæ, dens Goberti, dens Ioannis Ioachini. Sunt & fruſtula ſanctorum locorum, ut ſepulcri Chriſti, & lapidis, ubi fuere pedes ejus tranſfigurati, & cryptæ in qua jejunavit, & montis Aſſumtionis, & columnæ, in qua fuit flagris cæſus. Secundum ædem lapis obſidianus naſcitur, ex quo fit vitrum optimum. Quo lapide accolæ in ædificiis utuntur. In agro monaſterii (*k*) lapis ophites cæditur, granitum vocant ſcalptores, ejus generis eſt, quo columnæ in Romano Pantheo ſunt. Non longe a monaſterio via, qua itur Stilum, lapis ſpecularis naſcitur, ſunt in hoc agro pagi (35) *Monſaurum*, ubi aſparagi optimi omnibus anni menſibus proveniunt. (36) *Gaſparium*. *Spatula*, quod cibum dilitiaſque ſonat, cum caſeo & hippace optimo. Et juxta *Cæcinus* fluvius fluit, ubi lutræ ſunt. *Bovungium*, ubi aurum & ferrum naſci traditur, naſcuntur & aſparagi cunctis menſibus anni. Sunt & in hujus monaſterii territorio ſilvæ ad domorum tigna reliquave utenſilia, & ad navigiorum fabricam aptæ. Glandiferæ arbores agaricum ferunt. Fiunt ſilveſtrium animalium venationes. Inde occiduum verſus (37) *Sorianum* oppidum eſt:

est: pensili loco situm. *Soria* congeriem sublimitatemque sonat. Hic figlina opera fiunt haud ignobilia, variaque vasorum genera, quæ usui humano sunt accommodata. In hoc agro gypsum e terra foditur, quo utuntur figuli, exciditur & lapis molaris, frumentarius & olearius. Sunt & silvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ, & pabulo, venationi, & aucupio commodæ. Sunt in hoc agro pagi *Basilium*, & *Barbara*. Fiunt in Sorianensi agro olea præclara. Dein ad fretum eunti *Dimitrium* tenue castellum offertur, cujus ager frugifer est.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Castionum*. Extat prope aliud oppidulum *Falernum* nuncupatum. In Diœcesi Tropeana.

2. *Subarum*. Potius *Suberum* appellandum censeo a suberibus, quibus abundat.

3. *Euphemia*. In terræmotu 27. Martii anni 1638. pene destructa, rursumque paulo remotius ædificata: MS. Mart. Pertinet ad Religionem S. Joannis Hierosolymitani. Est & *Gisaria* oppidum.

4. *Ubi Italia angustior est*. Tractus iste primo Italiæ nomen obtinuit, quod postmodum usque ad alpes extensum fuit, ut ait *Strabo* lib. VI. & *Aristot.* politic. lib. 7. Vide Adnotationes lib. 1. cap. 5. n. 4.

5. *Neocastrum*. Quasi *novum Castrum*. Civitas autem vetustissima creditur. Aliquibus *Lysania*, *Sicania*, *Numistrum*, & *Leocastrum*. Sæpe terræmotibus eversum fuit. Civitas hæc duos habuit Episcopos qui ad summum Pontificatus apicem evecti fuere, nempe *Marcellum II.* & *Innocentium IX.* Ibidem *Fridericus*, & *Carolus V.* Impp. moram traxere aeris amœnitate allecti; *Amburga* Comitis *Drogonis* filia ac *Rogerii* Northmanni neptis in templo ab ea constructo sepulta est ann. 1100. Vide Ughel.

Mamertinum inter & Neocastrensem agrum, ubi *Pyrrhus* a Mamertinis fusus est, sequens inscriptio legitur:

*AQUAS LIMPIDISSIMAS PENDENTIBUS HINC INDE COLLIBUS EXORIENTES, ET AD SUPREMUM HINC, AD INFERUM ILLINC DECURSANTES MARE, VIDIT ÆTAS PRISCA IN SANGUINEM VERSAS, EXERCITUS PYRRHI EPIROTARUM REGIS CLADE, QUI TOT VICTORIIS ONUSTUS, ET A MAMERTINIS ROMANIS FOEDERE JUNCTIS FUSUS TERGA ABRIPUIT ANNO AB URBE CONDITA.... MAMERTINORUM URBS NE TANTI FACTI PERIRET MEMORIA, THOMÆ AQUINATIS XII. IPSIUS COMITIS, STATUUM, OPPIDORUM, URBIUMQUE ADJACENTIUM PRINCIPIS JUSSU POSUIT ANNO DOM. MDCXC. VII.*

Fuerunt ex hoc loco *Guido* Episcopus & Civis ann. 1179. *Boemundus* item ann. 1195. Ms. Mart. *Leonardus* a Capitulo electus ann. 1266. & a Clemente IV. confirmatus, *Nicolaus* ann. 1299. *Robertus Mazza* ex Canonico Episcopus ann. 1394. *Venutus* ex Franciscana familia Episcopus Catacensis ann. 1309. *Petrus* ex monasterii S. Euphemiæ monacho Episcopus Strongyli ann. 1254. vide Ughell.

*Marcellus Riccius* Dienius poeta celebris. Topp. *Thomas Porta* Minorita Theologus celebris Gonzag. hist. Seraph. & MS. Gualt. *Juniparus* ex eadem reformata Familia laicus, sanctæ vitæ vir: Ex Chron. & MS. Mart.

Nostris vero temporibus *Angelus* instituti Capuccinorum pietate conspicuus, *Dominicus Felix Verardi* eruditione clarissimus, multa edidit

Neapoli & Venetiis: aliique non pauci.

6. *Cum emporio nobili*. Quatuor annis singulis emporia fiunt, nempe in festo *S. Antonii Patavini*, quem Cives summa veneratione colunt, S. *Petri* Apostolorum Principis, S. *Francisci Assisinatis*, & *Omnium Sanctorum*.

7. *Blasium*. Fuerunt ex hoc loco *Franciscus Longus* ex Minimorum familia Sacerdos, Orator eloquentissimus, morumque integritate conspicuus; Ex Chron. ann. 1581. *Joannes Baptista de Rubeis*, Philippi Regis Astronomus & Mathematicus celeberrimus. Paris. & Maras.

Nostris fere temporibus *Antoninus de Flore* Datariæ, Cancellariæ, & Secretariæ Apostolicæ rerum cognitione, praxi, & integritate nulli secundus, Innocentio XI. Collegioque Apostolico acceptissimus: multa scripsit hac de re apprime utilia. Obiit Romæ V. Nonas Martias 1696. octogenario major. Vide Constit. XIII. Alexandri VIII. in Bullario Romano novissime excuso, cujus typorum emendationi satis nos insudavimus. Pertinet ad Diœcesim Neocastrensem.

8. *Marcinara*. Ex hoc loco fuit *Thomas Melina* Episc. Boven. 1731.

9. *Feroletum*. Oppidum nobile, ubi *Fridericus* Imperator celebrem sibi extrui ædem jussit, cujus rudera etiamnum invisuntur. Duplex hic nobile celebratur emporium Kal. Maji, & XVIII. Kal. Sept. Ex hoc loco itidem fuit *Bernardinus* ex reformata Franciscana familia Sacerdos, Theologus & concionator celebris, morum integritate clarus: ex Chron. & MS. Mart. In Diœcesi Neocastr. Sunt quoque in agro Neocastrensi vici *Zangaronum*, Petranium, *Angelum*, *Serrastricta*, *Amatum*, & *Milliarina*.

10. *Maida*. In quibusdam monumentis Northmannorum *Maja*, postmodum a *Mauris* aliquando habitari cœpta *Mayda* appellata est. MS. Mart. Inter pagos hujus oppidi est *Petrejum*, vulgo S. *Pietro di Maida* satis habitatorum habens. Fuerunt ex hoc loco viri eruditi non pauci. Nostris vero temporibus *Marcus Antonius Fabiani* Canonicus Neocastrensis, *Octavius Piacente* ejusdem Cathedralis Canonicus eruditione clari. *Hyacinthus Maysanus* Dominicanæ familiæ opusculum edidit *Arte di ben confessarsi*. Neap. 1723. *Elias* Carmelita eruditissimus.

11. *Calocrius mons*. Nunc vulgo *Contessa*.

12. *Ex hoc oppido*. Fuerunt itidem *Bartholomæus de Aquino* Philosophus, scripsit *de Numeris* satis luculenter. MS. Gualt. *Blasius Bonellus* Carthusianus quædam edidit dum adhuc sæculo viveret sub nomine *Francisci*. Vide Topp. *Felix* ex Minimorum familia edidit poema Italicum: *Le lagrime della Madalena e di S. Pietro*. Topp. *Franciscus Cereus* Ordinis Minimorum Generalis emeritus, mox Episcopus Lavellensis ann. 1621. Obiit Romæ X. Kal. sept. 1626. Ughell. & Topp.

*Franciscus Maurus* Medicus in utraque lingua doctissimus, *Campanellæ* & *Sertorio Quattrimano* familiarissimus, quædam ex Græco in Latinum sermonem transtulit. MS. Gualt. *Joannes Alphonsus Mantegna* Presbyter eruditione conspicuus, scripsit quædam. Topp. *Petrus Antonettus*, Presbyter, scripsit quædam ascetica: MS. Gualt. *Theodorus* ex Minimorum fa-

familia orator celeberrimus, bibliothecam in Conventu Bononiensi erexit: ex eod. *Vincentius Motta* Innocentii IX. Summi Pontificis a secretis, in utraque lingua celebris: ex eod. *Isidorus* ex Minimorum familia doctissimus, linguæ Sanctæ deditus multos Hebræos ad fidem perduxit, nonnulla itidem scripsit. Lanov. & Topp. *Joannes Baptista Bonjoannius* eruditissimus, multa scripsit, edita autem reperi duo, *De Carceratione Mulierum* & *Vite de' Pittori antichi Napolitani sino al* 1600. Neap. 1674. aliique apud exteros, & nostrates, quos inter, *Cereus Maurus*, *Servideus*, *Petrus Paladinus*, & *Carolus Squitti*, eruditione clari. In Diœc. Neocastr.

13. *Vianeus*. Aliis *Vojanus*.

14. *Pagi sunt*. Præter hos est & *Vina*.

15. *Lacania*: Aliis *Lautonia*. Vulgo *Laconia* pen. long. Ex hoc loco fuit *Petrus de Sonnino* ex Archipresbytero Episcopus Geruntinus & Chariatensis X. Kal. Novembris 1481. Inde ad Neocastrensem sedem translatus IV. Kal. Februarii 1489. obiit 1490. Ughell. In eadem Dœc.

16. *Monsaurum*. Vulgo *Montesoro*. Patria *Hieronymi* instituti Seraphici Sanctitate conspicui: ex Chron.

17. *Monardum*. Vulgo *Castel Monardo*. In terræmotu anni 1659. multa passum, nongentis capitibus obrutis. Modo satis est refertum habitatoribus, ut non tam oppidum nobile quam civitatem dixeris. Hic crypta inest, appellata vulgo *del Drago* p. 4. latitudine, longitudine vero ad duo mill. natura, vel arte incertum, ubi anaglypha sunt quædam mirabili varietate, & fons aquæ.

Ex hoc loco fuerunt *Hiacynthus Serraus* ex Dominicana familia doctissimus, Missionarius Apostolicus, quædam edidit de Sacris Missionibus Neap. 1669. in 4. Topp. *Joannes Regitanus* in bello clarissimus MS. Mart. *Joannes Antonius Vallone* profundæ eruditionis vir, edidit Commentarios in Satyras Persii, Neap. 1576. in 8. Topp. & Nicod. Vivit modo *Marcus Antonius Amalfitanus Episcopus Orthonensis*. In Diœcesi Miletensi.

18. *Francavilla*. Ex tribus oppidulis *Creta*, *Carthopoli*, & *Cloponio* quæ interierunt ut ex monumentis in Archivio Pitii ad ann. 1474. tametsi incolæ ex antiqua Itria civitate maritima ortum sibi vindicent. Patria *Joannis Matthæi Mileto* eruditione conspicui. In ead. Diœcesi.

19. *Angitula*. Vide Lucam Holsten. in Ortelium. Nunc vulgo *Rocca Angitola*. Habebat antiquitus septendecim pagos, quorum plerique interierunt, ut ex monumentis in Archivio Pitii supra laudatis. Fuit ex hoc loco *Ignatius* Eremita circa initium præteriti sæculi sanctitate & pœnitentia mirabilis MS. Gualt. in ead. Diœc.

20. *Polia*. Extabat antiquitus ubi novissime extructum est *Poliolum* vicus; sed inde biscentum circiter ab hinc annis translata ubi nunc est. In ead. Diœc.

21. *Capistranum*. Patria *Camilli Bongiurnii* eruditione clarissimi: ex Amat.

22. *Pitium*: Aliis *Picium*: Nonnulli autumant *Nepetiam* fuisse. Vide *Dissert. Hilarii Tranquilli*. Nunc vulgo *il Pizzo*. Ex hoc loco fuere *Andreas Fodius Gambara* Philosophus & Medicus præstantissimus,

mus, quædam edidit Neap. 1665. in 4. Topp. in bibl. *Dominicus Tranquillus* ex Minimorum familia Theologus eruditissimus: ex eod. *Janus Baptista Januarius* Philosophus, Medicus, exquisitæque literaturæ vir. Vide Jan. Pelus. Lusuum lib. 3. & Paul. Manut. in epist. *Joannes Franciscus Savarus* Archidiaconus *Miletensis*, eruditione conspicuus, multa edidit. MS. Mart. *Ioannes Franciscus Tranquillus*, vir apprime eruditus, quædam edidit. Vide Topp. *Nicolaus Antonius Marinus* edidit Tragœdiam S. Georgii martyris. Ms. Mart.

Nostris autem temporibus *Vitalis Vitale* Regius Consiliarius, acris ingenii vir, in re literaria nulli secundus. *Hilarius Tranquillus* doctissimus, scripsit Dissertationem *de antiqua Nepetia* aliaque multa. *Bonaventura* instituti Capuccinorum pœnitentia clarus. *Dominicus Satrianus* Archipresbyter bonis literis instructus. *Jo: Dominicus Tassonus* de literaria republica optime meritus. *Franciscus Maria Martinius* ex Dominicana familia literis & pietate clarissimus, aliique non pauci: In Diœcesi Miletensi.

23. *Philocasa*. Anno 1659. corruit ex terræmotu, sed paulo remotius Oppidum ab incolis reædificatum. Nunc satis refertum est habitatoribus. Hinc fuit *Dominicus de Sanctis* Dominicanæ familiæ celebris Theologus, & orator: edidit quædam 1667. Topp. *David Romæus*, qui licet a nonnullis Sciolis Neapolitanus putetur, in suis tamen operibus Calabrum fatetur sese. Hic quorumdam Sanctorum vitas scripsit, Neap. 1570., & 1577. in 8. in quibus a nupero scriptore satis ridicule carpitur, sed a *Jacobo de Monacho* Presbytero eruditissimo strenue ac sapientissime vindicatur. Vide Topp. qui Philocastrensem facit, quapropter corrigendus. In eadem Diœc.

24. *Stephanaculum*. Nunc vulgo *Stephanaconi*. In quibusdam privilegiis Abbatiæ Miletensis ann. 1087. fit de eo mentio. In ead. Diœcesi.

25. *Panagia*. Extabat hic satis munita arx, ut ex *MS. Mart.* Patria *Gregorii Angelerii* instituti Capuccinorum, qui librum edidit *de Præparatione Euangelica*: Neap. 1653. aliaque apud Topp. Varia extant MS. in eodem loco ingenii sui monumeta. In ead. Diœc.

26. *Vallonga*. Hanc *Ioannes Jacobus de Martino* cons. 1. n. 7. & seq. autumant fuisse *Nicephorum*, *sive Vallem Nicephori*. In ead Diœc.

27. *Pizzonum*. Olim *Cerasia*, ut ait Dominicus Martyre. Ex hoc loco fuit *Didacus* Min. Convent. scripsit quædam apud Franchin. in bibl. n. 101. & *Ludovicus Mandarano* Ord. Prædic. vitæ integritate clarus. In ead. Diœcesi.

28. *Squilla*. Bulbus nobilissimus cæpæ modo multipliciter tunicatus, qui etiamnum in officinis nomen retinet, & aliter *scilla* dicitur. Vide *Pallad.* lib. 8. tit. 8.

29. *Nicolaum*. Vide *Jo: Jacobum de Martino* hujus loci civem in in lib. Consil. Ex hoc loco itidem fuit *Antonius Papa* Episcopus S. Marci, Innocentio XI. apprime charus. Obiit in sua Cathedrali VI. Idus Julii 1687. Ms. Mart. In Diœcesi Miletensi.

30. *Broniaturum*: Vulgo *Brugnatore*. In Diœcesi Scylacensi.

31. *Cymbarium*, Patria *Joannis Romani* ex Orthonensi Episcopi Catacensis anno 1735. Obiit Neapoli eo-

li eodem anno; in Diœcesi Scylacensi.

32. *Belsfortum*. Ex hoc loco fuerunt S.S. *Onuphrius* & *Helena* instituti Basiliani. Vide Abb. Agrest. in Vita S. Basilii. *Q. Tiberius* Angelerius Philosophus, & Medicus præstantissimus a Rege Hispaniarum in Sardiniam missus ob pestem ibi grassantem. Calari librum composuit. MS. Gualt. In Diœcesi Miletensi.

33. *A Rogerio Guiscardo*. Hic multa bona ac tenimenta largitus est B. Brunoni, ut apparet ex Diplomatibus, quæ in eodem Monasterio S. Stephani asservantur. Dono dedit insuper homines illos qui cum Sergio reperiebantur. Legitur enim in uno Diplomatum: *Hæc sunt nomina lineæ servorum, & villanorum* 121. *qui inventi sunt cum Sergio proditore in obsidione civitatis Capuæ Cal. Martii Incarnat. Domini anno* 1098. *indict.* 7. *quos ego Rogerius Calabriæ & Siciliæ Dei voluntate Comes pro miraculo quod dignatus est visibiliter mihi ostendere orationibus B. Brunonis ad salutem fidelium Christianorum qui mecum erant, & mea, donavi eidem Patri Brunoni, ejusque successoribus, non solum ipsos, sed etiam filios filiorum suorum usque ad sempiternum in servos perpetuos & stabilibus habitis & habendis ubique locorum sistentibus &c.*

Hic autem *Rogerius* Comes frater fuit *Roberti Guiscardi*, ut patet ex alio Diplomate, in quo legitur: *Ego Rogerius Comes Calabriæ, & Siciliæ pro Dei amore, & animæ meæ remedio, & pro salute animæ Roberti Guiscardi fratris mei gloriosissimi Ducis Apuliæ & Calabriæ &c.* Fuit Siquidem Rogerius *Bossus* appellatus, filius *Tancredis*, pater *Rogerii* Regis, avus Gulielmi *Mali* appellati, proavusque Gulielmi *Boni* dicti, ut videre est ex hujus Diplomate quo cetera confirmantur sub anno 1173. mense Februario, Indict. Septima.

Præter Supradicta Diplomata asservatur in eodem Monasterio Breve Alexandri III. Summi Pontificis tenoris sequentis: *Alexander Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Priori et Fratribus S. Stephani de Nemore salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum quidam, sicut accepimus, qui voto tenentur Sepulcrum Domini & limina B. Jacobi visitare, in Ecclesia vestra desiderent habitum religionis suscipere, a nobis solicite postulastis ut in hac parte nostrum vobis præstaremus assensum. Attendentes igitur quomodo in Ecclesia vestra religio ferventer per Dei gratiam observatur auctoritate vobis Apostolica duximus indulgendum, ut si aliqui eorum, qui vel ad Sepulcrum Domini, vel ad limina B. Jacobi, aut alia religiosa loca visitare tenentur, in ecclesia vestra voluerint habitum religionis suscipere, & vobiscum Domino militare, liceat eos vobis, dummodo liberi sint, ad conversionem vestram suscipere, & sine contradictione qualibet retinere: Quia votum non violat qui in melius ipsum commutat. Datum Anagni VII. Kalendas Decembris* 1175.

34. *Beati Brunonis*. Extat ejus epistola ad Monachos Carthusiæ, relata a Marafioto lib. 2. cap. 21. *In finibus Calabriæ cum fratribus religiosis, & aliquot bene eruditis, qui in excubiis persistentes divinis expectant reditum Domini sui, ut cum pulsaverit confestim aperiant ei, eremum incolo ab hominum habitatione satis undique remotam; de cujus amœnitate,*

*ae-*

*aerisque temperie & sospitate, vel planitie ampla & grata inter montes in longum porrecta, ubi sunt virentia prata, & florida pascua, quid dignum dicam?* Aut *collium undique leniter se erigentium prospectum opacarumque vallium recessum cum amabili fluminum, rivorum, fontiumque copia, quis sufficienter explicet? Nec irrigui desunt horti, diversarumque arborum fertilitas. Verum quid his diutius immoror? Alia quippe sunt oblectamenta viri prudentis, gratiora, & utiliora valde, quia divina. Veruntamen arctiori disciplina studiisque spiritalibus animus infirmior fatigatus sæpius his relevatur, ac respirat.* Arcus *enim si assidue sit tensus, remissior est, & minus ad officium aptus. Quid vero solitudo eremique silentium amatoribus suis utilitatis, jucunditatisque conferat, norunt hi solum qui experti sunt. Hic namque viris strenuis tam in se redire licet quemlibet & habitare secum, virtutumque germina instanter excolere, atque de paradisi feliciter fructibus uti. Hic oculus ille conquiritur, cujus sereno intuitu vulneratur sponsus amore, quo mundo & puro conspicitur Deus. Hic otium celebratur negotiosum, & in quieta pausatur actione. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam, pacem videlicet, quam ignorat mundus, & gaudium in Spiritu Sancto. Hæc est illa Rachel formosa, pulcra aspectu, a Jacob plus dilecta, minus filiorum ferax, quam Lia fecunda, sed lippa: pauciores enim sunt contemplationis quam actionis filii. Veruntamen Joseph & Benjamin plus sunt ceteris fratribus a patre dilecti. Hæc pars illa optima quam Maria elegit, quæ non auferetur. Hæc Sunamitis pulcherrima, sola in omnibus finibus Israel reperta, quæ David foveret senem & calefaceret.*

Multa scripsit quæ a Bellarmino, Labbæo, & Tutino referuntur. Eidem attribuitur Oratio illa celebris: *Ante oculos tuos Domine &c.* quam Urbanus VIII. auxit, & ante Confessionem Principis Apostolorum nostræ Vaticanæ Basilicæ, indulgentias recitantibus largiendo, apponi jussit. Sub Urbano II. interfuit Concilio X. Claramontano, ubi institutum fuit Officium B. Mariæ Virginis, & ab eodem B. Brunone concinnata fuit Præfatio: *Et te in veneratione* &c. Vide *Tutin.*

Invisitur lapis super quo Sanctus Bruno cubabat, & specus in qua pœnitentiam egit, ubi adest inscriptio hæc:

IN SUMMA VENERATIONE HABENDUS EST LOCUS ISTE FRATRES CHARISSIMI, IN QUO FIDELIS CHRISTO SERVUS ET SACRÆ PAGINÆ DOCTOR BRUNO MULTIPLICI POENARUM GENERE CORPUS SUUM AFFLIXIT, IN QUO POST HUJUS MISERÆ VITÆ CURSUM AD CÆLUM EVOLAVIT.

Extat & alia inscriptio super tumulum:

*Primus in hac Christi fundator ovilis eremo*
*Promerui fieri qui tegor hoc lapide.*
*Bruno mihi nomen, genitrix Germania, meque*
*Transtulit ad Calabros grata quies nemoris.*
*Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe:*
*Desuper illud erat, gratia, non meritum.*
*Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit*
*Ossa manent tumulo, spiritus astra petit.*

Anno 1729. Mense Junio, vidi locum illum, humanissime a viris religiosis exceptus hospitio. Ædes Monasterii satis augustæ sunt; Ecclesia lapidibus pretiosis, marmoreisque anaglyphis mirabili varietate contexta, majestatem redolet ac sanctitatem.

35. *Mon-*

35. *Monsaurum*. Sub ditione Monasterii S. Stephani.

36. *Gasparium*. *Spatula*. Sub ditione ejusdem Monasterii. Extat & alius vicus *Serra* dictus sub anno 1098. fundatus a Sergio, aliisque hominibus, quos *Rogerius* Comes *B. Brunoni* mancipavit. Vide *Tutin.* & *de Flore*, Patria *Dominici Peronacii* Episcopi Umbriaticensis anno 1732.

37. *Sorianum*. Extat hic Cœnobium satis amplum Ordinis Prædicatorum, cum templo nobili, ubi Icon achiropeta S. Dominici fundatoris toto orbe celeberrima asservatur, ac religiosissime colitur, quam & ego vidi. Allata fuit XVII. Kal. Octobris anno 1530. mirabili apparitione Beatissimæ Virginis Mariæ. Et licet ex scriptoribus contemporaneis nullus fere de illa faciat mentionem, sicuti nec de translatione almæ Domus Lauretanæ in Picenum, & imaginis Vultus Christi ad nostram Sacrosanctam Vaticanam Basilicam, qui *Vultus Sanctus* & *Veronica*, idest *Vera icon* appellatur, quique tot seculorum intercapedine religiosissime ibidem asservatur & colitur; non dubitamus quin ab omnibus orthodoxis pro veris habendæ sint. Non enim humanæ sapientiæ verbis, sed piæ fidelium traditioni tamquam solidiori fundamento ac miraculis innixa veritas comprobatur. Quapropter nec mirandum si apud Barrium pene contemporaneum ne verbum quidem de hac imagine. Vide Bosium Rom. Subterr. to. 2. lib. 5. Lemb. in Chron. Sorian.

Fuerunt ex hoc loco *Augustinus* Ord. Prædicatorum, qui Neapoli edidit librum *Raccolta de' miracoli dell' Immagine di S. Domenico*. Vide Topp. in bibl. *Dædalus Fortunatus*, doctissimus, edidit *Vitam S. Euthitii*. Viterbii 1631. in 8. aliaque apud Topp. & Leon. Allat. *Dominicus* ex Dominicana familia Sacerdos, vitæ sanctitate celebris; ex act. Capitul. Gener. Romæ 1644. & Lemb. in Chron. *Franciscus* & *Joannes* instituti Capuccinorum vitæ integerrimi, miraculisque conspicui: ex Chron. *Franciscus Maria Imeneus* Ord. Præd. sanctæ vitæ vir, obiit in terræmotu anni 1659. MS. Mart. *Hieronymus*, ejusdem Ordinis edidit librum *De miraculis Imaginis S. Dominici* Neap. 1647. Topp. *Petrus Zillus* Carmelita doctissimus. *Flor.* Calab. illustr.

Nostris autem temporibus N. *Insillus* Episcopus titularis in partibus infidelium, & *Martinus Campitellus* Archidiaconus Miletensis, qui Romæ ascetica quædam edidit. Est in Diœcesi Miletensi.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Non longe Suberum promontorium est, Brettium a Sallustio appellatum.* Longe errat gentium Barrius; nam Promontorium, quod *Brutium* est Sallustio, & Martiano Capellæ, aliis est *Promontorium Herculeum*, nunc *Capo di Spartivento*. *Promontorium Terinæum* est illud, quod nunc dicitur *Capo del Suvero*.

(*b*) *Lametia*. Nunc *Sancta Euphemia* dicitur. Sunt qui *Lametum* appellent.

(*c*) *Neocastrum*. *Lisaniam* appellat Auctor Annalium.

(*d*) *Turres*. Non est *Blasium* ut Barrius credit, sed *Castilio* prope Terinam; nam tunc aliud tenebatur

iter e Consentia, & via mediterranea non frequentabatur.

(*e*) *Maida Melanium olim*. Sic etiam nostri Annales: sed non video cur ita vocent.

(*f*) *Mons aureum*. Nunc *Montesoro*.

(*g*) *Ancitula*, *Crissa nunc*. Rocca Ancitula, cujus meminit Antoninus putatur *Arx Nicephori*, a nonnullis creditur *Crissa* Urbs Phocentium a *Crisso* Panopei filio condita, quoniam esset prope *Hipponium* e regione *Crotonis* ex Isacio; sed divinare est, hoc credere; cum multæ sint aliæ Urbes Hipponio proximæ, nec sit e regione *Crotonis*, cum Isacius non *Crissam*, sed *Crimissam* intelligat prope *Crotonem*, de qua Strabo.

(*h*) *Pitium Oppidum*. Auctor nostrorum Annalium *Lupitum* appellat: & est illud Oppidum, quod *Nepetiam* appellant antiquiores, a qua sinus *Nepetinus*. Sunt qui *Napitium* appellent, & Sinum *Napitinum*.

(*i*) *Bellifortum Subsicinum Antonino Pio*. Bellifortum putant nonnulli *Subsicinum* ab Antonino Pio appellatum, quod mihi non probatur. Aliam tenuit viam Antoninus, & longe diversam ab ea quæ nunc frequentatur. Multi tamen conveniunt *Subsicinum* Antonini Pii esse Oppidum quod nunc *Belforte* dicitur; idque rationibus conantur ostendere.

(*k*) Vulgo *Serpentino*.

## CAPUT XII.

### *De Montileono, olim Hipponio, Vibone, & Valentia dicta, ejusque Pagis.*

SUbinde est MONTILEONUM oppidum (1) (*a*) *Hipponium* olim ab Hippone Heroe, ut vult Stephanus, dictum, fortassis Phocense; nam Phocenses multas urbes in hac ora, & alibi in Calabria aut condiderunt, aut ab Ausoniis & Oenotriis conditas incoluerunt. Hujus urbis meminit Lycophron in Alexandra. Strabo vero libro sexto hanc & Medamam a Locris conditas tradit: qui sic ait: „ Hipponium Locrorum ædificium, quam obtinentibus Brettiis eripuere „ Romani, qui Vibonem (2) Valentiam appellavere. Hic Agathocles „ Siciliæ Tyrannus ea potitus urbe nobile emporium instituit, cujus „ florentissimæ regionis amœnissima prata esse constat, ad quam „ Proserpina e Sicilia carpendos ad flores venit. Hinc matronarum „ usus invaluit, ut collectis ex floribus coronas texant, cum dies fe„ stos agunt, quoniam emta gestare serta vitio illis datur „. A qua urbe Hipponienses & Hipponiates, Vibonienses, & Valentini incolæ. Hic Gelo nemus amœnissimum extruxit, quod Cornu Amaltheæ appellavit. De quo Duris apud Athenæum libro xii. sic scribit: „ Cornu „ Amaltheæ locus est, quem struxit Gelo in nemore amœnissimo egre„ giæ pulcritudinis, aquisque irriguum juxta Hipponium civitatem „. Fuit nempe urbs hæc opibus ac gloria, vel portu inclita. Hanc & Rhegium inter septem illustriores & opulentiores Italiæ civitates fuisse, quæ substantia & domorum pulcritudine pavimentisque præstabant, Ap-

Appianus bellorum civilium libro quarto memoriæ reliquit. Fuit quoque Romanis amica ac socia. Quæ cum sub id tempus, quo Annibal Placentiæ erat, Carthaginienses classem ad eam oram vastandam misissent, Hipponienses agri libentius depopulationem, urbisque terrorem pertinaciter sunt perpessi, in fideque & societate P. R. persliterunt, urbemque necessariis rebus, quo hostibus resisterent, munierunt, ut Livius Bel. Pun. libro primo tradit; ubi sic scribit: „ Jam forte „ Carthaginienses viginti quinquiremes cum mille armatis ad populandam oram Italiæ misere, populatoque Viboniensi agro, urbem quoque terrebant. Repetenti Siciliam T. Sempronio Consuli excursio „ hostium in agrum Viboniensem facta nunciatur, Sexto Pomponio „ legato cum vigintiquinque longis navibus Viboniensem agrum, maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit „. Fuit & Colonia Romanorum civium perillustris, velut Livius Bel. Mac. libro v. auctor est, ad quam, inquit, mille septingenti pedites & trecenti equites ivere. Vellejus etiam Paterculus Valentiam Coloniam deductam scribit. Fuit quoque nobilissimum Municipium Romanorum, ut Cicero in Verrem actione septima innuit, ubi sic inquit: „ Ipsis Valentinis ex tam „ illustri nobilique municipio tantis de rebus responsun nullum dedistis „. Cicero exilii sui tempore cum Melitam insulam petere statuisset, ut ibi commoraretur quousque res suas componeret, Vibonem, ad Siccam terrestri itinere concessit, ut inde transmitteret. Ceterum ubi Clodii rogationem de suo exilio allatam percepit, per quam cccc. ab Italia milliaria aqua & ignis sibi interdicebatur, ut ipsemet ad Att. libro tertio & xvi. scribit, cum Melitæ sibi esse non liceret, consilio repente mutato a Vibone Brundusium convertit, ut se in Græciam reciperet, verum prius Locros ad clientes suos petit, quo ex loco scribit ad Att. inde Crotonem contendit & Thurios. Quo in itinere omnes Calabriæ civitates, ad quas divertebat, ipsum quam humaniter excipiebant hospitio, ut ipsemet in oratione pro Planco dicit. " Et, ut opinari licet, ipsum & in calamitate pecuniis etiam juvarunt ". Post vero reditum suum in urbem Senatus universus, ut ipsemet Cicero in oratione pro domo sua ad pont. scribit, gratias agendas censuit civitatibus iis, quæ M. Tullium recepissent. In bellis autem civilibus, Hipponium Cæsaris partes est sequuta, ut Appianus Bel. civilium lib. tertio scriptum reliquit. Hic Cæsaris naves quinque a Pompejanis combustæ sunt, ut Cæsar ipse Bel. civilium libro quarto prodit. Hanc urbem Plutarchus Lucaniæ esse dicit. Ex hac urbe fuit *Pestanus* " Latinus " scriptor antiquus, cujus meminit Macrobius Saturn. libro sexto, quem adducit in verbo *transmitto* pro *transeo*. Signabant Vibonienses in numo Proserpinam habentem in capite tiaram, quod ibi ejus templum esset celebre: & ex postico gemina Amaltheæ cornua regionis ubertatem significantia inscriptione Latina, VALENTIA. Interdum incidebant Iovem & ex altera parte fulgur. Aliquando incidebant Herculem, & ex altera facie duas clavas. Interim incidebant Minervam, & ex postico noctuam ejus alitem. Quandoque incidebant Apollinem, & ex altera facie lyram. " Interdum signabant Proserpinam, & ex altera parte cornucopium zona ligatum, & caduceum inscriptione Græca (3) ΙΠΠΩΝΙΕΩΝ.

S 2 Erat

Erat Hipponii magnificentissimum Proserpinæ Phanum plurimis marmoreis columnis ornatum, quas Rogerius Guiscardus Calabriæ princeps Miletum transtulit & in Episcopali æde, atque Sanctæ Trinitatis delubro locavit. Hujus Proserpinæ signum arasque Romani religionis cultores Hipponio ab eis deducta colonia reficientes DCCLXX. m. XC. Sestertios expendere, hoc est usualis nostræ monetæ numorum aureorum xviiii. millia ducenta quinquaginta duo cum quadrante. Nam mille sestertii masculino genere, & sestertium neutro genere idem sunt, valentque aureos numos vigintiquinque. Basis cum inscriptione est Mileti in foribus Episcopalis ædis infimo loco sita transeuntium pedibus conculcata. Quod hi, qui eam ibi locarunt, quive destituunt, sunt vetustatis contemtores, unde & primi versus literæ quædam absumptæ sunt. Cum potius hujusmodi rerum memoria magno esset studio conservanda, ut nobis esset ad imitandum exemplum. Nam si idololatræ vanæ ac falsæ religionis cultores tanto studio, ac tam magnis sumtibus idolorum templa, ac signa, arasque decorabant, quid nobis est faciendum? Inscriptio autem hujus basis hæc est:

L. VID. VIR. ƆL.....Q. CINCIUS. C.
AUL. IIII, VIRI D....SIGNUM PROSERPINÆ
REFICIUNDUM STATUENDUMQUE,
ARASQUE REFICIENDAS EX S. C.
CURARVNT HSDCCLXX M. XC FVERE.
HELVIA Q. F. ORBIA M. FILIA.

Curæ esse debet Hipponiatis basim illam alibi locare, ne tantæ rei memoria prorsus aboleatur. Fuit etiam Hipponium sedes Episcopalis. Synodo Romanæ sub Symmacho Papa interfuit *Ioannes* Episcopus Vibonienfis, & Synodo Nicænæ Secundæ sub Hadriano Papa primo interfuit *Stephanus* Episcopus Vibonienfis." *Orestes* Episcopus Vibonienfis interfuit Synodo Constantinopolitanæ VI sub Agathone Papa. Meminit Beatus Gregorius Papa lib. V ep de *Rufino* Episcopo Viboniensi, ad quem scribit, ut sacris imbuat aliquem in Episcopatu Nicoteriano, sive Nicoteriensi, ea tum Sede vacante". Eruta fuit Vibo ab Agarenis sub beati Nili tempus, quo & Terina, & Taurianum, & Trischenes eversæ fuere. Sedes hæc Episcopalis, necnon Tauriani Miletum translatæ sunt a Gregorio Papa hujus nominis septimo. Celebratur Hipponii nobile emporium ter in annos singulos. Ager hic frumenti & aliarum frugum ferax est. Fit saccarum, & sesama, & oleum clarum. Fiunt perdicum & phasianorum aucupia, extant vericula thynnaria. De bonitate thynnorum Hipponiatis sinus diximus. Sunt in hoc agro pagi *Piscopium*, *Gregorium*, *Vena*, & juxta *Vena* iterum, *Treparnum*, ubi lapis specularis nascitur." *Petrejum*". *Longoburgum* cum linis non ignobilibus.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

I. *Hipponium olim*. Montileonum a *Matthæo Marcofaba* Federici II. Imperatoris a secretis, jussu & auctoritate ejusdem extructum anno Chri-

Christi circiter 1245. atque ex incolis Vibonæ, aliorumque pagorum inhabitari cœptum satis apparet ex quodam Brevi Alexandri IV. sub anno 1255. quod Romæ in Archivio Collegii Græci asservatur, in quo sic legitur: *Ex tenore vestræ petitionis accepimus, quod licet jurisdictio spiritualium in Burgis* Castellarii, Bibonæ, S. Gregorii, *&* Larzonæ, *ac eorum territoriis Militen. Diœcesis ad Monasterium ipsum de antiqua & approbata ex hactenus pacifice observata consuetudine pertinere noscuntur; tamen quia Matthæus Marcofaba tunc Secretarius q. Federici Romani Imperatoris quoddam Castrum quod* Monteleonis *vulgariter appellatur in fundo ipsius* Monasterii *dictis Abbate & Conventu contradicentibus, & invitis de novo construi fecerit multos clericos & laicos locorum hujusmodi ad inhabitandum dictum Castrum minus juste compulit in gravem ipsius Monasterii læsionem. Quare &c.*

Dictum est autem *Montileonum* a tesseris ipsius *Marcofabæ* quæ erant tres montes duobus leonibus interclusi. Vide Petr. Sanct. de tesser. gentil. Nunc Civitas hæc nobilissima priscæ Vibonæ nihil invidet majestati.

Fuerunt hinc *Angelus* & *Antonius* Min. Observ. sanctitate clari. Marc. ab Ulyssip. & MS. Gualt. *Antonius*, *Bernardus*, & *Dominicus* *Franza* fratres in bello Clarissimi Flor. & MS. Mart. *Antonius* *Sorbillus* ab Eugenio IV. creatus Episcopus Miletensis VII. Kal. Augusti 1435. Obiit anno 1466. Ughell. *Cæsar Noparus* Min. Conventualis Episcopus Peranus in partibus infidelium prope Constantinopolim creatus a Clemente VII. 3. Idus Aprilis 1526. ut ex mem Ms. in Conventu Montisleonis a Dom. Mart. laudat. *Dionysius* ex Dominicana familia Theologus celebris, Episcopus Venusinus, creatus a Martino V. Idibus Novembris 1419. Obiit 1431. Ughell. & Fontana in theatr. *Dominicus* ex Min. observ. eruditione clarus, quædam edidit Romæ. Vide Topp. *Dominicus* ex Franciscana reformata familia sanctæ vitæ vir. Obiit Nicosiæ in Sicilia 17. Decembr. 1603. ex Chron. & MS. Mart.

Dominicus *Pizzimettus*, Philosophus, in utraque lingua doctissimus, Prædicamenta Architæ Tarentini ex Græco in Latinum sermonem transtulit: scripsit quoque super Chimicam, & breve Chronicon patriæ suæ, ut ait Scipio Mazzella & MS. Gualt. *Felix Rotundus* Conventualis eruditissimus, multa edidit: *Le Poesie del P. Catalano*, Romæ 1655. *Enchiridium Dialecticum*, Patavii 1672. *Enchiridium Neotericum*, ibidem; aliaque Dogmatica, & Scholastica. P. Franchin. n. 118. *Franciscus Zoda*, pictor celebris, depinxit Panormi pinacothecam regiam: ex MS. Mart. *Joannes* ex Augustiniana familia Episcopus Tagastensis, nobilis cujusdam mulieris filius a Turcis captæ, quæ ob eximiam pulcritudinem Sultani uxor effecta, filium Episcopum fieri fecit, ut ait Dominicus Martyre. Verum apud Herreram in Alphabeto Augustiniano ne verbum quidem de hoc *Joanne*.

*Joannes Falconius*, eruditione conspicuus, edidit *Theoremata legalia* Bononiæ 1587. in 4. Top. *Antonius Mazza* Carthusianus eruditione & morum integritate clarus. Topp. *Joannes Mazza* itidem Carthusianus vitæ

vitæ ſanctitate,pœnitentia,& puritate celebris, Carolo V. Imperatori acceptiſſimus, cui multa prædixit. Obiit anno 1582. *Summont*. Tutin. & MS. Gualt. *Joannes Dominicus* *Fratea* Conventualis quædam edidit: Franchin. & MS. Mart. *Joannes Nicolaus Angelonius* Juriſconſultus inſignis in almaUrbe ut ex ſeq.inſcriptione apud Schraderum Ital. monum. & Topp.

JOANNI NICOLAO ANGELONI DE MONTELEONE JUR. CONS SUMMA ET INTEGRITATE, ET RERUM GERENDARUM PERITIA PRÆDITO, PRINCIPIBUS SUÆ ÆTATIS VIRIS GRATISS. DIANA UXOR, TENOLIA, CASSINDIA, ET HIERONYMA CASTOREA FILIÆ BENEMER. CVRANTE FARNESIO BENNATO AMICO PRÆCIPUO PON. CURAV. VIXIT ANN. XLVIII. OBIIT KAL. JUNII ANNO SALUTIS MDL.

*Hieronymus* Auguſtinianæ diſcalceatæ familiæ ſanctæ vitæ vir. Herrer. & Torell. *Julius Jazzolinus* Philoſophus & Medicus celebris multa edidit Neapoli 1573. & 1588. Vide Mazzell. & Topp. *Joſeph Capalbus* edidit *Hiſtoriam Geographicam patriæ ſuæ* Neap. 1659. in 4. Topp. *Maleager Pentimallus* ſcripſit *Vitam S. Brunonis* ann. 1622. *MS. Gualt.* N. N. Presbyter, ſanctæ vitæ vir, cui Dominus electionem Vincentii Carafæ in Præpoſitum Generalem Soc. Jeſu VII. Idus Januarii 1646. ſequutam revelavit. Hunc nonnulli putant fuiſſe *Dominicum Schinnium*, ut ex MS. Mart. Vide Daniel. Barthol. in vita Vincentii Carafæ lib. 1. Cap. 6. *Silvius Badulatus* Carthuſianus ſcripſit ſuper *Epiſtolas Divi Pauli*: MS. Gualt. & Topp. *Silveſter* inſtituti Capuccinorum Generalis emeritus anno 1593. Roſſignan. hiſt. Seraph. *Thomas* ex Dominicana familia ſanctæ vitæ vir, obrutus eſt Soriani in terræmotu ann. 1659. MS. Mart.

Noſtris vero temporibus *Leo Lucas Vita* an. 1734. creatus Epiſcopus Oppidenſis. *Cæſar Biſogno* in legalibus & poeſi præſtantiſſimus edidit poemata varia & Allegationes Juris Neap. 1715. *Ioſeph Biſogno de Gattis* publico juri fecit librum cui titulus: *Hipponii, ſeu Vibonæ, Valentiæ, vel Montisleonis Auxoniæ Civitatis accurata hiſtoria*. *Neap.* 1710. *Dominicus Potenza* Presbyter eruditione clarus, aliique quamplurimi.

2. *Valentiam appellavere*. Nempe a *fortitudine*, non ſine alluſione ad *Valentiam* oppidum Latii, quod poſtea *Roma* appellatum eſt ab Euandro, ut Solinus ait cap. 2. Ρώμη *Roma* ſiquidem, ſi Græcis credimus fortitudinem ſonat. Vide Plin. lib. 3. cap. 5. Verum eruditiſſimus *Franciſcus Marianus* noſtræ Vaticanæ Baſilicæ Beneficiatus & amicus noſter, in ſuo opere *de Etruria Metropoli* non a Græco ſed ab Hebraico deductum putat רמח *Romah* quod *haſtam* ſonat, ſicuti & *Quiris*, unde Romani *Quirites* ſunt appellati.

3. ΙΠΠΩΝΙΕΩΝ. Vide Golt. & Paris.

## SERTORII QUATTRIM. ANIMADVERSIONES.

(a) *Hipponium*, Nunc *Monteleone*: Viget hic nobiliſſima Silva, quæ a nonnullis putatur *Lucus Agathoclis*, cum proximi fontes ibi derivari potuerint. Itaque legendum apud Plinium Vibonenſis *Lucus*, & non *locus*.

CA-

# CAPUT XIII.

## *De Briatico, Tropæa, eorumque Pagis, ac de Jopoli ubi de Augustino Nipha Philosopho.*

POst Hipponium (1) *Briaticum* oppidum est edito loco milliario a mari sepositum, distat a Montileono m. p. quatuor. In mari statio est *Nicola* dicta, & juxta *Praca*, & *Braces*, & *Turrecula* (2) modicæ insulæ sunt, *Ithaceusæ*, a Plinio nuncupatæ. Ait enim: „ Contra Hipponium insulæ parvæ sunt, quæ Ithaceusæ appellantur, „ Ulyssis specula, sunt & (3) retia thynnaria „. In Briaticensi agro vina & olea clara fiunt, item xylon, & sesama, & amygdalarum copia, & varii generis fructus optimi, laudatur & Apiana uva. Extant & viridaria citrorum, limonum, & malorum aureorum. Nascitur & sponte ubertim in collibus arido loco, ubi nec aliud seri, aut nasci potest, herba angusta & longa duorum cubitorum ad fiscorum, sportarum, & restium, verriculorumque usum, & vinearum ligamenta apta, præbet & bobus pabula, *votumum* vocant incolæ, ego *spartum* " subrusticum " id esse autumo. (4) Sunt in hoc agro pagi, *Mantinæum*, quod vaticinium notat: *Paraconum* quod significat salutare: nec procul est *Paradionum*, quod præter odium sonat: & ei conterminum est *Cœnidonum*, id commune donum significat: & prope est *Mesonum* a meso idest medio dicto. Inde est *Syconum* a ficuum ubertate dictum: & ei vicinum est *Favelonum*, & juxta est *Cisidonum* a Cisso desidero nominatum. Inde est *Cochiceronum*, & *Marcum*, & *Sophadum*, quod sapientem cantum significat. Item *Conum*, & *Pisitonum*, quod humidum locum sonat. Exin Tropæam versus sunt *Polycarpum*, *Leum*, ubi rubrica fabrilis nascitur: *Constantinum*, *Potentionum* cum soleis optimis. *Rosarnum*, *Madaradonum*, quod salvum donum significat, *Sterapodonum* quod solidum pedem notat. Post Briaticum *Sabronum* promontorium est Hipponium appellatum ab Isacio, distat a Briatico m. p. viii. Intus est (5) *Mesianum* oppidum cum nundinibus quæ in singulos annos celebrantur. Ager Mesianensis frumenti & aliarum frugum ferax est, fit & optimi olei copia, provenit in agro hoc crocus silvestris. Suntque pagi *Zeugarium* quod jumentum sonat, *Papelontum*, *Picinum*, quod densum significat, *Argiona*, quod venationem notat, *Scaletum*, *Cœlandarium*, quod significat vallem, *Prasinacum* a prasia areola herbarum, *Pernocarium* a pernos aquilæ specie, & *Pernocarium* iterum, *Orcilladum* ab orcillo adjuro, *Rombiolum* a rombeo volvo dictum: *Caryvatum* a Carya nuce: *Moladum* ab eventu aliquo, moleo enim significat pugno. Ad mare (6) (*a*) TROPÆA civitas est, mari incumbit, a tropæo retroverto dicta, quod, ut licet opinari, dux quispiam Romanus Classis præfectus ex Africa, aut aliunde reversus eam condiderit, aut ex castello, quod hic erat, in urbem aucta. Non enim ora hæc vinetis & olivetis, aliisque arboribus impendio commoda

moda absque habitatoribus, frequentibusque villis ab Auxoniis, & inde ab Oenotriis, aliisque Græcis destituta fuit. Meminit hujus urbis Stephanus Bizantius, quam *Postropeam* vocat. Fuit Iustiniani Imperatoris temporibus. Distata (7) *Sabrono* promontorio m. p. sex. Est & sedes Episcopalis antiqua. *Theodorus* Episcopus Tropiensis interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ, Et *Stephanus* Episcopus Tropiensis interfuit Synodo Nicænæ secundæ, & *Laurentius* Episcopus Tropiensis interfuit Synodo Romanæ sub Symmacho Papa. In æde divi Francisci una spinarum coronæ Dominicæ asservatur. Hic mercatus quotannis celebratur. Fiunt panni gossipini nobiles. Secundum urbem insulæ adjacent duæ cum statione. Vivit modo hujus urbis civis " *Vincentius Laureus*, Medicus, & Philosophus clarus " & a Pio V. Episcopus Vondivi creatus". Vivit & *Petrus Vianeus* medicus Chirurgus, qui, præter cetera, labia & nasos mutilos integritati restituit. In hoc agro provenit (8) Staphisagria, nascitur & ingens votumi copia. Sunt in Tropæanensi agro pagi plerique Græcis appellati nominibus. Juxta urbem parte leva est *Paralia*, quasi maritima, quod secus littus sit. Inde est *Sabronum*, quod edacem significat cum oleo & vino nobili. In his pagis gossipii ubertas fit, supra est *Joannum*. Inde urbem versus est *Daphina*, & juxta, *Daphina* iterum, a lauris dicta, postea est, *Phitalis*, quod plantam hortumque arboribus consitum significat. Supra est (9) *Zacharopolis* quasi utilis civitas. " Ex hoc Vico fuit *Mansuetus* Divi Francisci coenobita, sanctæ vitæ vir tempore B. Ludovici: ejus corpus Consentiæ quiescit "; & prope est *Aliphitum* a bonitate olei dictum. Cui contermina est *Drapea*, quod maturam messem sonat. Dein est *Chespanum* a cheo fluo dictum cum optimi olei copia. Et ei propinqua est *Charia*, a valle dicta. Exin est *Britarium*, quod scatens ac fervens notat: & prope est ejusdem nominis amnis: intus est *Chorametum*, quod regionem vini sonat: ei proxima est *Dominica*. Hic pagus quomodo initio vocatus sit compertum non habeo, nunc *Dominica* dicitur, quod in eo beata DOMINICA nata sit, eique templum erectum, tametsi quidam " Calabræ gloriæ invidentes " eam (10) Campaniæ tribuant," & huc ejus corpus miraculo, neque modo, neque tempore expresso, delatum fabulantur". In mari (*b*) portus est Herculis, *Formiculas* vocant accolæ, Herculis formas: cujus meminit Plinius, itemque Strabo, qui ubi de Hipponio fatus est, ait: „ Cum ad Herculis portum navigas, extrema Italiæ circumflectis „: est enim haud procul a Vaticano promontorio: Secundum portum hunc statio quædam est, & *Gadanus* scopulus; nec longe *Mescheta* & *Proteria* stationes alteræ sunt: dehinc (*c*) *Vaticanum* promontorium occurrit, Terinæum Hipponiatemque sinum efficiens, a vaticinio aliquo dictum, & ejusdem nominis amnis, distat a Tropæa m. p. septem. Hinc rursus *Geoleensis* sinus incipit & usque ad *Cænidem* promontorium protenditur. Contra est *Mantinæus* scopulus a Vaticinio itidem dictus. Ab urbe hucusque ora hæc vinetis & olivetis est referta. Intus est *Nicolaum* pagus, & prope est *Briadum*, quod floridum, lætum,

lætum, ac delitiosum significat, cum ficis optimis. Inde est *Orchiladum*, ab olei copia dictum, orchis enim oleam sonat. Juxta est *Rigadum*, quod sedis ruinas notat. Intus rursus sunt *Bryanacalum* a bryo & ana iterum & calos dictum, quod ager hic bonum semper scaturiat: prope est *Lapathonum* a lapatho herba dictum, hic bumastus uva optima fit: exinde est *Panagia*, quod totum purum significat, & juxta est *Spilinga* quod saxum concavum significat: dein est *Condrochinonum*, quasi fructus particeps, nec longe est *Carciladum*, quod cancrum sonat. Inde est (11) *Jopolis* exiguum castellum edito eoque salubri loco situm quasi Diopolis, hoc est Jovis civitas, haud nimium a mari semotum (12) AUGUSTINI NIPHÆ philosophi patria. Quem Sinuessani quasi Julia lege repetunt Sinuessam. Hic cum jam puer, mortua matre, a patre & a noverca (duxerat enim ejus pater aliam uxorem) male haberetur aufugit domo & se Neapolim recepit. Quem præclaram præ se indolem ferentem Sinuessanus quidam cum esset intuitus Sinuessam in domum suam duxit, ut liberis suis inserviret. Qui quod acris ingenii, ac gloriæ cupidus esset, simul cum illis in literarum studium incumbit. Atque inde cum eisdem Patavium profectus philosophiæ studio acriter navavit operam. Cumque postea Sinuessam ac Neapolim reversus patrem omnia bona dilapidasse, atque subinde mortuum esse percepisset, noluit amplius Jopolim patriam suam redire, sed Sinuessæ uxorem duxit, & Neapoli multos annos philosophiam publice est professus. Floruit Leonis decimi temporibus" in cujus gratiam Medicæ familiæ cognomen sumsit", & obiit Pauli tertii pontificatu, " senio confectus. (13) Scripsit in omnes fere Aristotelis libros Commentarios". Extat adhuc Iopoli Nipharum familia. Verum ipse in Sinuessanorum gratiam, quod apud eos aliquando degerit, uxoremque duxerit. Senuessanum se scribebat. Quanquam sæpius in gymnasio palam Calabrum se esse fateretur, & in epistola, quæ est ad Joannem Arenarum principem in Commentario super perihermenias se Calabrum esse testatur. Id quod tamen in secunda operis editione sublatum fuit " postea tota epistola sublata ". Sed porro vani ac dementis est alienam gloriam aucupari, & inopem laudis aliena laude prædicare se gloriosum. Fit Jopoli olei copia, & amygdalæ laudatissimæ, ac præter ceteros fructus, pira nobilissima, & pepones optimi, fit & sericum nobile. Extant & horti nemorosi citrorum, limonum, & malorum aureorum. In hoc agro votumi herbæ copia nascitur. Est & *Cocurinum* pagus.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Briaticum*. A Græco Βριάω *robustum reddo*. Civitas namque est fortissima, undique rupibus circumsepta. Nonnulli putant sedem Episcopalem fuisse a vocis affinitate cum *Umbriatico*; sed conjecturæ non suppetunt. In Diœcesi Miletensi.

2. *Modicæ insulæ sunt*. Nunc parvi scopuli prominent.

3. *Retia thynnaria*. In hoc mari thynni expiscantur raræ magnitudinis & bonitatis, quod nec latuit Archestratum apud Athenæum lib.

 VII.

VII. *Si forte Hipponii Italiæ perveneris oras, optimi erunt illic thynni cunctorum.*

4. *Sunt in hoc agro pagi.* Ex his septem jam interierunt, nempe *Mesonum*, *Cochiceronum*, *Sophadum*, *Pisitonum*, *Polycarpum*, *Rosarnum*, & *Sterapodonum*. Pertinet Briaticum cum pagis ad Diœcesim Miletensem.

Fuit ex hac Civitate *Ferdinandus Bisbal*, Præses M. Curiæ in Sicilia: ex MS. Gualt. *Ferdinandus Conca*, qui a Turcis captus linguasque orientales impense edoctus Sultano sistitur, variisque ministeriis addictus, tandem ad Regem Ferz legatus mittitur. Verum vi tempestatis Siciliam appulsus ad Proregem ducitur, inde ad Philippum II. a quo benigne exceptus Excuriali liguarum magister præficitur. MS. Gualt. *Franciscus Nottuccius* ex Archidiacono Miletensi Episcopus Oppidensis 3. Non. Julias ann. 1542. Ughell. *Nicolaus Antonius Gravatius* Jurisconsultus Venetias concessit, ubi librorum impressionibus præfectus, multa edidit, emendavitque; veruntamen veneno ob invidiam sublatus est. Gisner. in bibl. & MS. Gualt. *Paulus* ex Minimorum familia sanctæ vitæ vir, Cœnobium Catacense fundavit ann. 1577. & aliud Arocellæ ann. 1580. ex Chron. *Vincentius Godanus* Regni Siciliæ Secretarius. MS. Gualt. Nostris autem temporibus *P. Antonius Nicolinus* Alcala Jurisconsultus eximius in Patavina universitate Cathedraticus: multa scripsit. *Joachimus Tambatus* Cisterciensis eruditissimus.

5. *Mesianum.* Oppidum vetustissimum cum arce nobili, *Castrum Cybelis* dictum, quod Hipponiatæ *Messen* a messium ubertate appellarunt. Dicuntur autem *messes*, ut Varro fert, quod in medio secarentur: *medium* autem Græce Τὸ μέσον. Nunc pagus tenuissimus est, arx omnino diruta, templique Cybelis prope *Palælontum* vicum rudera vix dignoscuntur. Destructum fuit oppidum, ut conjicitur ex Archivio Miletensi, circa initium præteriti seculi. In Diœcesi Milet.

Fuit ex hoc loco *Bernardinus Barone* Regi Feerdinando II. acceptissimus, muneribusque auctus peculiari diplomate IV. Idus Junii 1498. MS. Gualt.

6. *Tropæa.* A verbo Græco Τρέπω *verto*; quod usque huc maris æstus interluendo pertingat, indeque revertatur *Lamenticum* inter, & *Geoliensem* sinum. Stephanus *Postropæam* appellat, quod *Portas Herculis* antea appellaretur, ut ipse putat. Alii aliter legunt, nempe *Prostropæam* Græce προστροπαιαν *ad Tropæam*: vide Luc. Holsten. in notis ad Cluer. Constantinus Lascaris *Trophæam* dicit, quod Scipio ex Aphrica victor rediens eo appulsus sit diis libaturus, ibique trophæum devoverit. Janus Parrhasius noster *Triumphæam*, quod Pompejus exercitu Cæsaris fuso ad Promontorium Vaticanum triumphum reportaverit. Paulus Jovius *Portum Herculis* nuncupatum credidit, quod ab ipso vel initium vel incrementum acceperit. Ut ut sit, Civitas vetustissima existimatur ab Ausoniis, aut certe ab Oenotriis fundata, deinde a Græcis vel restaurata ædificiis, vel habitatoribus aucta. Regibus fidelissima, ac privilegiis & libertate donata omni virtutum genere floruit.

Fuit *Tropæa* illustrium hominum mater

mater ſemper fecunda, & præter paucos a Barrio huic civitati adſcriptos fuit ex hoc loco *S. Dominica* Virgo & Martyr, de qua infra, *SS. Dorotheus* & *Arſenia*, ſeu *Euſebia* ut in menolog. Græc. Sanguinis nobilitate ac Chriſtiana pietate clari, parentes *S. Dominicæ*, qui a Diocletiano ad Euphratem pulſi illuſtre martyrium pro Chriſto ſubiere, ut in MS. Martyrenſi. *Laurentius* Epiſcopus & Civis ann. Chriſti 499. *Joannes* Epiſcopus & Civis ann. 649. *Theodorus* 680. *Stephanus* 787. *Colochinus* 1089. *Juſtegus* circ. 1094. *Gerutus* 1155. *Stephanus* II. 1156. *Herveus* 1157. *Coridon* 1158. *Colandinus* circa idem tempus. *Riccardus* I. 1215. *Riccardus* II. 1315. MS. Mart. & Flor. Vide Concil. gen. Labb.

*Vincentius* Laureus S. *R.* E. Cardinalis, tametſi nonnuli *Paraliam* Tropææ pagum repetant. Natus eſt V. Kal. Aprilis ann. 1523. ex *Antonello Laureo*, & *Raymunda Migliareſia*. Apud Cardinalem *Petrum Paulum Pariſium* Fillenenſem civem noſtrum Romæ educatus, tantum bonis literis ac pietate profecit, ut ad varios Principes Legatus, mirum quot labores pro Sancta Eccleſia Catholica exantlaverit. S. Pio V. acceptiſſimus, & Gregorio XIII. a quo Calendarii Romani emendationis provincia concredita fuit, & inter Purpuratos Patres cooptatus ann. 1583. Sancto Carolo Borromæo in deliciis erat, parumque abfuit quin ſummus Pontifex renuntiatus ſit. Tandem ſenio confectus obiit Romæ magna doctrinæ & Sanctitatis fama die XII. Kal. Januar. 1592. Hæc de eo ait Flaminius Pariſius in Epiſt. nuncupatoria De Reſign. Beneficior. *Vir ſapiens & alta quadam mente ac judicio præditus, Vincentius Laureus Cardinalis Montis Regalis, cujus patrocinium jam diu ampliſſimum mihi eſſe atque ornatiſſimum intelligo.* Vide adnot. lib. II. Cap. VIII. num 12. Vide etiam Oldoinum, Roger. Tritonium in ejus vita, Sper. lib. 3. de nobil. profeſſ. Paul. Freher. in theatr. to. 1. alioſq. Sepultus eſt in Eccleſia S. Clementis tituli ſui, ubi extat inſcriptio hæc partim ab ipſo dum viveret, partim ab heredibus concinnata:

*D. O. M.*
*HIC JACET VINCENTIVS LAUREUS*
*TIT. S CLEMENTIS S. R. E. PRESB. CARD.*
*MONTIS REGALIS NUNCUPATUS*
*OBIIT XII. KAL. JANUARII*
*MDXCII.*
*RELIGIO MINISTRANTIUM INFIRMIS*
*HERES OPTIME DE SE MERENTI*
*EX TESTAMENTO POSUIT.*

Adeſt ibidem & alia inſcriptio:

*D. O. M.*
*VINCENTIO LAVRO PHILOSOPHO, POETÆ, ORATORI LATINE ET GRÆCE ELOQVENTISSIMO, OMNIQVE VIRTVTVM ET CIVILITATVM GENERE SVMMIS PRINCIPIBVS PROBATISSIMO, QVEM GREGORIVS XIII. BONCOMPAGNVS ANNO A JVLIANIS MENSIBVS CONTRACTIS ALTERO AD HONOREM PVRPVRÆ JAM SEXAGENARIVM EVEXIT. OBIIT DECENNIO POST, TRABEAM IMMORTALITATIS BEATIOREM NACTVS, RELICTO HEREDE SODALITATE MINISTRANTIVM INFIRMIS. CHRISTOPHORVS LAVRVS TROPIENSI - PERVSINVS NON LONGA SERIE AFFINI PROPIVS PATRONO BENEFICENTISSIMO, SVÆQVE IMITATIONIS ARBITRO, QVEM ET LEGATVM IN ANGLIAM A PIO V. MISSVM EST SEQVVTVS, MVLTIS CVM LACRIMIS P. MDXCII.*

*Alphonſus Alvarez Guerrerius* Epiſcopus Monopolitanus circa ann. 1566. Obiit ann. 1577. Topp. *Alphonſus Mancus* Cleric. Regul. min. Generalis emeritus, edidit quædam. Vide Topp. *Joannes* ex Minimorum familia ſanctæ vitæ vir, Tropæani

Cœnobii ann. 1543. & Briaticensis ann. 1550 fundator. *Andreas* itidem pietate conspicuus Oppidense Cœnobium ædificavit ann. 1610. ex Chron. *Antonius Barone* Soc. Jesu edidit *Vitam* S. *Dominicæ* V. & M. Neap. 1692. in 4. & *vitam* Sertorii *Caputi Paternensis*, ut ex MS. Mart. *Antonius Fazzarus* thoracatorum militum dux: ex eod. *Antonius Laureus* Episcopus Belicastrensis 1599. Obiit 1609. Ughell. *Antonius Niphus* in utraque lingua doctissimus, in bello clarus. Lelli sup. fam. *Antonius Paparottus* Dominicanæ familiæ vitæ integer. Obiit Soriani in terræmotu ann. 1659. MS. Mart. *Antonius Spanous* pictor celebris circa initium præteriti seculi, Regi Philippo apprime charus, depinxit partem Excurialis. MS. Gualt.

*Bernardinus Vulcanus* M.C.V. Judex MS. Gualt. *Bernardus* seu *Bernardinus Laureus* Dominicanæ familiæ doctissimus, tametsi alii *Amantheam*, repetant, Episcopus Sanctorinensis in Græcia sub Pio IV. 1565. Fontan. in monum. *Cæsar Romæus* Philosophus, Medicus, & Poeta celebris, multa edidit. V. Topp. *Rogerius Laureus*, Vincentii proavus, Petri Aragoniæ Regis classis præfectus Roger. Triton. in Vita Vinc.

*Dominicus Fazzalius*, Dux militum. MS. Mart. *Franciscus Gabrielius* Jurisconsultus eximius, Marafiot. *Franciscus Nomicitius* Episcopus Alesinensis, obiit 1507. Hunc Marafiotus N. *Nomicosum* scribit, inscriptionemque laudat, Florius *Ormicisium*; Ughellus vero Neapolitanum facit. *Gaspar Toraldus* ex Archidiacono Tropæensi Vicarius Generalis Miletensis, Mox Episcopus Bitettensis, tandem Episcopus Tricaricensis ann. 1676. Obiit mense Decembris 1681. MS. Mart. *Joannes* & *Domitius Niphus* fratres in bello clarissimi. Lell. sup. fam. *Ioannes Tropæanus* Ferdinandi II. Cubicularius. Maraf. *Joanninus Malatacca* Episcopus Oppidensis creatus a Bonifacio IX. ann. 1394. Ughell. *Joannuccius Senatore* Ladislai Regis Familiaris ann. 1404. MS. Gualt. *Joannes Andreas Mediotesta* Dux militum, Crotone Mustaphum Turcam singulari certamine occidit. Engen. sup. Trop. qui tamen cognomen familiæ non indicat.

*Hieronymus Lancellottus* ex Decano Tropæensi Episcopus Policastrensis ann. 1438. Ughell. *Hieronymus Sannius* Philosophus & *Medicus* præstantissimus. V. Maraf. *Julius Cæsar Galluppus* Jurisconsultus multa edidit, ex quibus satis apparet Tropæanum fuisse; iccirco Toppius corrigendus qui Neapolitanum credidit. Constat etiam ex MS. Gualterii. *Gotifridus de Castro* Episcopus Martyranensis ann. 1442. mox Episcopus S. Marci. Obiit 1484. Ughell. sup. Diœces. S. Marci. *Ludovicus Vulcanus* Dux triremium Maraf. *Laurentius Dardanus* in quodam a se confecto volumine hæc ait: *Ad scopulos Tropææ proximos Messagios appellatos vi tempestatis quassatus nudus apparuit homo civibus obstupentibus, a quibus interrogatus quis esset, nequidquam locutus est, sed innuit velle se scribere, allataque papyro scripsit*, Nescio quis sim, vel unde, nec quomodo huc venerim: vita mea brevis est. *Post horam occubuit, & ante portam Ecclesiæ S. Joannis sepultus fuit*. V. Maraf. lib. 2. cap. 18. *Jeracius Barone* Carolo I. acceptissimus, muneribusque auctus ann. 1279. *Campanil.*

*Aloy-*

*Aloysius Ventus Magnus* equorum Magister Maraf. sed Eugenius nihil de hoc. *Marius Laureus* Vincentii Cardinalis frater ex Dominicana familia doctissimus Episcopus Campaniæ & Satriani VII. Kal. Febr. 1560. interfuit Concilio Tridentino, ubi sapientissime disputavit. Card. Pallav. Abb. Justin. Ughell. aliiq. *Matthæus* Episcopus Puteolanus Non. April. 1434. eodemque anno obiit. Maraf. qui tamen nomen non indicat, appellatque cognomine *Grisconium*; Ughellus autem *Matthæum Custiam* appellat. *N.* Episcopus Neocastrensis. Monum. in Monast. S. Sergii Trop. N. *Galluppus* in Bello Lusitano clarus. MS. Gualt.

*Octavius Gloritius* Jurisconsultus Cathedraticus celebris Neapoli & Messanæ, multa scripsit *de Principiis naturæ* Venet. 1571. & *de Divina providentia*. Maraf. & Topp. *Salvator Mosca* Episcopus Vicensis ann. 1451. Ughell. *Theophilus* ex Dominicana familia Theologus insignis, Paulo IV. acceptissimus, Commissarius S. Inquisitionis, diu cum hæreticis luctatus est. Fontan in monum. Gualterius tamen in MS. Briaticensem facit. *Theophilus Galluppus* Episcopus Oppidensis ann. 1561. Interfuit Concilio Tridentino. Ughell. *Annibal de Petro Paulo* Episcopus Castrimaris 1684. sed hic ad *Paraliam* Tropææ pagum pertinet. MS. Mart.

Nostris vero temporibus *Nicolaus Pelliccia* Presbyter, Jurisconsultus, *Franciscus Galluppus* eruditissimus *Silvester Stanous* Episcopus Minorinus anno 1722. aliique non pauci.

7. *Sambrono*. Vulgo *Capo di Zambrone*.

8. *Staphisagria*. Genus vitis agrestis: a Latinis *pituitaria* & *pedicularis* appellatur. Vide Plin. lib. 23. Cap. 1.

9. *Zacaropolis*. Patria *Pauli Colliæ* ex Minimorum familia ex Larinensi Episcopi Nicoteriensis ann. 1726.

10. *Campaniæ tribuant*. Ubi S. *Dominica* Græce Κυριακὴ Martyrio coronata est sub Diocletiano die VI. Julii, anno, ut puto, humanæ salutis 300. persecutione decima. Verum sacrum corpus ab Angelis divinitus Tropæam translatum, ubi religiosissime colitur, adstipulante traditione tot seculorum, ac testimonio S. Bernardini Senensis, satis vindicat patriam suam. Vide Bolland. qui tamen cum S. Euphemia S. Dominicam confundit, & ex duabus unam facit. Fuit etiam ex Dominica *Archangelus* Dominicanæ familiæ doctrina, & sanctitate clarus. Lopez & Amat.

11. *Jopolis*. Sunt qui putant cum Mugnos de fam. oppidum hoc ædificatum fuisse a quodam *Arthedoro Jopoli* Græco Duce sub Carolo II. Andegavensi; sed potius, ut puto, ab hoc Rege Duci illi ob aliquod præclarum facinus concessum: nec ipse oppido nomen sed oppidum ipsi cognomen dedisse. Ut ut sit, satis habitatoribus est refertum, & pertinet ad Diœcesim Rhegiensem.

12. *Augustini Niphæ*. Præter Lellium, paucosque alios, scriptores omnes tum nostrates cum exteri Calabrum faciunt. Vide Petr. Ang. Speram, Gabriel. Naudeum, Paul. Jov. aliosque.

13. *Scripsit &c. commentarios*. Scripsit etiam *de Astronomia*. Quinimmo anno 1524. cujusdam Monachi

chi impoſtura rumor increbuit menſe Februario ex planetarum aſpectuum in ſigno Piſcium conjunctione diluvium futurum, quo omnes abſorberentur; adeo ut non pauci utriuſque Siciliæ proceres in cacuminibus montium ædiculas ſibi conſtruxerint, populuſque concepta formidine conſternatus ad Auguſtinum Nipham Philoſophum & Aſtronomum peritiſſimum confugerit; qui ſedata multitudine, verbo & exemplo nihil timendum eſſe conſtanter aſſeruit. Res ita accidit: nihil imbrium menſe illo, imo ſumma ſerenitas. Joſeph. Bonf. hiſtor Sic. lib. 2.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Tropæa*. A *Tropæo reverto* dicta; non quod Romanus quiſpiam Præfectus claſſis ex Africa rediens eam condiderit, ut ſentit Barrius; ſed quia æſtus Siculi freti hucuſque excurrit, inde Meſſanam non minori impetu retrocedit: A Stephano Bizantio *Poſttropæa* dicitur.

(*b*) *Portus Herculis*. Tropæa ſecundum aliquos.

(*c*) *Vaticanum Promontorium a vaticinio aliquo dictum*. Hoc eſt divinare. Sunt qui dictum credant, quoniam Sibylla Cumis derelictis, & Lilybæo, iſtic vaticinata ſit; quod non recipio, cum nuſquam apud idoneos invenerim.

# CAPUT XIV.

## *De Nicotera & Mileto, ac de eorum Pagis & Vicis.*

EXinde eſt (1) (*a*) NICOTERA civitas ſedes Epiſcopalis edito ſalubrique loco ſita mari imminens. Septem m. p. intervallo a Vaticano promontorio abeſt. Olim" a Græcis *Madma*, a Romanis, vel Domitiani ætate *Medama* validioris ſoni gratia dicta", quo tempore ſcripſit Plinius. Antonini vero Pii tempeſtate aut paulo ante Nicotera ideſt Victrix dici eſt cœpta. Cujus idem Cæſar in itinerario ſemel atque iterum meminit. Quidam puerili atque anili opinione ducti in littore duobus locis Medamam fuiſſe, biſque everſam fabulantur: Cum a Domitiano ad Antonini tempora anni interceſſerint quadraginta paulo amplius aut minus. Jam pulſo ab Italia Annibale uſque ad Honorii principatum, quo tempore Gothi irruperunt, nil ab exteris paſſa eſt Italia. Sed qui priſcis condendarum urbium mos fuerit dicemus. Conjiciendum eſt Romanæ Claſſis præfectum, aut Nerva, aut Trajano, aut Adriano imperante, qui inter Domitianum, & Antoninum Pium fuerant ex Africa aut aliunde cum victoria revertentem acceptos e claſſe permultos huic urbi dediſſe accolas, & ea ex victoria nominaſſe Nicoteram, & inſuper Tropæam civitatem a ſe auctam, & a reverſione appellaviſſe Tropæam. Fuit Medama urbs a Medama fonte appellata, ut vult Hecateus apud Stephanum. De hac Strabo ita refert:

„ Me-

„ Medma, Locrorum ædificium, Madama a Romanis, & prope ejuſ-
„ dem nominis fons magnus. Quæ nobile emporium habuit. Ante
„ littus hoc Liparenſium jacent inſulæ longe ab euripo xxv. m. p. „
Hoc ipſum ſcribit Plinius. (2) Ex hac urbe fuit *Philippus* vir, ait
Stephanus, maximæ exiſtimationis, qui ſcripſit De ventis. *Sergius*
Epiſcopus Nicoterenſis interfuit ſynodo Nicænæ ſecundæ, ſub Hadriano Papa anno Chriſti Dcclxxxi. Meminit hujus urbis Joannes Joachinus abbas ſuper Eſaiam licet mendoſe pro Nicoterenſi Geracotranenſis legatur. In æde beatæ Mariæ beati *Pauli* Synopolitani Minoritæ corpus quieſcit. Hic ſerica & lina clara fiunt. In hoc agro pagi ſunt *Comerconum*, *Pryetonum* (3) *Calofytonum*, quod pulcram plantam ſignificat, *Vatunium*, a bateo abundo, & *Carinetum* a cariza nuce. Non longe ab urbe ſtatio eſt fida navigiis. Inde *Metaurus* amnis navigabilis mare illabitur, cujus meminit Strabo. Intus eſt (4) *Philocaſtrum* oppidum edito amœnoque loco ſitum, quaſi amabile caſtrum. Hic ſerica, & vina, & olea clara fiunt, & fructus optimi: Sunt in hoc agro pagi *Nicolaum* cum emporio nobili, *Libadum* a loci amœnitate dictum: *Caronum*, quod ſignificat fortem, & *Madaranum*. Exinde eſt *Calimera* caſtellum, quod bonam diem ſignificat; cum mercatu annuo. Cujus ager, ſicut Philocaſtri aquis irriguus eſt. Extant & horti nemoroſi limonum, citrorum, & malorum aureorum, fiunt olea laudatiſſima, & fructus optimi. Extat & fons ſalſam aquam manans, ex qua fit muries. Nec longe eſt *Calocerum* puſillum caſtellum, quod bonam cæli temperiem ſignificat. In hoc agro, gypſum marmoroſum & ſpeculare exciditur in ripis *Litromæ* fluvii, qui hunc a Miletenſi agro diſcernit. Poſtea eſt (5) MILETUS civitas vetuſta inter duos amnes edito loco a Mileſiis Aſiæ populis condita. Nam, ut Herodotus libro ſexto auctor eſt, Mileto Aſiæ a Dario everſa, Mileſii, qui ea clade ſuperfuere, privati patria, ut quondam Trojani una cum Samiis liberis & conjugibus ſuſceptis novam ſedem conquirentes Rhegium pervenerunt. Qui ab Anaxilao Rheginorum tyranno ſuaſi, Zanclem hoc eſt Meſſanam obſident, ſed quia numero longe erant inferiores a Zancleis victi fuſique ſunt, ſuperſtites vero ſiniſtræ fortunæ tædio affecti, cum in Sicilia eſſe ſibi non liceret, in Calabriam redeunt. Et Samii Samum Calabriæ urbem a Samiis jam olim conditam pergunt ire. Mileſii vero ad Medmæum littus appellunt (abeſt Madama a Meſſana m. p. xl) ac quietem a maritimis caſibus perturbationibuſque ſemotam ſedem quærentes hanc condunt urbem, quæ diſtat a Medmæo littore m. p. octo, eamque priſcæ patriæ nomine, quaſi adhuc illam colentes Miletum vocant, ut Locri Naritii Locrum in Calabria condidere, utque illi Locri, ab hac Locrenſes; ita a Mileto Aſiæ Mileſii, ab hac Miletenſes dicuntur. Sunt nempe in Calabria pleraque loca iiſdem nominibus appellata, quibus Græciæ aut Aſiæ loca: ut Temſa, Pandoſia, Thuria, Miletus, Scyllæum, Amphiſſa, Locrus, Samus, Thebæ, Meliſſa urbes. Item Acheron, Butrotus, Crathis, Sybaris amnes. Hic (6) Rogerius Guiſcardus, junior Roberti ex fratre nepos Calabriæ princeps nobile templum divo Nicolao extruxit, marmoreiſque columnis, quas ex Hipponio ex-
porta-

portavit, ornavit. Atque anno humanæ ſalutis (7) M. vclxxxxv. Gregorio hujus nominis ſeptimo Pont. Max. jam Hipponio & Tauriano ab Agarenis erutis, in Epiſcopatum erexit, & magnis proventibus ditavit. Primus Epiſcopus fuit Arnulphus. In hujus templi valvis inferiori loco eſt baſis illa, de qua alibi locuti ſumus. Franciſcus Maurolicus homo Siculus, Neotericus ſcriptor Sicula vanitate præditus Miletenſem, & Marcenſem Calabriæ epiſcopatus Meſſenio Archiepiſcopo olim fuiſſe ſubjectos temere ſcribit, depravati textus Joannis Joachini lectione deluſus, neſciens judicii inops Joachinum ſingulæ regionis Epiſcopatus deſcribere; & cum Calabriæ Epiſcopatus deſcribit, Miletenſem, & Marcenſem Epiſcopatus in ea deſcribit, & Marcenſis Epiſcopatus Melivitenſi, Temſano quondam, ſuffectus eſt, qui Melivitenſis Epiſcopatus ad ſedem Apoſtolicam olim pertinebat. Miletenſis vero, ut dixi, Hipponiati & Tauriano Rhegino præſuli ſubjectis eſt ſubrogatus. In hoc Miletenſi delubro multorum Sanctorum fruſta aſſervantur. Sunt enim fruſtula linteaminis, quo Chriſtus fuit conditus in ſepulcro, pepli beatæ Mariæ Virginis, Perpetuæ & Felicitatis, Victoriæ & ſociorum, Proceſſi & Martiniani, Petronillæ, Anaſtaſii, Arnulphi Epiſcopi, Silveſtri, Macarii, Leonis, Cryſanthi, & Dariæ, Martini, Stephani, Blaſii, Cornelii papæ, Alexii, Marcellini, Chriſtophori, Sebaſtiani, Barbaræ, Domitillæ, Laurentii, Hilarionis, Pancratii, & aliorum quorundam: in ædicula quadam eſt fruſtulum crucis Dominicæ. Condidit etiam idem pius princeps anno virginei partus (8) M.cii. in Mileti Suburbiis in ſpecula magnificentiſſimum ſanctæ Trinitatis templum quod marmoreis columnis ex Hipponio allatis ſuſtentatur. Quod templum Caliſtus Rom. Pont. hujus nominis ſecundus anno a Chriſto nato Mcxxii "Kalendis Junii" conſecravit, plurimiſque criminum expiationibus decoravit" Pontificatus ſui anno ſecundo. Qui in Calabriam conceſſit ut ipſe in eis literis dicit, quibus ſe hoc templum conſecraſſe memorat quo Guillelmi, & Rogerii animos conciliaret. Commoratus eſt autem hic dies xv. licet Platina aliique ſcriptores & id & alia multa prætereant". Hic Rogerii corpus in nobili marmoreo Sarcophago conditum eſt. Sebaſtianus Corradus in epiſtolam Cic. ad Att. libro tertio putat Melitam oppidum id eſſe quod inquit poſitum eſt non procul a Vibone. (9) Ex hac urbe ſive ejus pagis fuit beatus *Paulus* Prædicatorum Ordinis Cœnobita, cujus corpus in Altimonto eſſe diximus, qui primus Prædicatorum ordinem in Calabriam duxit. Hic mercatus annuatim celebratur. Fiunt lagenæ tantum. Et bovini corii optime concinnantur. Eſt Miletenſis ager frumentis & aliarum frugum ferax, fit olei copia, exciditur gypſum marmoroſum, & ſpeculare. Siſon naſcitur, quam aromatarii & herbarii amomum eſſe opinantur. Sunt in hoc agro pagi *Ioannum*, *Comparonum* cum linis non vulgaribus, *Petrejum*, *Paravatum* quod tranſgreſſionem ſignificat, *Ionadum* oppido par, quod violarium notat, *Nais* ab aquarum copia ac bonitate, *Cotofonium*, quod vocem iratam ac cædem ſignificat, *Calaurum* quod notat delitioſum.

THO-

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Nicotera*. A Græco Νίκη *Victoria*, quasi *Civitas victrix*; quemadmodum *Medama* a Græco Μέδω *impero*, quasi *Civitas imperans*. Alii a *Medama* distinguunt. Vide Cluer. S. Gregorius Epist. lib. 5. ep. 40. *Massam Nicoterianam* vocat. Anno Christi 884. & 1065. & decennio post 3. Kal. Julias a Saracenis; anno 1085. a Benaverto Saraceno Syracusano, ann. 1285. a Rogerio de Lauria, sæpiusque a Turcis depopulata fuit. Vide Janfrid. Malater. lib. 2. & 3. Maurolic. lib. 3. Tandem XII. Kal. Jul. 1638. pene deleta. Modo satis habitatoribus plena est. Fit copia frumenti, vini olei, & leguminum.

2. *Ex hac urbe*. Fuit etiam *B. Cæsareus* Episcopus, qui anno Christi 884. in prima Civitatis direptione a Saracenis captus, fidem Catholicam execrari frustra compellitur; tum fustibus cæditur; tandem in confessione Christiana admirabili constantia perseverans, indomito Equo ad semimilliarium tractus, martyrio coronatus est. Extat etiamnum manifestissimum documentum; nam locus ille, per quem sanctus Episcopus trahebatur, tanquam sale satus nudus apparet ceu semitæ vestigium, ubi nec herbæ nascuntur, nec arbores. Hujus rei constans traditio est. MS. Gualt. Vide Mut. Febon. hist. Mars. lib. 3. Cap. 7.

*Marcellus Fossatarus*, sanctæ vitæ vir, de Neapolitana urbe optime meritus, ubi anno 1589. divino spiritu afflatus pauperculos profugosque pueros recolligens, anno postmodum 1598. Hospitium Misericordiæ nuncupatum erexit, quo otium profligavit, & animarum saluti abunde consuluit. Cæs. Engen. edit. Neap. fol. 136. MS. Gualt. *Paulus* ex Franciscana reformata familia Sacerdos morum integritate conspicuus. Obiit Romæ prænuntiato mortis die. Chron. MS.

3. *Calofytonum*. Nicoteræ pagus, qui jam interiit initio, ut putatur, præteriti seculi. In hoc loco, ut apud Nicoterienses constans traditio durat, natus est S. *Januarius* Martyr Episcopus Beneventanus. Neque hic prætermittendum duximus testimonium quod Episcopus Puteolanus Episcopo Centoflorenio Nicoteriensi Puteolis anno 1650. transeunti ostendit, Chronicon nempe antiquissimum ibidem asservatum, ex quo satis apparebat S. Januarium Calofytoni natum esse. Sed & quidam Græcus Episcopus per Calabriam transiens quoddam antiquissimum Martyrologium Græce conscriptum ostendebat, ex quo S. Januarium Calabrum fuisse evincebatur, ut ex MS. Mart. Quinimmo Magistratus Nicoteriensis in incolumitatis testimoniis, quæ incolis discedentibus, aut peregrinis transeuntibus dari solent, hac forma utitur: *Dei Gratia & intercessione S. Januarii Episcopi & Martyris Concivis nostri &c.*

4. *Philocastrum*. Extabant in hoc agro duo vici *Martinum* & *Membricium*, sed penitus interierunt. In Diœcesi Nicoteriensi. Huc spectat *Hieronymus Prænestinus*, sic dictus quod Præneste Latii Urbe majores sui orti sint; tametsi Neapoli natus sit, optime de Philocastro meritus, ubi anno 1632. Capellam S. Michaelis construxit, & Capellanum congruo perpetuoque stipendio auxit; Cœnobium Dominicanæ familiæ erexit, postea suppressum. Fuit hic Capel-

pellanus Major Philippi IV. Regis, postmodum Episcopus Syracusanus electus, sed morte præventus consecrari non potuit. Obiit Matriti circa annum 1636. MS. Mart.

*Petrus* Corsus Præsul integerrimus, optimeque de Patria meritus qui pro sede Apostolica plurimum laboravit, ut ex inscriptione quæ extat Romæ in Ecclesia Spiritus Sancti nationis Neapolitanæ ad viam Juliam.

D. O. M.

PETRO CORSO V.J.D. VIRO OPT. E PHILOCASTRO INSIGNI CALABRIÆ OPPIDO, ET DE NOBILIB. COMIT. DE ISTRIA ORIUN. QUI POSTQUAM PLURIMIS ANNIS APUD CAROLUM V. ROM. IMP. ALIOSQUE CHRISTIANÆ REIPUB. PRINCIPES PRO SERENISSIMO REGE POLONIÆ ORATORIS MUNUS CUM SUMMA SVA LAVDE EXERCVIT, PLVRIBVSQVE MAGISTRATIBVS INTEGERRIME FVNCTVS SS. INQVISITIONIS OFFICIO RELIGIOSISSIME ALIQVANDO INSERVIVIT, ET TANDEM BENEFICIORVM DEI MEMOR SOCIETATEM SPIRITVS SANCTI REG. NEAPOLIT. PRO QVA ERIGENDA SVMMA SEMPER OPE NISVS EST, HEREDEM INSTITVIT, VT ROMÆ COLLEGIUM SCHOLARIVM DE INSTRIA NVNCVPANDVM POST MORTEM NEPOTUM, QVOS DVM VIVVNT VSVFRVCTVARIOS RELIQVIT, ET RERVM OMNIVM MOBILIVM ABSOLVTE DOMINOS ESSE VOLVIT, ERIGAT, EOSQVE SVB CERTO NVMERO ELIGENDOS ET NVTRIENDOS PERPETVO SVSCIPIAT; ITA TAMEN QVOD PROXIMIORES SVI ET POST ILLOS ALII DE PATRIA, ET OMNIBVS DEFICIENTIBVS VICINIORES CÆTERIS PRÆFERANTVR, JVRIQVE CANONICO ET CIVILI STVDEANT: CORPVSQVE SVVM HONESTO IN LOCO POST EJVS OBITVM CONDI IVSSIT. JOANNES VICTORIVS DONADEVS, NICOLAVS MARIA PASSAVANTIVS, ET CAMILLVS LA MARRA EX SORORIBVS NEPOTES VSVFRVCTVARII PIE VOLVNTATEM EXEQVENTES EXACTISSIME POSVERE.

VIXIT ANNOS 73. MENS. 5. DIES 7.
OBIIT VI. KAL. AUGUSTI 1577.

5. *Miletus*. Thucidides lib. VI. aliter rem narrat ac Herodotus, Milesios nempe Anaxilai opera a Zanclæis fugatos. Utut sit, conjicere sane licet *Miletum* Asiæ non adeo a Dario eversam ut vel solo æquata credatur, vel nullus incola superstes inibi extiterit. Nam vel tempore Apostolorum adhuc extabat, ut Act. 20. *A Mileto Paulus mittens Ephesum*. Nisi dicere velimus paulo post ab eodem Dario restauratam, novisque habitatoribus refertam esse.

6. *Rogerius Guiscardus junior*. Hic non junior fuit sed senior Roberti frater, ac Rogerii junioris, Siciliæ regis pater. Vide supra Adnotat. ad Cap. XI. num. 31.

7. *MVCLXXXXV.* Mendum est. Nam Gregorius VII. ab anno MLXXIII. usque ad MLXXXVI. juxta Petavium Ecclesiam rexit. Quare satis evincitur Rogerium hunc Comitem fuisse Calabriæ, Non Siciliæ Regem, ut etiam ex documentis supra allatis abunde constat.

8. *M. C. II.* Ex monumentis Romæ in Archivio Collegii Græci existentibus constat fundationem hujus monasterii anno 1081. contigisse. Excerpsimus siquidem fragmenta quædam, quæ non tam ad Chronologiam quam ad historiam illustrandam conducunt.

## DIPLOMA I.
### ROGERII COMITIS.

*In nomine S. & Individuæ Trinitatis. Notum sit cunctis meis successoribus, & universis Ecclesiæ fidelibus, qui hoc nostrum privilegium viderint, quod Ego Rogerius Comes Calabriæ & Siciliæ divina inspiratione instigatus pro salute animæ meæ & Conjugis meæ Adelasiæ, & pro animabus patris*

*patris & matris meæ, & omnium propinquorum meorum, & D. mei Ducis fratris videlicet mei, cujus beneficio totius honoris mei summam retineo, ab ipsis fundamentis construxi Abbatiam temporibus meis cum uxore mea Adelasia, & cum filiis meis Gofsrido videlicet & Jordano, Rogerio & Simone in Civitate Mileti ad honorem SS. Trinitatis, Sanctæque perpetuæ Virginis Mariæ, & B. Michaelis Archangeli, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, atque omnium Sanctorum, quorum ibidem nomina & reliquiæ continentur; ibique secundum Dei gratiam communi consilio fratrum consensu, & uxoris meæ, filiorum meorum, Abbatem constitui nomine Robertum consanguineum meum &c. Scriptum est hoc privilegium anno ab Incarnatione Domini 1081. Indict. IV. & ut sit firmum & ratum nostro sigillo signare fecimus & testimonia subscriptorum testium confirmamus & roboramus. Signum Roberti Ducis. Signum Rogerii Comitis. Signum Goffridi. Signum Arnulphi Archiepiscopi* (Hic creditur fuisse Archiepiscopus Consentinus) *Signum Asgoti. Signum Sarlonis. Signum Guillelmi Straticoti. Signum Roberti Silvani. Signum Roberti de Guasconia. Signum Hugonis Bardulphi. Signum Jordanis Signum Rogerii*. (Hic fuit postmodum Rex Siciliæ.) *Signum Simonis*.

DIPLOMA II.

Favore dicti Monasterii cum augmento bonorum ab eodem Rogerio expeditum anno 1091. die XV. Mensis Februarii in Civitate Mileti.

DIPLOMA III.

Indultum Urbani II. favore Monasterii Abbatialis pro confirmatione concessionum sub ann. 1099. Datum Barii per manum Jobill. S. R. E. Diacon. Card. VI. Idus Octobris, Indict. VII. Pontif. XI.

DIPLOMA IV.

Indultum Paschalis II. favore dicti Monasterii. Datum Romæ X. Kal. Aprilis Indict. 8. ann. 1100. Pontif. I.

DIPLOMA V.

Concessio Bibonæ Abbati, Monachis, & Abbatiæ supradictæ. *In nomine Individuæ Trinitatis anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi* 1101. *Indict. X.* ( fortasse IX. ) *Ego Rogerius Comes Calabriæ & Siciliæ Divina inspirante dignatione &c. Hanc donationem facio ego prædictus Rogerius Castellarium cum Bibona & portu & Tunnaria, & omnibus eorum pertinentiis videlicet culturis & vineis, sicut ego uno die & una nocte tenui &c. Hujus concessionis testes sunt* Joannes *Baptista de Lucimo. Robertus de Bucellis. Villanus de* Altavilla *Cunchiblet. Edmundu e Villa. Gualterius de Canna. Robertus de Tarsia. Rogerius Cathaniensis Episcopus: Dominus Robertus de Parisio Militensis Electus. Et ego Rogerius Comes hanc donationem scribere feci, & meo sigillo sigillavi* ✠✠✠. *Locus sigilli*.

DIPLOMA VI.

Alterius Concessionis ab eodem Rogerio factæ favore dicti Monasterii sub anno 1102.

DIPLOMA VII.

Consecrationis ejusdem Ecclesiæ a Calisto II. factæ ann. 1122. *Calistus Episcopus. Servus Servorum Dei Universis in Christo fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem. Notum sit omnibus Sanctæ Matris Ecclesiæ fidelibus, atque orthodoxis quibuscumque cernentibus atque legen-*

*legentibus, seu audientibus has præsentes literas. Nos anno veræ Incarnationis Domini 1122. Indictione XV. reformandæ pacis causa inter Guglielmum Ducem Italiæ & Rogerium Siciliæ Comitem partes Calabriæ adventasse & apud Miletum ob prædictam causam per quindecim dies & amplius moram fecisse, ibique Ecclesiam in honorem SS. Trinitatis, & Apostolorum Principis Petri & Pauli cum pluribus Episcopis & Cardinalibus nostris, quorum nomina subscripta sunt propriis manibus, per Dei gratiam dedicasse & consecrasse & caput ac dignitatem Abbatiæ totius Parochiæ Tabernaculorum ipsi Ecclesiæ concessisse & confirmasse. Cui quidem Ecclesiæ ex parte & auctoritate Dei, ac B. Genitricis ejus Matris, & Apostolorum Principis Petri & Pauli, assensu & confirmatione ipsorum Episcoporum & Cardinalium, qui nobiscum intervenerunt tale munus misericordiæ, & remissionis contulimus & concessimus, ut omnes quorum corpora in cœmeterio ejusdem Ecclesiæ suo voto sepelirentur, vel quicumque sua bona ac spontanea voluntate in fine hujus vitæ positi ibi dormire cupientes, vel suas eleemosynas de longinquis regionibus tribuentes, nisi in excommunicatione & absque confessione morirentur, ab omnibus peccatis suis ipsi absolvantur. Addimus quoque intuitu Dei & consensu Episcoporum & Cardinalium, auctoritate &c. ut extorsionis infernalium cruciatuum & perpetuæ gehennæ redimerentur, & piæ resurrectionis participes esse mereantur. Addimus quoque Dei intuitu & Consensensu Episcoporum & Cardinalium, auctoritate Apostolorum, ac Apostolicæ dignitatis & Ecclesiasticæ potestatis, quod omnes qui ad annuale festum dedicationis ipsius Ecclesiæ, quod per octo dies celebrandum decrevimus, scilicet a prima Dominica mensis Junii anni cujuslibet, usque ad ipsius Octavam devote venerint, unum annum remissionis criminalium peccatorum & tertiam partem venialium ubi confessi essent, vel intra Octavas confiteantur, & munera offerentibus altari, seu super marmoream columnam tantæ munus indulgentiæ innumerabile, quemadmodum unius palatæ arenæ sunt innumerabiles ex supradicta auctoritate unusquisque consequatur. Universi autem qui eidem Ecclesiæ suas prædictas eleemosynas largituri sunt, ipsamque defensuri, seu augmentaturi, ex parte Dei, & auctoritate SS. Dei Genitricis Mariæ, & Apostolorum Principum Petri & Pauli, & nostram benedictionem & nostras orationes recipiant. Deo gratias.*

*Hæc sunt nomina Episcoporum & Cardinalium, qui nobiscum fuerunt.*

*Ego Gualterius Barensis Archiepiscopus. Ego Gregorius S. Severinæ Archiepiscopus. Ego Petrus Militensis Episcopus. Ego Policretus Episcopus. Chasuensis. Ego Joannes..... Ego Nicolausde ..... de S. Angeli Ecclesiæ Mileti Abbas. Ego Lambertus Magister Eremitarum. Ego Joannes presb. Card. tit. S. Georgii. Ego Albertus Hostiensis Episcopus, atque Cardinalis. Ego Crescentius Portuensis Episcopus atque Cardinalis. Ego Bonifacius presb. Cardinalis. Ego Desiderius presbyter atque Cardinalis Eccl. S. Praxedis. Ego Annuntius presb. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem. Ego Joannes Simonus Card. S. Cosmæ*

*Cosmæ & Damiani*. *Ego Indicus presb. Card. Civitatis Sanctæ Jerusalem.*

DIPLOMA VIII.

Indultum Innocentii II. favore dicti Monasterii ann. 1139.

DIPLOMA IX.

Indultum Eugenii III. favore dicti Monasterii ann. 1150. quodetiam adducitur ab Ughello to. 1.

DIPLOMA X.

Indultum Alexandri III. sub anno 1178.

DIPLOMA XI.

Indultum Alexandri IV. favore ejusdem Monasterii super jurisdictione Montisleonis sub anno 1255. cujus fragmentum supra adduximus, Cap. XI.

9. *Ex hac urbe*. Huc etiam spectat *Rogerius* Northmannus, de quo supra, qui Mileti regnavit, Oratores Principum excepit, ac tandem obiit mense Junio anno 1103. ibique sepultus est. Sunt qui putant anno 1101. Rogerium obiisse. Vide Protospat. Summont. Tutin. Collenuc. Rocc. Pyrrh. Fazzel. aliosque. Veruntamen ex Diplomate VI. supra allato satis apparet Rogerium anno 1102. concessionem fecisse; vivebat siquidem tunc temporis. Cudebantur *Mileti* numi in quibus exculptus erat miles hastatus, & ex postico epigraphe *Comes Rogerius*. In pinacotheca Serenissimi Ducis Etruriæ extat *Rogerii* Comitis depicta imago, eique similis in monasterio S. Stephani apud Scylaceum conspicitur. *Mileti* itidem natus est *Rogerius Rogerii* Comitis & *Adelasiæ* filius, Siciliæ postmodum Rex, a *S. Brunone* baptizatus *B. Lanuino* Northmanno compatre, ibique educatus. Vide Tutin. Ad hujus urbis gloriam referenda est tota *Rogerii* soboles, *Simeon*, *Guillelmus I.* & II. & *Constantia* uxor Friderici Imperatoris, *Anfusus* Regis *Rogerii* filius, Princeps Capuæ ann. 1135. & Dux Neapolis ann. 1140. Vide Rocc. Pyrrh. & Zaverron. Apolog.

Fuit etiam *Arnulphus* Mileti Episcopus & Civis ann. 1073. *Diosphorus* circa idem tempus. *Janfridus* 1094. *Ebrardus* 1099. *Stephanus* 1139. *Anselmus* 1170. MS. Mart. Vide *Ughell.* *Manfredus Giffonus* Episcopus & Civis, tametsi nonnulli Montileonum repetant, confirmatus fuit VII. Kal. Julias 1311. Obiit Nonas Novembris 1328. uti apparet ex inscriptione quæ extat in Ecclesia Miletensi. *Gottifridus Fazzarus* ex Decano Consentino Episcopus Miletensis, pietate clarus, & Ecclesiasticæ libertatis defensor acerrimus circa ann. 1329. obiit ann. 1339. ut ex monum. in Archivo Milet. quare corrigendus Ughellus, qui mortuum asseruit ann. 1348.

*Bonaventura* & *Dominicus* laici ex Franciscana familia Sanctitate clari MS. Gualt. *Dominicus* itidem ex eadem reformata familia pœnitentia conspicuus. MS. Gualt. *Dominicus Fiumara* Cleric. Reg. min. eruditissimus, quædam edidit. Topp. *Jacobus* Ord. Prædicat. ex Sebasteno Episcopus Miletensis ann. 1259. Fontan. in theatr. *Jacobus Gagliardus*, Jurisconsultus, quædam edidit *de Usuris* MS. Gualt. *Joannes de Nicephoro* Rogerio Northmanno acceptissimus ex Decano Miletensi Episcopus Scylacensis ann. 1096. Obiit V. Idus Martii 1098. Ughell. *Joannes Lucas Confortus* Capellæ Pontificiæ Cantor Celeberrimus sub Innocentio IX. ann. 1591. Hic vocem toto instructam organo

gano sortitus est: Musicæ peritissimus continenti spiritu tremulam edendi vocem ( vulgo *il trillo* ) rectisque harmoniæ regulis applicandi primus rationem invenit. MS. Gualt. Vide Andr. Adamum obs. Cap. Pontif. *Julianus* Dominicanæ familiæ doctissimus, ex Inquisitore Generali Episcopus Cephalediensis, vulgo *di Cephalù* ann. 1398. Obiit ann. 1410. Leand. Albert. lib. 3. Fontan. in theatr. *Dominicus* ex Franciscana Familia laicus sanctæ vitæ vir. MS. Gualt. *Rogerius Carbonellus*, Canonicus, Catacensis, eruditione clarissimus, scripsit historiam Trischenes ab Ughello editam to. 9. super. Diœc. Catansar. *Ciccus* Poeta celebris, de quo fit mentio in Codice Buccoliniano. *Ptolomæus Pipernus* Dux militum in Etruria, mox Beneventum se recepit, ibique obiit. In Capella S. Lucæ extat inscriptio hæc:

HIC JACET PTOLOMÆUS PIPERNUS
MILES MILITENSIS SINE MILITIBUS
IN PACE. ANNO MDLVI.

## SERT. QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Nicotera*, seu *Nicudrus*, *Medama olim dicta*. Sunt qui erectam credant eruinis Medimæ Civitatis.

# CAPUT XV.

## *De Francica, Arenis, Soreto, Calatro, aliisque Oppidis & Castellis.*

SEcundum Miletum milliario cum dimidio (1) FRANCICA oppidum est cum emporio nobili, & serico laudatissimo, (2) meum natale solum optimis lymphis fœcundum." Novum opus ab hinc quingentos circiter annos constructum. Siquidem qui huc transmigrarunt antea circum oppidum semimilliario ab eo vicatim vitam agebant. Unde etiam num quorumdam Sanctorum templa semiruta visuntur, ut Theodori, Pauli, Blasii, Andreæ, Petri, Joannis, & secundum oppidum B. Mariæ, quod Callistus II. consecravit; & id Presbyterorum sacerdotium est; nam templa intus oppidum populi sunt. Nomen autem ut conjectari licet a Francisco sive a Francisca muliere huius ditionis nutrice est sumtum". Francicanus ager pene totus campestris est, & pulla tellure, frumenti & aliarum frugum ferax: quem *Scotopetus* fluvius a Miletensi, & Medama amnis a Sorianensi agro dirimit" & *Cocaracius* fluvius ab Hippone separat". Fiunt in hoc agro olea & vina non vulgaria. Item phasianorum, externarum, palumborum, phassarum, torquatos vocant incolæ, rusticularum, reversinos appellant, & gallinaginum, & ficedularum, & cornicum aucupia. Nascitur radix dulcis, radix tinctoria, raphanum, " scordium, mandragora, lilium convallium, & sison", & sison herba ea, quam amomum vocant, & aliæ medicinales herbæ nonnullæ. Hic circiter annum Christi M. D. VI. magna Gallorum strages edita est. Sunt in hoc agro pagi *Pinguadum*, *Mutarium* a mutata sede, *Clamista* quasi pensilis, *Con-*

*stantinum* " Barra familia, ut de cognomine meo aliquid dicam, a *Barro*, hoc est *Elephanto*, deducto cognomine, vetustissima est: meminit hujus familiæ Cicero in Bruto de T. Bettutio Barro Asculano oratore eloquentissimo loquens ". (3) Ex hoc oppido fuit *Fernandus Ritura* presbyter, vir imprimis integerrimæ vitæ, Latinis literis satis eruditus, poeta, itemque orator, atque etiam sacri eloquii præco eximius. Inerat ei peracre ac facile ingenium, in edendis carminibus facilis erat, & elegans. Fuit & flagitiorum objurgator severissimus, ac cunctarum virtutum simulacrum repræsentabat. " Cunctis circum populis ac primatibus charus erat ". Milliario ab oppido haud longe a Constantino pago locum sibi delegit, cui nomen est *Comerconum*, ubi quieti ac literarum ocio commodius incumberet. Se enim mirificum doctrinæ laboribus addixerat, non parvamque sibi bibliothecam comparaverat. Ibi beatæ Mariæ deiparæ ædem statuit, cœnobiumque erexit, in quo cum *Nicolao Aloysio Baronio*, & *Marco Candioto* presbyteris civibus suis probis itidem moribus refertis agebat. Ac primum, ne talentum sibi a Deo præstito abstrusum retineret, literarum ludum aperuit, cujus schola cunctæ circum regioni patuit. Ad quem scilicet audiendum frequens hominum turma non epheborum modo, sed trigesimum etiam excedentium annum ingenti veneratione confluebat. Inde vero se se colligens adspiravit ad potiora. Quandoquidem Dei obsequio se totum tradens, ejus eloquii concionator perspicuus effectus est. Vestibus cœruleis & ipse & contubernales talotenus utebantur. Vitam cum morte commutavit nono Cal. Julii senio confectus a natali Domini anno M. D. xvi., diem obitus sui ante præsagiens." Hunc ego puerulus novi, atque interim collobio indutum & Francicæ, & Mileti audivi concionantem. Scripsit Commentarios in orationes Ciceronis recondita eruditione, scripsit & de Vita activa & contemplativa, & alia quædam: item poemata, quæ omnia post ejus obitum in manus alienorum pervenere. Hoc templum Juspatronatus Fracicanorum est: quod cum Franciscus ......, homo Samnis Miletensis Episcopi Vicarius a Francicanis eripuisset, die consecrationis templi hujus quę Nonis Augusti celebratur, locatis clam a Scipione .... in Episcopali æde igneis machinis, dum altaris sacra peragerentur miserabiliter periit anno Christi MDLvii. Quare motus Episcopus jus ipsum Francicanis restituit ". Intus (4) *Arenæ* oppidum est edito loco situm, in cujus agro ingens olearum numerus est, ut silvæ prope videantur, unde & magna olei copia fit. Extant & castaneta ingentia, & silvæ, ad domorum tigna & navigiorum fabricam aptæ, fit & sericum optimum, nascitur saxifragia, & lapis molaris. Sunt in hoc agro pagi *Dasa* cum vino optimo, quasi silvosa, quod olearum silvæ sint, quam ejusdem nominis fluvius adlabitur: *Aquarium* cum mero non vulgari: *Simiatonum* itidem cum claro vino: *Lympidum*: *Brazaria* cum vino optimo: (5) *Potamia*, quod secus flumen fit: *Melianum*: *Ceanum*, ubi gypsum e terra foditur, quo utuntur figuli ad vasa linienda: & *Ierocarnum* cum fluvio eodem nomine, quod sacram carnem significat. Arenis ejusque pagis incolæ vasis supellectilibusque ligneis conficiendis operam navant. Vbi Arenis cesseris, tenderisque ad Occidentem (6)

*Sore*.

(*a*) *Soretum* oppidum invenies a foro, hoc est acervo dictum cum mercatu annuo, *Altanum* Antonino Cæsari in itinerario, distat a Subsicino idest Beliforto m. p. decem, ab Arenis quatuor. Quod Metaurus amnis torentinis & anguillis affuens præterfluit. Fiunt Soreti vina & olea clara, & silvestrium animalium venationes: & gallinaginum, turdorum, phasianorum, externarum, & ardearum aucupia. Sunt & herinacei, & testudines terrestres & aquaticæ. Exciditur lapis molaris optimus frumentarius & olearius. Est & ager hic frugifer, provenit terebinthus. Suntque pagi *Melichlochia* a melle & cloazo abundo dicta: *Dynamis*, quod robur significat & ejusdem nominis amnis anguillis uber: hic corii hircini, caprini & arietini optime concinnantur, ut merito his palma detur: soleæ quoque perbene concinnantur. Fit vinum & oleum optimum: nec longe *Melanda* fluvius torentinis uber labitur. In agro hoc glandiferæ arbores agaricum ferunt, arnacem accolæ vocant, quem e quercu decerpunt, eoque in cibo utuntur. Non longe a Soreto (7) *Charida* oppidulum est, quod gratiam conferens significat. Hic generosum vinum nascitur, fit & oleum laudatissimun. Extant & castaneta, & glandiferæ arbores, quercus agaricum ferunt. Sunt in hoc agro pagi, *Charopolis*, quod gloriosam urbem significat, & *Petrejum*. Fiunt & venationes, quales Soreti. Inde ad meridiem tendenti (8) *Borellum* oppidum offertur edito loco situm quasi aquilonare, borios enim aquilonem significat. Quod *Metaurus* amnis navigabilis anguillis uber præterfluit, hic lutræ sunt. Abest a freto m. p. sex. Hic emporium quotannis celebratur. Ex hoc oppido fuit beatus *Randisius* divi Benedicti monachus Cassini agens vir sanctitate plenus. Qui dum ægrotaret beatum Stephanum protomartyrem cum innumerabili turba ad se venientem in visione perspexit, quod cum aliis recenseret continuo e vita hac abiit. Borellensis ager frumenti & aliarum frugum ferax est. Fiunt lina non vulgaria, nascitur & spectatum vinum. Extant & pulcra nemora limonum, & malorum aureorum: subtus oppidum in hortis *Camilli Protospatarii* pistacius arbor est, fert pistacia, sed inania, quod mas desit. In hoc agro cepuria & fructus optimi fiunt. Sunt & herinacei & testudines aqueæ. Exciditur lapis molaris, qualis Soreti. Sunt pagi *Serrata* cum temeto bonitate præcipuo, " Pauli III. Romani Pontificis potu nobilitato ". Hic rubrica fabrilis nascitur. *Candinonum*: *Belatonum*, quod floridam sagittam significat: *Stridanum*, quod significat pingue, hic fons est salsam manans laticem & *Lauriana* a lauris dicta. Non longe est *Pretianum* pusillum castellum edito salubrique loco situm cum vino & oleo claro, & ficis laudatissimis, quorum magnus fit numerus. Sunt in hoc agro silvæ glandiferæ & castaneta ad porcos alendos opportuna. Est & *Feroletum* pagus ubi aqua sulfurea scatet. Intus est (9) *Calatrum* oppidum imo loco in radicibus Apennini situm collibus undequaque circumseptum, quod bonam uberemque terram notat, quod Metaurus amnis anguillis & torentinis gratissimi saporis fœcundus intermeat, ubi lutræ sunt. Hic vina, olea, & serica probatissima fiunt. Et soleæ longe optimæ concinnantur, ut jure inter Calabras, & fortasse Italas etiam bonitate obtineant principatum, ut corii hir-

hircini & arietini Dynamis. Harum solearum magnus numerus in Siciliam invehitur. Hic sulfureæ aquæ scaturiunt, nascitur ferrum, & lapis Phrygius. Est in hoc agro beati Eliæ abbatis templum olim divi BASILII monachorum Cœnobium, (10) nunc Minoritarum. Fuit hic beatus Elias divi Basilii monachus patria Bovensis, viguit beati NILI temporibus, ejusque amicus fuit, cujus corpus hic esse creditur. Sunt in Calatrensi agro " castaneta & " silvæ ad domorum tigna, ac supellectilia commodæ. Fiunt & venationes pulcræ silvestrium animalium. Nec longe ab oppido vicus est *Micropolis* ab effectu. Et prope est (11) *Anogeum* castellum, quod jussum & cœnaculum sonat. In hoc agro lapis molaris exciditur frumentarius & olearius; suntque pagi (12) *Micopetum*, & *Tritantum*. Exinde est (13) *Quinquefrondum* castellum in Apennini radicibus, quod *Cherapotamus* fluvius anguillis uber præterfluit, quod salubre flumen significat. Fiunt hic vina non vulgaria, & fructus optimi. Extant & horti nemorosi limonum & malorum aureorum. Scaturiunt & sulfureæ aquæ, fiunt venationes, quales Calatri. In silvis Laburnum arbor nascitur. Inde est (14) (*b*) *Georgetum* oppidum in Apennini radicibus celso tamen salubrique loco situm. Morgetum olim sive Morgetia dictum a Morgete " Itali filio " conditun, ut ait Stephanus. *Georgium* vocat vulgus. In hoc agro *Melichlochium* pagus est.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Francica*: Oppidum nobile ex pluribus pagis, ut incolæ multitudine ac situ ab hostium incursionibus tutarentur. Fundatum fuit, ut conjicere licet, Northmannorum tempore a Francis ducto cognomine; *Francus* enim Germanica lingua *liberum* sonat. Vide Cluerium de antiquit. Germ. Cap. 2.

2. *Meum natale solum*. Quæro quid hic reponant sive nuperus scriptor, ceteroquin eruditissimus, sive quicunque alius, qui huic operi succensentes suppostitium crediderunt? Sane hi Barrii opera non viderunt, sed more pecudum alienis fabulis sine criterio adstipulati sunt. Wadingus quoque alioquin scriptor celeberrimus *Gabrielem Barrium Francicanum a Francica* oppido *Franciscanum* credidit errore ductus cujusdam opusculi, *de Vita Abbatis* Joachimi, ubi *Franciscanus* pro *Francicano* mendose legitur; atque inter scriptores sui Ordinis connumeravit. Scripsit quoque *Barrius* ut ipse testatur *libros tres pro lingua Latina*: *de Æternitate Urbis*: & *de Laudibus Italiæ*. Romæ in ædibus Populi Romani ann. 1571. in 8.

3. *Ex hoc oppido*. Fuit etiam *Antonius* sive *Antoninus Asta*, instituti Capuccinorum, nobilibus parentibus natus, vitæ Sanctitate conspicuus. Obiit Polystinæ anno 1603. cælesti visione recreatus. Corpus suum triennio post incorruptum repertum est. Chron. p. 2. to. 2. & MS. Gualt. *Petrus* ejusdem instituti vitæ integerrimus, obiit Rossani magna sanctitatis fama. MS. Gualt. *Julius Cæsar Commercius* Medicus celeberrimus Philippo II. Regi acceptissimus quem a morbo pediculari sanavit, obinde privilegio certam summam ex emporio

*Francicæ* exigendi donatus. Topp. & MS. Mart. *Stephanus Carlevalius* Ordinis Minimorum Generalis emeritus anno 1584. doctrina & pietate clarus. Chron.

Nostris vero temporibus *Antonius Lasilica*, amicus noster, bonis literis instructus. In Diœcesi Miletensi.

4. *Arenæ oppidum.* A Northmannis, ut par est credere extructum, seu potius restauratum. Vide Tutin. hist. Magn. Justit. Patria fuit *S. Laurentii* instituti Basiliani. Agrest. in Vit. S. Basil. *Aloysii de Arena* in bello clarissimi. Pontan. & MS. Gualt. *Joannis Nicolai* in Hydruntino bello contra Turcas militum Ducis strenuissimi. Amat. In ead. Diœcesi. In hoc agro est *Ceanum* pagus, de quo Barrius, Patria *Josephi Sirjoanni* viri doctissimi qui librum edidit Etrusco sermone *L' Apostrofo interdetto* Venetiis anno 1714.

5. *Potamia* A flumine ducta voce; ποταμὸς *potamos* namque *flumen* significat. Hic extat imago S. *Francisci Xaverii* Soc. Jesu miraculose depicta anno 1661. plurimis clara miraculis typis evulgatis. Leopoldus Imperator impetratæ valetudinis testimonium statuam argenteam obtulit ann. 1665. cum epigraphe ad stylobatem: *D. Francisco Xaverio Potamensi Thaumaturgo Patrono de se regnisque suis optime merito ob receptam valetudinem gratus hoc mnemosynon posuit devotissimus cliens Leopoldus Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Rex, Romanorum Imperator*, ut ex *MS. Mar.* In ead. Diœcesi

6. *Soretum*. A Græco Σωρέω *cumulo*, quasi oppidum aliis oppidulis cumulatum, ut conjicere licet. In ead. Diœcesi.

7. *Charida*. A Græco Χάρις *gratia*. Modo oppidum satis habitatorum habet. In ead. Diœc.

8. *Borellum*. De fundatione hujus oppidi silent scriptores. Si autem incolis credere licet, a quodam duce Locrensi tempore secundi belli Punici extructum contenditur: alii putant a Northmannis, seu ab iis potius auctum. Utut sit, visuntur ibidem monumenta varia antiquitatem ac magnificentiam præseferentia. Multæ familiæ nobilissimæ inde alio transmearunt. Huc pertinet *Paulus Leontius* Regi Ferdinando apprime charus muneribusque auctus, ut ex Diplomate VI. Kal. Decembris 1486. MS. Gualt. *Franciscus Zungaro*, & *Martinus* Minorita Sanctitate & literis clari. Amat. In Diœcesi Miletensi.

9. *Calatrum*, Oppidum nobile, Civitati par, a Græco καλὸς quod *bonum* significat. Quando extructum fuerit, incertum; vetustissimum tamen existimatur, & reliquiis Tauriani locupletatum. Gens culta, atque humanissima est. Extabant in hoc agro plura Basiliani instituti cœnobia, quæ injuria temporum diruta in Commendas cesserunt. Harum una Clementis XI. Summi Pontificis munificentia sub titulo SS. Salvatoris insignitus fui, ac S. Mariæ Lauretanæ Præpositura. Vicus extabat supra Calatrum *Ghilena* nuncupatus in monte vulgo *di Sfarà* Abbatiæ SS. Salvatoris subjectus, qui interiit. *MS. Mart.* Fiunt Calatri ficus qui ceteros Calabriæ superant bonitate, ac temeta optima. Sunt & pulcherrima templa, inter quæ illud S. Mariæ a Valle in solo Lateranensi fundatum *MS. Mart.* Fui ego Calatri anno 1729. Hic primo pellis, quæ vulgo *Cordoana* dicitur

tur, concinnata fuit a quodam *Cordiano* opifice, a quo nomen sumsit. Hic etiam primo *Capuccinorum* nomen audiri cœpit, quod postea huic instituto cessit. Habetur enim in Chronicis: *Pueri Galatrensis clamabant: Fugite Capuccini, fugite Capuccini.*

10. *Nunc Minoritarum*. Cœnobium hoc instituto Capuccinorum cessit, ubi præcipue regularis observantiæ viget disciplina. Hinc fuit *Benedictus ejusdem* instituti Sacerdos, sanctæ vitæ vir, qui mortuum ad vitam revocavit. *Ms. Gualt.*

Fuerunt ex hoc Oppido viri in omni virtutum genere conspicui, ut par est credere, tametsi temporum injuria & scriptorum inopia ad nostram memoriam non pervenerint. Fuit & *Gregorius Passalia* poeta celebris Marafioti Chronicon carmine auspicatus, ut videre est initio ejusdem operis. In Diœcesi Mileten.

11. *Anogeum* Vulgo *Anoja*. Ex hoc loco fuit *Franciscus Vitalis* Minorita Episcopus Cephaledienfis ann. 1455. MS. Gualt. Tametsi Roccus Pyrrhus Nojam in Apulia, seu verius in Lucania, repetat. *Hieronymus Arruzolus* Carolo V. Imperatori acceptissimus muneribusque auctus, ut ex Diplomate ann. 1530. MS. Gualt. & Mart. *Salvator* Minorita Guardianus Hierosolymitanus strictioris observantiæ, sanctæ vitæ vir. Chron. MS. ann. 1680. In ead. Diœc.

12. *Micopetum*. Vulgo *Maropati*: Patria *Andreæ* Minoritæ Theologi celeberrimi. In ead. Diœcesi.

13. *Quinquefrondum*. Oppidum vetustissimum a Locrensibus extructum, Musarum templo famosum, Tauriani ruinis auctum, arce ac mœniis munitum. Extabat hic celebre monasterium Basiliani instituti sub titulo S. Philippi de Argirò, quod postea in Commendam cessit, qua ab eodem Clemente XI. summo Pontifice insignitus fui. Ex hoc oppido fuit *Nicolaus* instituti Capuccinorum laicus vitæ sanctitate, & miraculis clarus, sæpe ecstasi, divinisque illustrationibus recreatus. Obiit ann. 1570. Chron. & Pauluc. *Salvator Varrone* Soc. Jesu eruditione conspicuus edidit opus *Istoria del Vesuvio*, aliaque apud Alegamb. & Topp. In ead. Diœc.

14. *Georgetum*. Vulgo S. *Giorgio*. A monasterio instituti Basiliani nomen oppido immutatum; nam S. Georgii protectione mirabili a Saracenorum direptione servatum fuit incolume ann. 986. *Altani* ruinis, quod a *Georgeto* 3. m. p. distabat, auctum. Hoc autem *Altanum* ab alio, cui *Soretum* successit, diversum, cujus adhuc rudera in Apennini radicibus conspiciuntur, crediturque sedes Episcopalis fuisse, *Tanum* seu *Tannum* fortasse Anonymo Ravennati. Fuit ex Georgeto *Lucas* Abbas Generalis Cælestinorum ann. 1534. orator, & Theologus celeberrimus. Chron. & MS. Gualt. *Thomas Maria Amendolia* Dominicanæ familiæ Theologus, edidit librum *de Sacramento Pœnitentiæ*. Messanæ 1687. In ead. Diœc.

Ex Altano, quod Totila in *Casinianum* mutavit, creditur a nonnullis fuisse S. *Eusebius* Papa & Martyr. Omnes Græcum faciunt, sed ex quo loco fuerit non indicant. Ciaconius autem, & Oldoinus, Casinianensem scribunt. Ego vero ad *Cosanum* seu *Cosam* vulgo *Cassano* spectare puto. Vide adnot. lib. V. Cap. XVIII.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Soretum Oppidum*. Putatur a nonnullis *Altanum*, ex Antonino; nam in alto situs est loco, a quo ad *Hipponium* est iter. Nunc *Sorito*.

(*b*) *Georgetum Oppidum*. Nunc Sanctus Georgius. Creditur a Barrio *Morgetum* a *Morgete* conditum, sed non video cur hoc sibi persuaserit; nam verba Stephani nihil ad rem.

# CAPUT XVI.

## *De Polystina, Rosarno, & Geolia olim Metauria, ubi de Stesichoro, & Oreste.*

Est ager hic pascuis aptus. Subtus est (1) *Polystina* oppidum, quod robur, magnamque vim significat, quod *Cherapotamus* fluvius torrentinis, & anguillis uber influit, & juxta *Bracalis* fluvius alter labitur. Distat a freto m. p. octo, affluit bonarum aquarum scaturiginibus. Fit optimi serici copia, fiunt cepuria clara, ac lina laudata, vina item optima nascuntur. Nundinæ bis annis singulis celebrantur. Laudantur & hujus oppidi sepatiæ candelæ, & telæ. Fiunt in hoc agro phasianorum, & externarum, & coturnicum aucupia. Inde est (2) *Rosarnum* oppidum a freto m.p. duobus sepositum, a Nicotera quatuor Quod Metaurus amnis navigabilis adlabitur, cujus, ut alibi diximus, meminit Strabo. Inter hujus oppidi cepuria pepones laudantur, inter legumina vero ciceres, crassi sunt & coctibiles. Fit & ingens phaseorum copia. Extant & testudines aqueæ. In hoc agro silva extat nobilibus herbis medelæ aptis referta, ubi, præter ceteras, crocus silvestris, reuponticum, tragium, & sison quæ amomum a pharmacopolis dicitur, erumpunt. Est & (*a*) *Felum* pagus *Hipporum* Antonino Pio in itinerario, abest ab Altano idest Soreto m. p. decem. Post Rosarnum (3) *Geolia* oppidum se se offert, quasi gemma, paulum a mari semotum, distat a Rosarno m. p. sex, (*b*) *Metauria* sive (4) *Metaurum* olim dicta a Metauro amni, qui haud longe ab eo fluit. De quo meminit Strabo, qui duos fluvios Metauros in hac ora post Medamam non nimium inter se distantes scribit: *Post Metaurum* inquit *Metaurus alter occurrit, & ejusdem nominis statio*. Metaurus hic Rheginorum agrum a Locrensium olim agro discriminabat. Hunc Cato in Originibus, ut mox ostendam, *Paccolinum* vocatum refert, & ex septem fluviis, quibus Orestes a matricidio se expiavit, septimum esse ait, fines Rheginorum atque Taurianum dispescentem. Taurianum Rheginorum erat cum omni hac regione Alecem amnem usque, Metauria vero, & Medama, & Hipponium, & item Temesa Locrensium. De Metauria oppido meminit Mela, qui illud inter Taurianum & Medamam locat. Locrorum ædificium, ait Stephanus, licet Solinus illud a Zanclensibus Peloponnesi populis conditum scribat. Ex hac urbe fuit *Stesichorus* musicus & poeta lyricus, filius *Euphemi* Metauriensis, licet quidam ipsum Medmæum dicant. Fuit unus e novem lyricis. Hic, ut quidam volunt, in

Sici-

Siciliam cum uxore & filiis trajiciens Himeræ habitavit: hinc quidam ipsum Himeræum putarunt, ut Pythagoram Calabrum putarunt Samium, quia pater ejus cum uxore & filiis Samum incoluit. Fuit (5) Stesichorus Pythagoræ, & Phalaridis tyranni ævo. Cujus etiam filiæ poemata edidere. Luscinia, ait Plinius libro decimo, in ore Stesichori cecinit infantis, mirabili auspicio summum eum poetam futurum præmonstrans. De hoc Suidas sic ait: „ Stesichorus, ut nonnulli volunt, ex Metauria Italiæ civitate „ natus est olymp. xxxvii, obiit autem olymp. qinquagesima sexta „ " senecta ætate quintum & octogesimum annum agens". Habuit fratrem *Mamertinum* geometria peritum, & alterum *Helianactam* legislatorem. Sunt ejus poemata Dorica lingua libri vigintisex. Dicunt autem ipsum cum scripsisset vituperationem Helenæ excecatum fuisse, & rursus cum laudem Helenæ scripsisset ex insomnio (6) palinodiam fecisse, & visum recepisse. Appellatus est autem Stesichorus, quoniam primus constituit chorum ad cantum citharæ, alioqui antea vocabatur *Tisias*. Plato etiam in Phædro inquit: „ Est autem his, qui confabulando peccant, expiatio, quam „ Homerus non novit, sed Stesichorus; oculis enim privatus ob „ Helenæ vituperationem non ignoravit cæcitatis causam, ut „ Homerus, sed utpote musicus eam agnovit. Itaque statim illa fecit carmina:

*Num verus sermo ille fuit?*
*Nec navibus altis existi fugiens,*
*Nec adisti pergama Trojæ.*

Atque ita edito poemate, quam palinodiam, idest cantum contrarium vocant, confestim visum recuperavit amissum. Meminit de Stesichoro Ovid. & Hor. libro quarto car. Stesichori, inquit, graves camœnæ. De quo Quintilianus libro decimo ait: „ Stesichorus „ quam sit ingenio validus, materiæ quoque ostendunt, maxima „ bella, & clarissimos canentem duces, & epici carminis onera „ lyra sustinentem, reddidit personis in agendo simul loquendoque „ debitam dignitatem: ac si tenuisset modo. „ Hic (ait Aristoteles rhetoricorum libro tertio) in Locris dixit, non oportet eos con„ tumeliosos esse, quia cicadæ non cantant defectus, idest cum patiun„ tur injuriam, non murmurant „." Suadebat enim principibus nequid nefandum agerent, ne cicadæ canerent defectus, hoc est, ne populares homines murmurarent". Fuit & *Ameristus* Stesichori frater geometra. De quo Proclus libro secundo ait: „ Thales geometriam „ apud Aegyptios repertam in Græciam transtulit, multa quidem „ invenit, multorum autem principia sibi succedentibus enarravit. „ Alia quidem universalius, alia vero sensibilius attingens. Post „ hunc autem Ameristus Stesichori poetæ frater tanquam qui geo„ metriæ studium tetigit degustavitque memoratur, cujus Hippias „ quoque mentionem fecit, veluti in geometria gloriam reportantis. „ Post hos Pythagoras eam philosophiam, quæ circa ipsam geometriam „ versatur liberalis doctrinæ figuram commutavit, altius ipsius prin„ cipia considerans, immaterialiterque, & intellectiliter theoremata

„ per-

„ perscrutans. Qui sane eorum etiam, quæ explicari in geometria non „ possunt, tractationem, mundanarumque figurarum constitutionem „ invenit„. Non longe a Metauro amni est portus Orestis, *Ravagosum* appellant accolæ, cujus meminit Plinius, licet locorum ordinem confundat. Meminit & Strabo, qui Metaurum fluvium, & ejusdem nominis stationem scribit. Cum enim Orestes oraculo admonitus ut in septem fluviis se ablueret, Rhegium petiit secum illuc Dianæ Fascelidis portans simulacrum, in eisque ipsis se abluit fluviis, ut Probus in Bucolica Virg scribit, ubi sic ait: „ Orestes post parri„ cidium furens responso didicit, quod deponeret furorem, ita de„ mum si recuperata sorore Iphigenia ablueretur fluvio quod septem „ fluminibus confunderetur, diu vexatus cum in Taurica Iphigeniam „ reperisset, venit ad fines Rheginorum, illique invento flumine elutus, „ est„. Hujus autem fluminis, apud quod purgatus est Orestes, Varro meminit rerum humanarum libro decimo sic: „ Juxta Rhegium „ fluvii sunt continui septem Lapadon, Micodes, Eugion, Stasteros, „ Polme, Melcissa, Argeades, in his a matris nece dicitur purga„ tus Orestes, ibique diu fuisse ensem, & ab eo ædificatum Apol„ linis templum, cujus loco Rheginos cum Delphos proficiscerentur re „ divina facta lauream decerpere solitos, quam ferrent secum„. Item (*c*) Cato in originibus tertio ait„ Rhegini Taurocini vocantur de fluvio, „ qui præterfluit. Id opidum Aurunci primo possederunt, idest, Achei „ Troja domum redeuntes In eorum agro fluvii sunt sex, septimus fi„ nis Rheginorum atque Taurianum dispescens, fluvio nomen Paccoli„ nus. Orestem autem cum Iphigenia, atque Pallade dicunt maternam „ necem expiatum venisse, & non longinqua memoria est, cum in „ arbore ensem viderint, quem Orestes abiens reliquisse dicitur, Fa„ scelidis autem Dianæ„. Lucilius quoque in tertio Satyrarum meminit sic: „ Et sæpe quod ante optasti, freta Messanæ, & Rhegina „ videbis mœnia, tum Liparas Fascelinæ templa Dianæ „. Geoliæ mercatus annuus celebratur. Est Geoliensis ager frugifer. Mare hoc piscosum est, ubi, præter ceteros pisces magna trichiarum captura fit, quæ in cadis sale condiuntur. A Geolia Geoliensis sinus dicitur, qui a Vaticano ad Cænidem protenditur. Post Paccolinum hoc est Metaurum amnem *Tauriani* oppidi vestigia visuntur, paululum a mari semota.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Polystina*. A quodam *Polyxena*, cui Fridericus Imperator oppidum largitus est, nomen sumpsit; prius namque *Marina* nuncupabatur, vulgo *S. Marina*. Quod accitis undique accolis impense auxit; unde & cognomen suscepisse putandum est. Πολυξένη siquidem multitudinem advenarum sonat. Vide *Marafiot*. In hoc agro antiquorum monasteriorum instituti Basiliani, quæ jam interierunt, rudera conspiciuntur, nempe S. Mariæ de Ruvo, S. Mariæ de Placet, S. Mariæ de Carbonara, S. Barbaræ, S. Petri, & S. Eliæ.

Fuerunt ex hoc loco *Sigismundus Mangiaruna* Episcopus Opedensis ann. 1537. Ughell. *Placidus* bis Abbas

bas Generalis Cælestinorum ann. 1516. & 1525. Catal. Congr. *Hieronymus Marafiotus*, Minorita typis vulgavit opus *Croniche di Calabria* in 8. emendatum auctumque iterum edidit Patavii ann. 1601. Veruntamen majori plausu exceptum fuisset, si castigatius simpliciusque. Vide Leon. Allat. in Inghiram. Edidit quoque opuscul. *De arte reminiscentiæ* Venetiis 1605. *Adnotationes in Euangelia* 1606. in 4. *De arcanis numerorum*. Wading. & MS. Gualt. Item *Della gran religione e bontà de' Serenissimi Re di Spagna e dell' eroiche azioni degli Spagnuoli* Neap. 1626. in 4. Top. *Antonellus Marafiotus* Musicæ peritissimus. Maraf. *Dominicus* Franciscanæ reformatæ familiæ, sanctæ vitę vir. Chron. MS. ann. 1680. *Franciscus Longus* in utraque lingua doctissimus. Maraf.

*Joannes Baptista* Dominicanæ familiæ sanctitate & pœnitentia clarus. Act. Capit. gen. ann. 1644. *Joseph Nocera* Presbyter doctrina & morum integritate conspicuus. Spera lib. 4. *Antonius Morri* Minorita Episcopus Liparitanus. Vide Amat.

Nostris vero temporibus, *Antonius Condomitti* Domicanæ familiæ acris ingenii vir, doctrina & moribus clarus, multa scripsit, sed morte præventus publici juris facere non potuit: edidit tamen tomos duos *in primam secundæ Divi Thomæ* Neapoli. Sunt & Polystinæ alii quamplurimi in utroque Jure, Theologia, Medicina, atque eruditione clarissimi. Multis ab hinc seculis oppidum hoc sub dominio est nobilissimæ Milanorum familiæ. In ead. Diœcesi.

2. *Rosarnum*. Ex *Scunnii* civitatis ab Agarenis destructæ sub Pontificatu Clementis II. ann. 1047. Reliquiis extructum, ut autumat Collenucius lib. 3. Dictum est autem *Rosarnum* a rosarum, florumque copia, ut incolis placet. Siquidem pro insignibus arce rosa superimposita utuntur. Fuit ex hoc loco *Hieronymus Musitanus* Dominicanæ familiæ doctissimus, qui scripsit *de Divinis auxiliis*, sed imprimendi potestas denegata fuit ann. 1621. MS. Gualt. Vide Topp. in ead. Diœcesi.

3. *Geolia*. Aliis *Jovia*, *Joba* & *Zoa*. Vulgo *Gioja*. Anno 1444. & 1625. depopulata. MS. Gualt. In ead. Diœc.

4. *Metaurum*. Prope *Geoliam* etiamnum rudera invisuntur antiquissimæ civitatis.

5. *Fuit Stesichorus*. Hæc de eo Tzezza epigr. 25. Ἀβάριδι δὲ σύγχρονος καὶ τῷ Πυθαγόρᾳ. *Abaridi autem contemporaneus erat atque Pythagoræ*. Vide lib. IV. Cap. XX.

6. *Palinodiam fecisse*. Hanc fabulam tetigit & Horatius Od. XVII. in Epod ad Canidiam, sic scribens:

*Infamis Helenæ Castor offensus vice,*
*Fraterque magni Castoris, victi prece*
*Adempta vati reddidere lumina*.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Felum pagus*. Nunc *Santo Fili* prope *Soretum*. Credunt omnes una cum Barrio esse *Hipporum* Antonini Pii.

(*b*) *Metauria*, *sive Metaurum oppidum*. Nunc *Gioja*. Ita omnes.

(*c*) *Cato in Originibus*. Non est Cato, sed Joannes Annius.

CA-

# CAPUT XVII.

## *De Tauriano, ubi de B. Phantino aliisque viris sanctitate conspicuis, ac de Drosio aliisque Oppidis & Pagis Opedum usque.*

TAURIANUM, sive (1) *Tauriana* civitas his locis " stetit, & interiit, e cujus reliquiis excitata est civitas SEMINARIA. Erutum autem fuit Taurianum B Nili temporibus ", cujus meminit Plinius, itemque Pomp. Mela, qui ipsum inter Mataurum, & Scyllæum oppida locat, meminit & Stephanus, *Tauriana* (inquit) *urbs, a qua Taurianus civis*. A quo oppido piscem quendam nomen sumsisse Athenæus libro sexto refert. Scribit enim Taurianum obsonium. *Thimos*, inquit, *Taurianus a Tauriano oppido piscis qui Taurianus est appellatus*. Plinius autem libro trigesimosecundo, *Taurianus*, inquit, *alii xiphiam vocant*. Et rursus xiphiam, idest, gladium rostro mucronato esse, ab hoc in oceano naves perfossas mergi. Inveniuntur quandoque qui delphini magnitudinem excedunt, ait idem libro nono. Hos Strabo Galeotas appellat, vulgus pisces Spatos vocat. De quorum captura mox. Fuit Taurianum Sedes Episcopalis, *Georgius* Taurianus Episcopus interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ. Et (2) *Theodorus* Episcopus Taurianus interfuit Synodo Nicænæ secundæ. Meminit de hac Episcopali Sede Beatus Gregorius Papa lib. 2. epistola ad Paulinum Episcopum Taurianensem cui commendat Ecclesiam Liparitanam: meminit idem ad Petrum Diaconum de ipso Paulino Episcopo Taurianæ civitatis Provinciæ Brettiorum, quo Episcopo ex hac luce sublato idem Gregorius Taurianensem Ecclesiam commendat Joanni Episcopo Scylatico. Et in decretis Gregorii Papæ tertii, qui fuit anno a virgineo partu Dcc. xxxv. fit mentio de *Opportuno*, Episcopo Tauriensi, licet mendose legatur Metauriense. Ex hac urbe fuit beatus (3) *Phantinus* abbas Monachus divi Basilii, vere lumen. Hic primo cujusdam civis sui equiso fuit, ejus vitam civis quidam suus Græce scripsit: Qui in æde divi Phantini, quæ non procul a Parma oppido extat, sepultos esse ait beatos Joannem, & Gregorium Episcopos Taurianos. Floruit autem beatus hic Phantinus beati Nili seculo, de quo suo loco dicemus. Cujus mutua benevolentia beatus Phantinus ingenti suavitate ac delectatione fruebatur. Quem beatus Bartholomæus in vita beati Nili celebrem appellat: præerat beati Mercurii monasterio. De quo Bartholomæus ipse ita scribit: „ Beato Phantino ecstasis „ contigit, verius fuit mutatio dexteræ Excelsi, qui vere propheta „ fuit, atque uti Jeremiam audivimus capite ac mento abraso Hierusalem in luctibus versantem obambulasse, atque existimationem „ delirantis stulti de seipso exhibuisse, ad eundem modum erat vide„ re hunc celebrem virum, vereque prophetam ac beatum effectum „ esse. Sive enim sensibilem Calabriæ vaticinans destructionem, ac mise-

„ ran-

„ randam Agarenorum invasionem, sive omnimodam virtutis eversio-
„ nem, ac monachorum ad vitia declinationem atque vulgaritatem,
„ quod magis credendum est. Verum & ipse obambulabat luctibus de-
„ plorans ecclesias, monasteria, librosque. Has quidem dicens asinis
„ & burdonibus repletas esse ac coinquinatas: Hæc vero igne combusta
„ sunt, inquit & pereunt: Hi vero quod araneis pleni sunt & evanue-
„ runt, fracti sunt, neque deinceps habemus quos legamus. Cum au-
„ tem videbat aliquem e suo monasterio cœnobitam, ut mortuum
„ eum lugebat, dicens: Ego te fili interfeci. Hæc & hujusmodi fa-
„ ciebat ac loquebatur. Nec sub tecto stare, sed sub dio; nec cibum
„ gustare volebat, sed per deserta oberrans vivebat agrestibus oleribus.
„ Hæc in maximam tristitiam induxerunt beatum Nilum (tunc enim
„ in ea crypta prope monasterium beati Mercurii commorabatur aram
„ habente beato Michaeli Archangelo dicatam) ac pene nocte, &
„ die lugebat & ipse beatus Nilus boni socii, amici, & cooperatoris
„ privationem. Sæpe illum secutus est, ut ei suaderet, quo ad mo-
„ nasterium reverteretur, & illic conquiesceret. Ipse vero ejus mo-
„ nitis parere noluit dicens: Qui in monasterio habitant non sunt mei
„ cœnobitæ: si enim essent, mecum lugerent. At contra me furentem
„ ac mente captum vocant. Scito igitur dilecte pater quod ad supe-
„ riorem regionem emigrabo, atque ibi perficiar, & ad monaste-
„ rium meum non amplius revertar. Atque ita beatus fecit, ut dixit,
„ apprehendens locum, quem Deus ante omnia secula illi præfinivit „.
Ejus festum agitur (4) nono Cal. Aug. Hunc Franciscus Maurolycus Siculus Syracusas repetit, & ejus parentes Fantum & Deodatam martyres fuisse Sicula vanitate nugatur. Erat in eodem monasterio beatus *Lucas* frater beati Phantini, illius prudentia, & vita similis, & ad gubernandum idoneus, ac sacrarum literarum mediocriter eruditus. Quem invitum beatus Nilus una cum ceteris ejus monasterii monachis beato Phantino in monasterii regimine suffecit. Erat etiam in eodem monasterio beatus *Zacharias* magnæ virtutis ac sanctitatis vir, quem beatus Bartholomæus Angelicum appellat, cujus quoque benevolentia beatus ipse Nilus fruebatur. Non longe ab hoc monasterio erat aliud monasterium (erat nempe tum Calabria altera Ægyptus monachorum parens) cujus nomen beatus Bartholomæus subticuit. Arbitror id esse, quod est Melichlochiæ, de quo mox, in quo monasterio degebat beatus *Ioannes* abbas beati Nili ævo vir cum sacris literis longe eruditus, tum sanctitate plenus, quem beatus Bartholomæus Magnum appellat. Hic lectioni incumbebat assidue præsertim Divi Gregorii Nazianzeni, eamque aliis edisserebat. Hunc beatus Nilus veluti Joannem Baptistam venerabatur: ita ut sæpe vel vestigia pedum ejus ingenti devotione exoscularetur, eumque sacræ scripturæ dubia consulebat, quæ ille sapientissime & doctissime elucidabat. Erutum autem fuit Taurianum ab Agarenis, Mauris, Carthaginiensibus impia inter se inita societate ac magno exercitu comparato adjuvantibus Siculis, beati Nili ævo, quo & alia & Calabriæ, & Lucaniæ, & Apuliæ oppida eversa sunt. Ob quam vastitatem, quia civitates quædam civibus vacuæ remanserunt Episcopales sedes in alia oppida

 trans-

translatæ ſunt, aut aliis adjunctæ. Supra Geoliam (5) *Droſium* caſtellum eſt, quod rorem ſignificat. Et ſupra eſt (6) *Terranova* oppidum nobile edito loco, quaqua verſum rupibus ſeptum in Apennini radicibus, quod *Marnus* fluvius adlabitur torentinis uber, ubi lutræ ſunt. Abeſt a freto m.p. decem: oppidum vetuſtum eſt, ſed poſt Calabriæ vaſtitatem ab hinc annos ſexcentos novis colonis ſuſceptis ſic appellatum eſt. Hic emporium nobile in annos ſingulos celebratur, fit & optimi ſerici ingens numerus. In templo divæ Catharinæ duæ ſpinæ Coronæ dominicæ, & fruſtulum ligni crucis, & columnæ, in qua Chriſtus fuit flagris cæſus aſſervantur: Item fruſtula pepli beatæ Mariæ Virg. Matthæi Apoſtoli, Blaſii, Chriſtophori, & aliorum ſanctorum. Id oppidum in ſpecula exiſtens magna planitie gaudet, quæ frumenti & aliarum frugum ferax eſt, & pabulis apta. Hic vina præclara naſcuntur, fiunt & lina laudatiſſima duum generum, quæ indigenæ maſculina & feminina vocant, fit & cannabis, fiunt & pulcra aucupia phaſianorum, externarum, perdicum, & aliarum alitum, in montibus venationes ſilveſtrium animalium. Sunt in hoc agro pagi (7) *Rigiconum*, *Leonum*, (8) *Martinum* cum cepuriis claris, ubi aquæ calidæ ac ſulfureæ ſcaturiunt, *Martinum* iterum, *Chreſtoum* quod bonum & utile ſignificat, *Vatonum* a vateo abundo, (9) *Radicina* oppido par, " cum linis nobilibus. Ex hoc pago eſt *Ioannes Jacobus Bombinius* Latinis literis eruditus". *Iotrinonum* quaſi medicinale cum linis optimis." Ex hoc pago fuit *Antonius Floceanus* Jureconſultus eximius noſtra ætate, qui Neapoli magnæ fuit exiſtimationis": *Baracadum*" quod *breve* ſignificat" cum mercatu annuo, *Cortiladum*, *Galatonum* ab eventu fortaſſe, galatonus enim lactentem puerum ſignificat: *Scrophonium*, *Molochium*, quod molle notat, & *Molochium* iterum cum emporio. Dein eſt *Caſtellacum* puſillum caſtellum.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Taurianum*. Civitas vetuſtiſſima, de qua Plinius lib. 3. cap. 5. *Portus Herculis, Metaurus amnis, Taurianum oppidum, Portus Oreſtis, & Medma*. Ejus tamen origo ignoratur, & an a quodam *Tauro* Duce, an a *Tauro* Aſiæ monte, an vero a *Metauro* flumine ducta voce, incertum.

2. *Theodorus*. In ſecunda Synodo Nicæna ſub Hadriano I. adverſus Iconoclaſtas habita act. VII. hæc de eo leguntur: *Sedentibus his ante ſacrum ambonem templi Sanctiſſimæ, & almæ Eccleſiæ, quæ cognominatur* Sophia, *præſentibus & audientibus glorioſiſſimo & magnificentiſſimo duce Petrona clariſſimo Conſule, & Petro Patricio, & comite Imperatorii obſequii, præterea Religioſiſſimis Archimandritis, præſidentibus & Monachis eo ordine qui in præcedenti actione eſt annotatus, propoſitis ſanctis & inviolatis Dei Euangeliis, Theodorus Sanctiſſimus Epiſcopus Taurianes inſulæ Siciliæ acceptam in manibus editam definitionem legit*. Ubi notandum *Calabriam* etiam nonomine *Siciliæ* appellari, ut adnotavimus in Anaſtaſ. Biblioth. ſub Agathone, de quo inferius redibit ſermo.

Fuit etiam ex hoc loco *Marcianus* Pre-

Presbyter a S. Gregorio creatus Episcopus Hieracensis, cui etiam causam Cleri Rhegini contra Bonifacium Episcopum delegavit. Epist. lib. 6. & Ughell.

3. *Beatus Fantinus.* Tres fuere hujus nominis viri Sancti: *Fantinus* Calaber, quem aliqui Consentinum faciunt, ut videre est in Monasterio Cryptæ Ferratæ agri Tusculani, *Georgii* & *Briennæ* filius, de quo in menologio Græco a Cardinali Sirleto in Latinum sermonem translato. *Fantinus Taurianensis* Joannis & Thedibiæ filius, de quo hic agit Barrius. *Fantinus* itidem *Taurianensis*, *Fantii* & *Theodatæ* martyrum filius, quem aliqui insulse Syracusas repetunt, ubi aliquando degit; sed vel ex Mandresio scriptore Siculo, qui codicem citat Petri Episcopi Taurianensis, constat Taurianensem fuisse. Hic post reditum a Syracusis, *Taurianum* civitatem suam ad Christum convertit, ibique Sanctitate ac miraculis clarus ad superos evolavit IX. Kal. Augusti.

Fuerunt etiam ex hoc loco Sancti Martyres *Nivitus*, *Cantianus*, *Candidus*, *Chrysogonus*, *Attheon*, *Quintianus*, *Protus*, *Theodulus*, & *Cantionilla*, ut constat ex antiquissimo codice MS. quod extat in Monasterio Basiliano S. Eliæ, & MS. Gualt.

4. *Nono Kal. Aug.* In Martyrologio Basiliano notatur X. Kal.

5. *Drosium.* Distat a mari 3. m. p. Ad equites Hierosolymitanos pertinet.

6. *Terranova.* Olim *Sappominulium.* Hæc nobilis civitas non tam belli calamitatibus, quam intestinis simultatibus plurimum passa est, præsertim anno 1579. Hic dicitur *Gaspar a Fosso* Archiepiscopus Rheginus primam Synodum provincialem celebrasse.

Fuerunt ex hoc loco *Thomas Philipponus*, & *Thomas Montileonus* Dominicanæ familiæ morum integritate conspicui, obruti sunt Soriani in terræmotu ann. 1659. MS. Mart. *Dominicus* Augustinianæ familiæ librum edidit: *Brevis longa methodus medendi.* ex eod. *Philippus Morettus* militum dux strenuissimus, Carolo V. Imp. acceptissimus, obsidioni Tunetanæ interfuit ann. 1535. atque in expeditione Ostiensi clarus, obiit in patria sua, ubi & sepulcrum extat in Ecclesia S. Catharinæ Congregat. Cælestinorum cum epigraphe.

*PHILLIPPO MORETTO TUNETANA IN EXPEDITIONE SUB CAROLO V. CÆSARE PEDITUM DUCI ET IN BELLO OSTIENSI MILITARI PRÆSTANTIA CLARO JACOBUS, FERDINANDUS, MUTIUS, ET MARCUS ANTONIUS FILII PATRI BENEMERENTI. ANNO MD. LXXII.*

*Franciscus Cangemus* Augustinianæ Familiæ edidit librum *de morbis curandis* Romæ 1658. aliaque. Topp. *Franciscus* ex Franciscana reformata familia multis Romanis Pontificibus charus, doctrina, pietate, & prudentia conspicuus. Obiit Romæ senio confectus anno 1597. ut ex Chron. par. pr. lib. X. *Ioannes Franciscus Gualterius* scripsit quædam. MS. Gualter. *Ioannes Leonardus Burghesius* Musicæ peritissimus, scripsit quædam: ex eod. *Joannes Romæus* instituti Capuccinorum sanctæ vitæ vir, spiritu prophetiæ afflatus. Obiit Calatri ann. 1473. magna sanctitatis fama. Chron. *Julius Mantineus* Congregationis Cælestinorum Abbas Generalis emeritus. Obiit ann. 1680. MS. Mart. *Marcellus Stillitanus* Romanæ Cu-

Curiæ Præsul integerrimus Ms. Gualt.

*Paulus Gualterius* a Molochio Archipresbyter & Parochus summæ eruditionis vir, optime de Calabria meritus, edidit librum, *Il glorioso trionfo, e leggendario de' Santi Martiri di Calabria* Neap. 1630. in 4. Topp. Multa scripsit ad Calabriæ historiam pertinentia, ejus MSS. apud heredes asservantur, utinam edenda, quæ nos sæpius in hoc opere laudare contigit. Obiit IV. Kal. Decembris 1655. septuagenario major, diversus, ut puto, ab alio *Jo: Paulo Gualterio* Altimontano de quo supra lib. II. Cap. III. num 2. *Vincentius Manerius* Carthusianus, eruditione & pietate clarus, edidit librum *de Passione Christi* heroico carmine concinnatum, Neap. 1540. & *de Ascensione* carmine Sapphico, aliaque apud Tutin. & Topp.

7. *Rigiconum*. Ex his septem jam interiere, nempe *Cortiladum*, (ex cujus reliquiis constructum est *Castrum novum* vulgo *Casalnuovo* anno 1616. quod modo satis habitatorum habet, *Chrestoum*, *Leonum*, *Bracadum*, *Pitura*, *Carbonarium*, & *Castrum novum*. Civitas cum aliquot pagis ad Opedensem; aliorum pars ad Rhegiensem, pars vero ad Miletensem Diœcesim pertinent.

8. *Martinum*. Vulgo *S. Martino della Piana*. Pagus vetustissimus. Hic erat *Vallis Salinorum*, vulgo *Piana di S. Martino*, ubi Carolus, Salerni Princeps aciem instruxit. *Summont.* Hic identidem inter Honorium IV. Pontificem & Carolum I. Andegavensem 3. Kal. Aprilis 1283. de Regno conventum est. Capit. regn. fol. 332. Hinc fuerunt *Franciscus*, & *Angelus* instituti Capuccinorum sanctitate vitæ & miraculis clari. Obiit ille ann. 1574. hic vero Mileti 1572. Chron. p. 2. t. 1. In Diœcesi Miletensi.

9. *Radicina*. Ex hoc loco fuit etiam *Bonaventura* instituti Capuccinorum laicus vitæ puritate & miraculis conspicuus: obiit octogenarius V. Kal. Martias 1575. cælesti visione recreatus. Chron. p. 2. t. 1. *Joannes Franciscus Gemellius Carera* M. C. V. Judex emeritus. Hic literis & militia clarus totum peragravit orbem, ac suæ peregrinationis librum edidit *Giro del Mondo* novem tomis distributum Neapoli 1700. Vivit modo *Dominicus Sfarapetra* Presbyter eruditione clarissimus, amicus noster.

# CAPUT XVIII.

## *De Opedo & Seminaria Civitatibus, Parma & Balnearia, aliisque Oppidis & Pagis, ac de Scylla & Charybdi.*

SUpra est (1) OPEDUM civitas, sedes Episcopalis, in radicibus Apenini edito salubrique loco sita, opem incolis dans, inter duos amnes *Trecotium* & *Madam*, torentinis & anguillis fecundum, quæ est undique vallibus cincta. Hic nobiles nundinæ quoto quoque anno celebrantur Ager hic cuncta incolis suggerit necessaria, nam frumenti & aliorum frugum ferax est, & pascendis gregibus aptus & irriguus, ubi egregia equorum armenta æstivo tempore pabulantur.

tur. Fiunt olea & vina, & ferica nobilia. Sunt in hoc agro pagi (2) *Varapodum* oppido par cum emporio, quasi gravis stabilisque pes, *Chrotonum* quod laudem sonat, *Tresilicum*, *Mesinadum*, & *Sargonadum*. Hic olivæ ad amygdalarum magnitudinem crassæ, & carnosæ conditæ in cupis optimæ sunt esu. Nec longe est (3) *Christina* castellum humili loco situm in radicibus Apennini, quod ejusdem nominis fluvius præterfluit. In hoc agro silvæ glandiferæ sunt ad porcos alendos opportunæ, nec non silvæ ad domorum tigna, ac supellectilia, & ad navigiorum fabricam aptæ: fiunt venationes, quales Calatri, fit & oleum nobile, olivæ ad amygdalarum magnitudinem crassæ & carnosæ conditæ in doliolis optimæ sunt esu. Sunt in hoc agro pagi (4) *Pedaulum* quasi pinguis pes, vel puerorum aula, cum linis optimis, quæ Alexandrinis minimum invident: *Sidum* cum emporio annuo, quod assulam, scandulamque significat, itidem cum linis optimis, qualia Pedauli fiunt, (5) *Georgia*, quod agricolationem sonat, *Cocypædonum*, quod puerorum ploratum notat, *Lobricum*, & *Sitizanum*, a Sitizo *nutrio* dictum, ubi marmor nascitur. Hi pagi Græci sunt: & rem divinam Græca lingua ac more faciunt; in quotidiano vero sermone Latina & Græca lingua utuntur. Exin ad meridiem proficiscenti (6) *Synopolis* oppidum se se offert in Apennini radicibus edito, sed pensili loco, quod *Vadus* fluvius torentinis & anguillis uber adlabitur. Ex (7) hoc oppido fuit beatus *Paulus* Minorita, cujus corpus Nicoteræ quiescit. In hoc agro castaneta sunt, & pagi *Euphemia*, (8) *Præcopum*, *Synopolis* Græcus pagus cum mercatu annuo, (9) *Aquarium*; ubi nascitur vinum nobile, fit optimi olei ubertas; hinc etiam olivæ ad amygdalarum magnitudinem crassæ & carnosæ sunt, quæ conditæ in cadis optimæ sunt esu. Non longe a Synopoli *Cosiletum* tenue castellum est. Inde (10) *Melichlochia* oppidum, ubi olei optimi copia ingens fit, & olivæ quales Synopoli. Hic emporium in annos singulos celebratur. Est & beati *Eliæ* Abbatis divi Basilii monachi templum, cujus corpus Calatri esse existimatur. Dehinc (11) SEMINARIA civitas offertur *Tauriani* reliquiæ a freto m. p. tribus semota declivi loco orientem solem spectante. Nam post Tauriani vastationem populus ea clade superstes cum suo Pontifice huc se contulit, perstetitque hic Episcopalis sedes annis plurimis. Sed Rogerius Guiscardus & hanc, & Hipponiatem sedem Miletum transtulit, quod tum & Hipponiates, & Taurianensis, qui huc concesserat, populus exiguus esset. Nunc autem & Hipponium, & Seminaria clara oppida sunt, ac satis populosa. Quare utrique Episcopalis sedes restituenda esset, remanente Mileti sua. Nam nunc Miletensis diœcesis ingens est, ut in tres diœceses commode distribui possit. Fit hic serici & olei probatissimi copia, olivæ crassæ, & carnosæ sunt, quales Melichlochiæ. Fiunt telæ nobiles, nascitur vinum non vulgare, & gypsum speculare, fiunt aucupia phasianorum, externarum, & aliarum alitum. Haud procul est beati *Philareti* ædes divi Basilii monachorum cœnobium, ubi ipsius Philareti brachium, & beati Eliæ ejus magistri caput asservantur. Fuit beatus hic Philaretus divi Basilii monachus hujus regionis accola, ejus magister fuit, ut dixi, beatus Elias. Festum beati Philareti octavo idus Aprilis cele-

celebratur. Subtus oppidum *Metaurus* amnis excurrit. In hoc agro pagus est(*a*) *Anna, Decalstidium* Antonino Pio in Itinerario cum olei optimi copia, & olivis crassis & carnosis, quales Seminariæ. In hoc agro usque *Cænidem* crocus silvestris affatim provenit. Inde est (12) *Parma* oppidum supra mare cum oleo nobili, distat a Geolia m. p. sex. Non longe est beati Phantini delubrum, olim beato Mercurio dicatum divi Basilii monachorum monasterium, ad quod beatus *Nilus* monachalem habitum suscepturus accessit, ubi tunc plerique sancti viri erant, ac præter ceteros, erat beatus *Phantinus*, beatus *Zacharias*, beatus *Lucas*, & beatus *Philaretus*: Supra oppidum mons est sublimis mari imminens, hic specus est, in quo beatus Elias Abbas solitariam vitam interim degere solebat, quam interdum etiam beatus Nilus incolebat. Parmæ retia thynnaria sunt, est enim mare hoc piscosum, ubi thynni & xiphiæ, & murenæ, & auratæ, & congii, aliique nobiles pisces capiuntur. Capitur Coralium. Post Parmam (13) *Balnearia* oppidum offertur, cum statione, mare alluitur, edito loco sita inter duos amnes *Catianum* & *Stalassam*, abest a Parma m. p. septem. In phano divæ Mariæ pleræque sanctorum reliquiæ asservantur, inter quas est frustulum crucis dominicæ, & tabulæ, in qua Dominus cœnavit, & vestis beatæ Mariæ Virg. Post Balneariam ad tertium lapidem *Crateis* fluvius in mare cadit, cujus meminit Plinius, qui ait, *Crateis amnis* (*b*) *mater, ut dixere, Scyllæ*. Id quoque scribit Solinus, itemque Ovidius Meth. libro tertiodecimo, meminit & Virgilius in Cyrim, & Homerus Odis. libro duodecimo. " Fingunt enim Poetæ Glaucum deum marinum Scyllam Phorei, & Crateidis nymphæ filiam adamasse". Dehinc (14) *Scyllæum* oppidum occurrit, mari incumbit, supra *Scyllæum* promontorium, sublime saxum, distat a Balnearia m. p. septem, arx est hic loci natura & inde manu satis munita. De quo Strabo libro sexto ait:
„ Scyllæum excipit saxum sublime, quod humilem a tergo tellurem
„ abluentibus undis habeat, in Chersonesi faciem, quam Rheginorum
„ tyrannus Anaxilaus ædificato munivit muro, ut Tuscis navale strue-
„ retur, & prædonibus navigandi per euripum facultatem interciperet„.

Crassus, ut ait in eo Plutarchus, Spartacum in hac Rheginorum chersoneso exercitum statuentem, loci naturam diligenter contemplatus, fossa & muro interclusit. Isthmum enim muro clausit, & Spartacum a continenti disjunxit. Et licet opus magnum esset & perdifficile, brevi tamen temporis spatio ex transverso isthmi utrinque ad mare pertingentem trium millium pas. cum dimidio fossam quindecim pedum latitudine atque altitudine totidem duxit, superque eam murum constituit robore atque altitudine mirandum. Hæc primo Spartacus contemnere, ac nullius omnino momenti ducere simulabat. Inde vero deficientibus commeatibus, cum jam nihil in chersoneso superesset, quod ad victum suppeditaret, noctem observans nebulis obscuram & vehementer ventorum flatibus turbulentam, non magnam fossæ partem abscissis arborum ramis, ac superinjecto aggere complevit, & sic Crassum frustratus evasit. Scyllæi, ait Solinus, (*c*) Ulysses Minervæ templum extruxit. Hic Dionysius Apher Scyllæum Minervæ promontorium nuncupat. Dictum est autem Scyllæum a (15) *Scylla* monstro, ut

ut poetæ fingunt. In superiori enim parte promontorium id humanam effigiem, in inferiori vero plures refectos scopulos sub radicibus cavernosos habet, intra quos dum æstuosum mare ingreditur, ab iis refractum tumultuando canum latratum, & luporum ululatum sonat ac repræsentat. (16) Hinc poetæ fabulantur monstrum esse virgineam faciem pubetenus, reliquam vero corporis partem piscium vel canum, atque luporum habens. Hinc igitur fabulæ *Scyllam* & (17) *Charybdim* peperere, hinc latratus auditus, hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus pelagi dissidentis exterriti latrare putant undas, quas sorbentis æstus vorago collidit. Hanc cecinere Homerus Odys. libro duodecimo, & Virgilius Æneid. libro tertio, & Ovid. Meth. lib. tertiodecimo & sequenti. Hic Vlysses, ait Dyctis Cretensis, inter Scyllam & Charybdim mare verticosum sævissimum & illatas sorbere solitum naves fabulam sic est interpretatus: „ Scyllam ferunt virginem „ pulcherrimam, quam Glaucus Antedonis filius amavit, quem Cir- „ ces Solis filia diligebat, irataque Scyllæ, fontem in quo lavari soli- „ ta erat, venenis infecit. Vbi illa descendens ab inguine lupis cani- „ busque marinis inserta est „. Scylla enim Græce quasi Scyllon dicta est, quod nos Latine confusionem dicimus. Et quid confusio nisi libido est? Quam libidinem amat Glaucus. Glaucus enim Græce luscitiosus dicitur, unde & glaucomata dicimus cæcitatem. Ergo omnis, qui luxuriam amat cæcus est; nam & Antedonis filius dictus est, Antedon enim Græce quasi Antidon, quod nos Latine contraria videns dicimus. Ergo lippitudo ex contraria visione nascitur. Scylla enim in modum ponitur meretricis, quia omnis libidinosa canibus lupisque inguina sua necesse est misceat. Iuste ergo lupis & canibus mista, quia nescit sua alienigenis devorationibus saturare secreta. Sed hanc odisse Circe dicitur: Circes manus dijudicatio & operatio nuncupatur, Laborem enim manuum & operationem libidinosa mulier non diligit, sicut Terentius ait; *A labore proclivem ad libidinem, accepit conditionem, dehinc quæstum occipit.* Nam Ulysses innocuus transit qui libidinem sapientia contemnit. In Scyllæo agro nobile vinum nascitur, (*d*) *melvasium* dictum, quale nascitur Cretæ. In hoc mari, ut dixi, piscium, & præsertim galeatarum, idest Xiphiarum magna piscatio fit. De quorum captura ita Strabo libro primo scribit: „ De geleatarum piscatione, quæ circa Scyllæum tractum instituitur, manentibus in „ statione frequentibus remorum duorum scaphis, speculator quidam „ communis superne instat, duos singulæ scaphæ tenent, alter navigat, „ alter hastam habens sedet in prora. Cum primum vero speculator super- „ eminentiam galeatæ signo indicat, belluæ vero supra mare pars ter- „ tia eminens fertur, scapha propius appellitur, deinde jacto manu „ telo vulnus incutitur. Tum evulsa sine cuspide de corpore hasta, „ quod telum sane est hamatum ut educi facile queat, apteque infixo „ ei funiculo, appensum sauciatæ acclinant belluæ, donec agitata suf- „ fugiensque lassatur. Tunc in terram deducunt, aut intra scapham „ accipiunt. Quod si in mare telum exciderit, haud sane perit. Est „ nanque vel e quercu, vel ex abiete compactum, adeo quod quer- „ na gravitate demersum, deinde in sublime relatum facile possit

„ ap-

„ apprehendi. Contigit autem interdum & remigem in ſcapha „ per magnum geleatarum gladium vulnerari. Et cum inſtar apri belluæ „ vigeat impetus, aſperrime fit ipſa venatio„. Thynni enim cum gregatim præter Italiam acti elabuntur, & in Siciliam attingere prohibentur in majores incurrunt belluas, ut puta delphinos, canes, aliaſque balenis ſimiles, equorum venatione canes & galeotas pinguefcere, quos xiphias ideſt gladios appellari ferunt. Vnde Homerus Odyſ. xii.

*Illic circa Scyllam & ejus ſcopulum piſcoſum*
*Delphinorum canumque indagatrix, & ſiqua apud Græcos eſt balena.*

De bonitate gladii piſcis hujus & Byzantini maris Archeſtratus apud Athenæum lib. ſeptimo ait:

*Accipito gladii accedens byzantia fruſta*
*Vertebramque ipſam poſtremam: eſt optima nanque*
*In Siculo ponto circa oſtia ſumma Pelori.*

Canem vero marinum Nicander, Athenæo lib. eodem referente, Lamiam & Scyllam vocari inquit. Laudatur & Latus piſcis in hoc mari. Athenæus lib. eodem ait: *Latum optimum naſci in Italia ſcribit Archeſtratus hunc in modum:*

*Italiæ nemoroſa Latum ſibi præbeat ora,*
*Quod Scyllæus habet epulum mirabile portus.*

Eſt, ait Athenæus, hic piſcis candidiſſimus, atque optimus, ſuaviſſimuſque quacunque ratione fuerit conditus.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Opedum*. A Græco, ut puto, ὀπηδὸς *comes*. Dicitur etiam *Oppidum*. Civitas incertæ originis, ex reliquiis Metauriæ & Tauriani, ut credere par eſt, vel extructa, vel aucta. Anno 1059. a Rogerio Comite obſeſſa, & ann. 1577. peſtilentia vexata. MS. Gualt. Hinc fuit *Chryſoſtomus Palumbus* Congregationis Cæleſtinorum doctiſſimus, ſcripſit *Chronicon Monaſterii de Caſaluce* in Campania MS. Gualt. *Barnabas* ex monacho Baſiliano Epiſcopus ann. 1338. *Nicolaus* ex Archidiacono item Epiſcopus ann. 1352. Ughell. *Franciſcus Grimaldi* Cler. Regul. doctrina clarus. Amat.

2. *Varapodum*. Patria *Matthæi* ex Franciſcana reformata familia ſanctæ vitæ viri. Chron. MS.

3. *Chriſtina*. Vulgo *S. Criſtina*. Ex hoc loco fuerunt *Deſiderius Medio-pica* Carmelita Theologus celeberrimus, interfuit Concilio Tridentino, mox Epiſcopus Boſanus in Sardinia, inde tranſlatus ad Eccleſiam Ugentinam in Regno Neapolitano, obiit 1593. Ughell. & MS. Gualt. tametſi nonnulli ridicule Siculum faciant. *Hieronymus Barlingous Bellotta*, & *Ludovicus* ex reformata Franciſcana familia morum integritate clari. Chron. MS. ad ann. 1680. *Hieronymus Mediopica* ter apud Regem Hiſpaniarum Orator. MS. Gualt. In Diœceſi Opedenſi.

4. *Pedaulum*. Hinc fuit *Catharina Rechichia* eximiæ pulcritudinis & caſtitatis exemplar, quæ a perditiſſimis hominibus in diſcrimen adducta vel

vel vitæ vel pudicitiæ, Lucretia Romana major, mori maluit quam fœdari. Gualt. in Martyrol. 31. Januar. *Joannes Germanus* Presbyter eruditione conspicuus, edidit librum *Super Vaticiniis S. Malachiæ*, Neap. 1674. MS. Mart. In ead. Diœcesi.

5. *Georgia*. Vulgo S. *Giorgia*. Olim Ἱεράγια, quod Latine *Sacrosanctam* sonat. Cœpit autem appellari *Georgia* anno 1628; ut ait Paulus Gualterius auctor synchronus, Sancta in Patronam adscita. Hinc fuit *Hieronymus* instituti Capuccinorum Sacerdos, qui anno 1561. dum pestilentia per agrum Rhegiensem grassaretur, ægros verbo Dei, atque Ecclesiæ Sacramentis muniens, victima charitatis occubuit, Sanctitate & miraculis clarus. Chron. Est in Diœcesi Opedensi.

6. *Synopolis*. Seu verius *Sinopolis* a Sinone Northmanno, ut Gualterio placet, extructa, vel restaurata Σινόπολις namque *Sinonis civitatem* sonat. Extat fons nobilis aquarum nitrosarum. Hic B. Mariæ Virginis icon miraculis celeberrima religiosissime colitur. In Diœcesi Miletensi.

7. *Ex hoc oppido*. Fuere quoque *Franciscus* instituti Capuccinorum laicus sanctæ vitæ vir. Obiit ann. 1606. cælesti visione recreatus. Chron. *Octavius Camerarius* Medicus celebris, scripsit quædam P. Cajet. to. 1. de Sanct. Sic. *Nicolaus Carbone* Jurisconsultus edidit librum *Practica practicarum &c.* Venet 1590. *Scipio de Gregoriis*, & *Camillus Carnevalius* eruditissimi Maraf. & Amat.

8 *Præcopum*. Vulgo *S. Procopio*. Patria *Hyacinthi Garcæa* Grammatici celeberrimi, qui nostris temporibus librum edidit pro addiscenda lingua Latina utilissimum, *Ingeniosa Apis* Neap. 1710. sæpius recusum & Commentarios in Hymnos sacros. In ead. Diœces.

9. *Aquarium*. Ab aquis nomine ducto. Stemma enim hujus loci flumen est, quod illac præterfluit. Hinc vel ex alio *Aquario* Arenarum fuit *Heronymus* instituti Capuccinorum verbi Dei præco celeberrimus, qui Consentinæ Provinciæ diu Sanctitate vitæ & miraculis præfulsit. Chron. p. 2. to. 2. ad ann. 1595. In Diœc. Mileten.

10. *Melichlochia*. Vulgo *Meliccocà*. Ex hoc loco fuit *S. Lucas* instituti Basiliani Episcopus Isulanus, sanctitate & miraculis clarus, ut colligitur ex vetustissimo codice MS. Græce exarato, quod asservatur Messanæ in Monasterio SS. Salvatoris. Conjicere autem par est, Sanctum Episcopum acceptissimum fuisse Rogerio Comiti, qui Episcopatum Isulanum impense auxit. Vide Ughell. *Bernardus Spina* Jurisconsultus & Prætor Civitatis Januæ. MS. Gualt. *Michaelangelus Falvetta* Presbyter musicæ peritissimus in Cathedrali Ecclesia Messanensi Musicorum præfectus circa ann. 1695. MS. Mart. *Petrus Gammacurta* ex Principibus Ardurii Congreg. B. Petri de Pisa, Campanellæ discipulus, memoriæ arte & doctrina clarus. Nonnulli tamen Ardurium repetunt. Obiit Romæ in Conventu S. Honuphrii ann. 1689. septuagenarius Topp. Hoc oppidum sub ditione est equitum Hierosolymitanorum.

11. *Seminaria*. Civitas nobilis, quasi Seminarium non tam rerum ad vitæ commodum, quam illustrium virorum ad gloriam. Cum enim major pars Tauriani tunc temporis floren-

tissimi, atque a Saracenis destructi huc confluxisset, non tam divitias quam virtutes adduxit. Evenit autem anno, ut ex Protospata colligitur 986. in quo tota fere Calabria depopulata est.

Fuerunt ex hoc loco *Philippus Spinellius* ex Comitibus Seminariæ Archiepiscopus Colossensis, mox Episcopus Polycastrensis & Cameræ Apostolicæ Clericus, inde Nuntius Apostolicus ad Rodulphum Imperatorem, & Vicelegatus Romandiolæ, tandem post tot exantlatos labores S. R. E. Cardinalis tit. S. Bartholomæi ad Insulam Tiberinam creatus a Clemente VIII. postridie Nonas Septembrias 1603. & anno 1605. Episcopus Aversanus. Obiit ann. 1616. quinquagenario major. Ciacon. & Oldoin. to. 4. tametsi Gualterius in suo Ms. Christinam repetat. *Jacobellus* Minorita Episcopus Bovensis ann. 1441. Obiit Romæ 1443. Ughell.

*Barlaam* ex monacho Basiliano Episcopus Hieracensis ann. 1342. de quo Barrius in suppl. infra lib. III. Cap. V. Hic Imperatori Constantinopolitano Andronico Palæologo juniori acceptissimus Græcos omnes schismaticos qui eum oderant semel atque iterum profligavit, præcipue ann. 1341. in Synodo Constantinopolitana coram Imperatore & Joanne Patriarcha. Sacra prophanaque eruditione nulli secudus, Leontium Thessalonicensem, Bucatium, Paulum Perusinum, Petrarcham, aliosque docuit. Scripsit contra Græcos Epistolas quinque, de Primatu Papæ, Ethicam Stoicorum, aliaque apud historicos ingenii sui acerrimi præclarissima monumenta. Extant & Ms. varia Viennæ in bibliotheca Cæsarea. Vide Nicephorum Gregor. lib. 2. Ughell. in dicta Diœcesi n. 12. Philipp. Cypr. Bucat. in genealog. lib. 15. Philipp. Bergom. Voss. Leon. Allat. Topp. aliosque. Fuit & alius *Barlaam* Episcopus Hieracensis natione Constantinopolitanus; quem aliqui Calabrum dicunt, & ex duobus unum faciunt.

*Angelus* Jerace Minorita sanctæ vitæ vir, Cœnobii Bethlehemitici Guardianus emeritus, anno 1610. Terræ Sanctæ Vicarius, ann. 1614. a Summo Pontifice paulo V. in Ægyptum legatus, & S. Sepulcri Guardianus, a barbaris cæsus occubuit. Ms. Gualt. ubi laudat historiam Seraph. Gonzag. *Dominicus Anania* ex Dominicana familia sanctæ vitæ vir, obiit Soriani in terræmotu ann. 1659. cum aliis, de quibus alibi. Ms. Mart. *Dominicus Cianciarusius* ex Dominicana itidem familia edidit opusculum *L' Umiltà non finta* Messanæ recusum ann. 1690. Ms. Mart. *Vincentius Martelluccius* ejusdem familiæ, sanctæ vitæ vir. Amat.

*Franciscus Silvestrius*, dux militum in Messanensi bello ann. 1674. ut ex sæpius laudato Ms. Dominici Martyre auctoris synchroni *Franciscus Supravia* Philosophus & Medicus peritissimus scripsit *de Natura rerum* adversus Peripateticos. Maraf. lib. 1. Cap. 30. *Franciscus Martellius* Comes Palatinus Ms. Mart. *Franciscus Tornesius*, Musicus & Poeta celebris, Civitatis Messanæ Secretarius Ms. Mart. *Petrus* instituti Capuccinorum Sacerdos Sanctitate & miraculis clarus. Obiit ann. 1576. octogenarius, prænuntiato mortis die. Gualt. *Joannes* ejusdem instituti laicus vitæ sanctitate & pœnitentia conspicuus. Obiit centenario major magna Sanctitatis fama: corpus mirabili odore ac sudore per-

perfusum triduo insepultum jacuit, ut confluentibus fieret satis. Chron. ann. 1593.

*Julius de Alexandris* Dux militum Ms. Mart. *Joseph* ex Franciscana reformata familia vitæ integerrimus Chron. *Ms. Jacobellus Francus* Comes Palatinus, ut ex inscriptione quæ extat in Ecclesia PP. Conventualium.

*SALVATORIS JESU CHRISTI TRANSFIGURATIONI DICAVIT, ET SIBI ET SUIS A FUNDAMENTIS OPE DIVINA EREXIT JACOBELLUS FRANCUS, ANTONII FILIUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA MILES ET COMES PALATINUS ET CANONICUS MILETENSIS* 1555.

*Scipio Chiricus* Dux militum Ms. Mart. *Thomas Speranza* Caroli V. Imperatoris familiaris ut ex Diplomate ann. 1549. MS. Gualt. *Joannes Baptista Modius*, Medicus celebris, unus ex primis filiis S. Philippi Nerii, de quo infra; tametsi alii Seberinatem faciant, Calabrum tamen nullus inficiatur. Vide infra lib. IV. Cap. IV. n. 1. In Diœcesi Miletensi.

12. *Parma*. Nunc vulgo Palme. Pagus olim ex reliquiis Tauriani inhabitari cœptus; nunc oppidum nobile est satis habitatoribus plenum. Ex hoc loco fuit *Antonius* Minorita, celebris concionator, ubi & cœnobium ædificavit. Gonzag. hist. Seraph. & MS. Gualt. In Diœcesi Miletensi.

13. *Balnearia*. Non semel civitas appellata. Vulgo *Bagnara*, a balneis ducto vocabulo. Hæc sive Civitas, sive oppidum a Northmannis extructa sub Rogerio Comite, & ab iisdem inhabitari cœpta est an. 1085. Ubi primo Ecclesiam cum Monasterio sub titulo S. Mariæ & SS. Duodecim Apostolorum ædificarunt, quæ ad Canonicos Regulares S. Augustini aliquando descivit, tum ad Ordinem Florensem, inde nempe ann. 1470. ad Canonicos Lateranenses, & sub Sixto IV. ann. 1471. ad Capitulum Lateranense, quod Civitatem sive oppidum vendidit *Jacobo Ruffo* ann. 1579. ut ex instrumento & actis Capitularibus. Hæc Civitas sive oppidum multis privilegiis gaudet, ut ex Diplomatibus Caroli III. ann. 1381. Joannæ II. 1432. Alphonsi 1443. & Regis Ferdinandi de Aragonia 1503. in eodem Archivo asservatis. Jurisdictio spiritualis pertinet ad Priorem Conventus S. Dominici, qui ibidem præsidet, ut ex Indulto Sixti V. Nonas Majas 1588.

Hic natus est, ut ait Dominicus Martyre in suo MS. *Thomas Ruffus* ex Ducibus Balneareæ inter nobilissimas Italiæ familias cum Majoribus suis coruscans, S. R. Ecclesiæ Cardinalis, atque Arhiepiscopus Ferrariensis, de S. Sede Apostolica optime meritus, ejusque nepotes *Antonius* Cameræ Apostolicæ Clericus, & *Joseph* omnigena eruditione clarissimus, Episcopus Liciensis.

*Clemens Blasius* Dominicanæ familiæ doctrina & morum integritate clarus. Obiit Romæ ann. 1656. Topp. *Franciscus* ex reformata Franciscana familia sanctæ vitæ vir. Chron. MS. *Marcus de Philippis*, Poeta, in *Tragœdia S. Catharinæ* aliisque pœmatibus celebris. Maraf. *Antonius* instituti Capuccinorum vitæ sanctitate conspicuus. Amat.

14. *Scyllæum*. Vulgo *lo Sciglio*. Nonnulli scriptores ob Calabræ geographiæ imperitiam *Scyllæum* cum *Scylaceo* aliquando confundunt, cum alterum ab altero satis discriminetur.

15 *Scylla*. Si Græcis credatur ἀπὸ τοῦ σκύλ-

σκύλλειν a *vexando* dicta est. Sed Græci, ut alibi diximus, omnia antiquitatis monumenta susque deque habentes corruperunt. *Scylla* siquidem non a Græca sed a Punica voce סקול *Scol* idest *exitium* deducitur. Vide Bochart. in Chanaan lib. 1. Cap. 28. Heraclitus, quem Leo Allatius in Latinum sermonem transtulit hæc de *Scylla* ait: *Eam narrant præternavigantes exedere. Sed fuit scortum non inelegans insulare, habebatque penes se voraces ac impudentis oris parasitos, cum quibus peregrinos devorabat, inter quos & Vlyssis comites exhausit: Vlyssi vero veluti casto non nocuit.*

16. *Hinc poetæ fabulantur.* Virgilius in Cyrim hæc de *Scylla* cecinit, tametsi de opusculo hoc nonnulli dubitent an Virgilii sit.

*Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero*
*Ipse Cratem matrem, sed sive hanc, sive Erichthei,*
*Sive illam monstro genuit grandæva biformi,*
*Sive est neutra parens, atque hoc in carmine toto,*
*Inguinis id vitium Veneris descripta libido.*

Et Propertius lib. 4. eleg. 4.

*Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos*
*Candidaque in sævos inguina versa canes?*

17. *Charybdim.* Multi putant *Charybdim* scopulum esse sicut & *Scyllam*, sed hallucinantur, cum sit vortex ex adverso *Scyllæ*. Græci ut moris est ἀπὸ τοῦ χάιν ειν, vel χάσκειν ab *hiando* & ῥύβδην *impetuose* derivant; sed rectius ab Hebraica voce composita חור־אובדן Chor-Obdan idest *foramen perditionis* deducendum putamus. Vide Bochart. in Chan. lib. 1. Cap. 28. Unde proverbium invaluit, *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim*: & de iis dicitur qui dum quærunt periculum minus evitare, in majus incidunt.

Fuerunt ex *Scyllæo* viri in omni virtutum genere, sanctitate præcipue, celebres. Sancti Martyres *Speratus*, *Martialis*, *Aquilinus*, *Citinus*, *Beturius*, *Felix*, *Lactantius*, *Januarius*, *Generosa*, *Bessia*, *Donata*, & *Secunda*: omnes hi Carthaginem ducti sub Saturnino Præfecto sanguinem pro Christo fuderunt & Martyres Scyllitani appellati sunt. Vide *Martyrolog. Nautkeri*, *Baron. aliosque*, tametsi nonnulli ad novam Carthaginem vulgo *Carthagena* in Hispania referant. Id sane tunc temporis erat Calabros inter Aphricanosque commercium, ut S. Gregorius Papa lib. 2. ep. 26. Episcopo Scylacensi Aphricanorum ordinationem interdixerit. Fuerunt & Sancti Martyres *Cucuphates*, & *Felix* fratres in Hispania pro Christiana fide passi. *Martyrolog. Nautkeri*.

Fuit & *Ambrosius Carpansanus* Philosophus & Medicus celeberrimus. Maraf. *Benagiamus Romæus* Presbyter vitæ integer, S. Petri Apostolorum Principis solertissimus imitator vel in captura piscium, quos spatos vocant; erat enim piscator ingeniosissimus. Maraf. *Franciscus Palmerius* ex Dominicana familia opusculum edidit *La Pastorella Domenicana* Messanæ 1670. Topp. *Joannes Baptista Alemagna* Medicus celeberrimus edidit librum *de Febribus* Neap. 1530. Topp. *Joseph Lottellus* ex Dominicana familia *Vitam B. Rosæ a S. Maria* a P. Gonzalez Latine scriptam in Italum sermonem transtulit, & evulgavit Montileoni 1668. in 8. Topp. *Nicolaus Rodius* Philosophus & Medicus clarissimus edidit quasdam dissertationes criticas contra Ferdinandum Cassanum pro Altimario magistro suo, & Jo: Andrea Nola Crotoniensi, Venetiis 1568. in 4. Pasch. Gall. in bibl. medic. Topp. & Ms. Gualt. Notandum autem hic non abs re erit Joannem

nem Ravisium in sua Officina huic loco adscripsisse *Apollodorum* Medicum Græcum, qui scripsit *de Venenis*, sed Plinius, quem laudat, nihil de hoc; immo Athenæus dipnos. Atheniensem facit. In Diœcesi Rhegiensi.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Anna*. Nunc Sant' *Anna*, *Decastalium* Antonino. Sic omnes.

(*b*) *Mater, ut dixere, Scyllæ*. Cratæis amnis, nunc *piscium amnis* ab accolis appellatur. *Mater Scyllæ*, ut Homerus XII. Odyss. Virg. in Cyri & Ovid. XIII. Metam. Itaque legendum in Plinio & Solino, *Mater* ut dixere *Scillæ* non autem *Pater*, ut pessime emendarunt scioli quidam Grammaticuli. Vide Scalig. in Cyri.

(*c*) *Ulysses Minervæ*. Falsum est Ulyssem in Brutiis templum extruxisse, legendumque apud Solinum *in Picentinis* ut alibi satius declaravimus. Nec verum est Dionysium Aphrum Scyllæum Promontorium, Minervæ Promontorium appellasse. Vide omnino Dionys.

(*d*) *Malvasium dictum*. Vinum quod nunc dicitur *Malvagia*, non *Malvasium*, sed vinum *Creticum*, & *Ancisium*. Franc. Petrar. *Il Vin di Creti*;

# CAPUT XIX.

## *De Malleis & Euripo, ubi de æstu maris mirabili.*

Supra Scyllæum (1) *Mallea* oppidum erat, quod interiit, cujus meminit Antoninus Pius in itinerario. Extat templum semirutum. Aberat a Nicotera m.p. vigintiquatuor ni textus depravatus est. Post Scyllæum (2) (*a*) *Cænis* promontorium occurrit Geoliensem sinum efficiens, & Euripi initium. Abest a Scyllæo m. p. tribus, a Lao ait Strabo, m. p. clxx. Euripi tractus usque ad Herculeum promontorium milliaria sunt lx. De Euripo ita Strabo infit: „ Cænis „ promontorium ultimas conficit oras, & angustias freti ad pro„ minens Siciliæ promontorium Pelori, quod in æstivos vergit ortus, „ sicut Cænis in occasum, cum mutuam inter se faciant inflexio„ nem. A Cænide in (*b*) Possidonium recessum & Rheginam colu„ mellam ad Euripum angustus provenit meatus ad stadia sex, ubi mi„ nimus trajectus paulo major est. Ab ipsa vero Columella ad Rhe„ gium m.p. xii. cum dimidio, cum prodeuntibus in exterius & orien„ tale pelagus, quod Siculum dicitur, latior extenditur Euripus. „ Minimus autem Euripi trajectus in Cænide est „. Cænis autem, ait Plinius, abest a Peloro Siciliæ promontorio milliario cum dimidio, id etiam astruit Diodorus Siculus. Thucidides vero, & Polybius dicunt Siciliam a continenti abesse m. p. duobus cum dimidio id etiam asserit Parrhasius qui locum hunc se metatum fuisse ait. De Euripi autem natura Strabo libro primo ita scribit: „ Quolibet die „ & nocte Euripi fretum bis fluxum alternat, quod ex altiore su„ per-

„ perficie Tyrrheni maris inundatio descendit. Nam fluxus ipse eo-
„ dem tempore incipit, & quiescit, quo ipsæ inundationes. In-
„ cipit enim (3) circa exorientem lunam & occidentem, desinit
„ autem cum utique cœli medio & super terram adjungitur, & de-
„ crescentiæ contrarium exeuntem vocari, utrisque per cælum me-
„ diis sitibus lunæ incipientem, sicut ipse, excrescentiæ. Inundan-
„ tiæ vero conjunctionibus ad ortum & occasum desinentem „. Homerus vero & Virgilius ter die id fieri scribunt. Ait enim ille Odys. xii.

*Terque die revomit, ter sorbet deinde reflexus:*
*Terrificum est, ibi nec fueris sorbente Charybdi,*
*Te neque ab hac pesti servaverit Enosigeus.*

Hic vero tertio Æneid ait:

*Dextrum Scylla latus, lævum implicata Charybdis*
*Obsidet, atque ima barathri ter gurgite vastos*
*Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras*
*Erigit alternos, & sidera verberat unda.*

Idipsum scribit Ovid. in Medea. Aristoteles autem libro primo de mirabilibus stupendum quiddam de hoc Euripo scribit, ait enim: „ De
„ Siculo freto cum alii complures scribunt, tum hic stupendam rem
„ evenire inquit Polycretus rerum Sicularum scriptor. Tyrrheni enim
„ maris æstum strepitu ingenti utrinque cum Siciliæ, tum Italiæ
„ oram, quam Rhegium vocant, ferire, delatumque ex mari vasto
„ angustias postremo concludi, atque ibi sublimem tolli sonito ma-
„ gno, spatioque altissimo, ut procul distantibus conspicua sit hæc
„ aquarum ebullitio, ut puta alba & spumosa, nec similes maris in-
„ cremento. Hæc ut credibiliter narrentur, ita contueri oculis nemo
„ sustinet. Interdum enim diffusi rursus ex collisione mutua æstus
„ adeo profundum atque horribilem aspectum necessario intuentibus
„ præbent, ut nonnulli præ timore animi impotentes, velut of-
„ fusa oculis tenebra concidant. Postquam vero ad alterutram par-
„ tem fluctus allisi sublatique ad littus supremum, denuo in sub-
„ jectum mare devolvuntur, tum magno rugitu cum vorticibus &
„ immensis & crebris ex imo fundo ebullit, inque gyrum elevan-
„ tur, & omnigenos etiam colores reddit. Interdum enim ater,
„ nonnunquam cæruleus, frequenter purpureus apparet. Ceterum
„ cursum atque immensitatem fluxus refluxusque ne reptilia qui-
„ dem vel audire vel videre sustinent. Quocirca ad radices montium
„ juxta confugiunt. Tempestate autem desinente in sublime effe-
„ runtur, voragines specie relucente varia, turbinibusque ac moti-
„ bus ventorum aut ingentium serpentium spiris non absimiles „.
Euripi pisces laudatissimi sunt, tum maxime murenæ & anguillæ. Quæ, Macrobius, ait, olim accersebantur ad piscinas urbis ab usque Euripo, & utræque ex illo loco *plotæ* a Græcis, a Latinis *flutæ*, idest navigabiles vocantur, quod in summo supernatantes, sole torrefactæ curvare se non possunt, & in aqua mergere desinunt; atque ita facile capiuntur. De his Martialis ait:

Quæ

*Quæ natat in Siculo grandi murena profundo.*
*Non valet exustam mergere sole cutem.*

Et Archestratus apud Athenæum libro septimo:

*Italiam si intra, pelagique angusta Sicani*
*Murenam captam videas, quæ fluta vocatur,*
*Hanc eme, nanque illic epulum admirabile nosces.*

Et rursus ibidem de Euripi anguillis inquit:

*Anguillas omnes laudo, præstantior illa,*
*Quæ capitur Rhegi maris e regione profundi:*
*Hanc aliis cunctis mediam tu ponito, &c.*

Capitur etiam circa Rhegium piscis *exormiston*, dequo mox dicemus.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Malleæ*. De interitu hujus oppidi nihil hucusque reperi apud scriptores; conjicere autem par est in communi Saracenorum incursione periisse.

2. *Cænis*. A Græco, ut puto, Καίνω *perimo*; unde καινὶς *mors* a freto periculosissimo, quod navigantibus negotium facessit. Vel a χαίνω *hisco*, ob eandem rationem. Nunc *Coda di volpe*, aliis *Capo di Pessolo*.

3. *Circa exorientem lunam*. De excrescentia & decrescentia maris vide Galilæum de Galil. aliosque.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Cænis*. Nunc, *Il fiume di Fiumara de' Mori*.

(*b*) *Possidonium*. Idest Rheginum recessum. *Rhegium* enim *Neptunia* ab Antiocho dicitur, ut Dionysius Halicarnasseus auctor est, & *Possidonia*. *Neptunus* enim Græce *Possidon*.

## CAPUT XX.

### *De Columella sive Columna Rhegia, Cænide ubi de Hieronymi Fabæ stupendis opificiis, ac de aliis Oppidis Pagisque Rhegium usque.*

POst Cænidem promontorium (1) *Columella* est sive *Columna Rhegia*, " Cotona, Coton portus est manufactus, " cujus meminit Antoninus Pius in Itinerario, quam distare a Malleis oppido ait m. p. xiiii. a Nicotera xxxviii, ni locus sit depravatus. Commeminit de Columna ipsa Cicero in oratione pro P. Sextio. De qua Strabo libro tertio inquit: „ Rhegini Columellam turrem exilem super freto pro confinio „ locaverunt, cui e regione turris posita est, quam (2) Pelori nuncu- „ pant „. Distat a Rhegio m. p. xii. cum dimidio. Supra *Cænidem* promontorium m. p. tribus, *Cænis* sive, ut Stephanus ait (3) *Cænisium* oppi-

pidum est, licet ipse Siciliæ, ut alia Calabriæ oppida multa scribat. Abest a Medama, ait Strabo m. p. xxxi. edito eoque pensili loco situm meridiem spectans, quod ejusdem nominis fluvius adlabitur Quem, quia utrinque frequentes mororum arbores silvarum instar sunt, flumen *morum* pro *mororum* vocant. Hic serica laudatissima fiunt, & horum copia ingens. Extant & horti nemorosi limonum & malorum aureorum. Novi ego *Hjeronymum Fabam* presbyterum hujus oppidi civem integerrimæ vitæ virum, Latinarum literarum minime expertem: Qui innumerato habet ingenium; nam & carpentariam & sutoriam artes, quandiu libuit, exercuit, picturam quoque & sculpturam optime scit. fructus facit ex buxo cujusvis generis artificio mirabili, ut facile crederes veros esse, ac recenter decerptos ex arbore. Quare plerique decepti sunt. (4) Rhedam fecit ex ligno magnitudine ossis cerasi (incredibilem videor fortasse quibusdam rem scribere, at vera refero) in qua statiunculæ, hoc est viri ac mulieres sedentes, & boves, qui rhedam trahere videbantur, & rhedarium sedentem, rhedamque regentem. Aliam fecit, quam pulex catena lignea alligatus trahebat. Fecit item ex buxo opus, in quo tota passionis Christi series continebatur, ut " oratio, & Angelus cum Christo loquens in horto, & cœna " cum apostolis, captura a Judæis & Juda, flagellatio ad columnam, coronatio spineæ coronæ, & delusio, damnatio a Pilato, & Christus crucem bajulans, Crucifixio cum latronibus, & resurrectio. Quod opus tanto erat artificio, ut in cortice nucis avellanæ contineretur. Fecit eodem artificio ac magnitudine domum Pilati cum ministris educentibus Christum per scalas Crucem bajulantem, & Pilatum lavantem manus, erat ibi & hortus pensilis in quo flores erant & aves, erat & cavea cum carduele ave, vasa item cum floribus. Fecit eodem artificio & magnitudine historias veteris testamenti " & præsepium, ubi Beata Maria virgo & Joseph & Christus; & bos & asinus, & stella & magi " & alia ejusmodi pleraque. Ejus opera " quædam " ad Carolum Quintum Cæsarem, & ad Gallorum regem, & ad Philippum regem Hispaniarum pro miraculo advecta sunt. Post oppidum *Gallicum* & inde *Lubonum* amnes cadunt in fretum. Supra oppidum haud procul ab eo (5) *Calanna* oppidum est in radicibus apennini, quod pulcrum agnum sonat, cum serico & oleo nobili. In cujus agro pagi sunt *Alesfium" Lachanadum*," & *Stephanum*. Intus Apennini (6) Silva est nobilis miræ longitudinis proceris arboribus, & aquis recentibus referta, ac picis ferax optimæ, uberemque ad domorum tigna reliquave utensilia opera, & ad navigiorum fabricam materiam suggerens. Sunt, & glandiferæ arbores alendis porcis opportunæ. Proveniunt & frugiferæ arbores sponte, erumpunt & herbæ nobiles medicinales. Lata ibi ac diffusa planicies, montibus virentibus herbis coronatis cinta, valles ibi amœnæ susurrantibus rivis irrigatæ. Pascua pabulave vulgo læta ac florida. Frequens illi & varia venatio, est enim ferarum lustrum; nam, ut semel atque iterum dixi, in apennino Calabriæ varia silvestrium animalium genera stabulantur, congerunt & accipitres multigeni: in planis vero multarum avium genera sunt, quare in utraque Calabriæ ora aucupia & venationes uberes fiunt. Nascitur

tur paſſim lapis Phrygius, provenit aniſium, cuminum, crocus ſylveſtris, fraga, cytiſus, & tuberes: fontes in ea manant perſpicui, ac flumina prope innumera piſculenta torentinis & anguillis fœcunda, quæ utranque Calabriæ oram ubertim irrigant. In loco dicto *Petrona* agri Synopolitani naſcitur marmor. Hujus ſilvæ meminit plinius, & Solinus, qui eam Rheginorum ſaltum appellat. De hac ita Pontanus hortorum libro ſecundo ſcribit:

*Eſt nemus extremis Calabrum inviolabile terris,*
*Diis ſacrum patriis multa & pietate verendum,*
*Arborei dives fœtus volucrumque rapinis*
*Opportuna domus, tuta & ſpelæa ferarum.*
*Hoc nemore in ipſo, luciſque horrentibus olim*
*Advectam memini ſtirpem, quæ citron ab omni*
*Parte & odore quidem, foliis & flore referret.*
*Sed fructu variata, & longe aliena figura,*
*Vix orbem retinens, protento & corpore longo*
*Seſe agit in ductus, varia & trahit agmina cauda.*

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Columella*. A Rheginis nomen impoſitum, unde & cognomen ſumpſit *Columella Rhegina*: ab Hannone Carthaginienſi deſtructa, ut nonnulli putant, alii vero arbitrantur ab Agarenis everſam.

2. *Pelori*. Vulgo *Torre di Faro*.

3. *Cæniſium*. Vulgo *Fiumara di muro*. In Diœc. Rhegienſi.

4. *Rhebam fecit*. Solinus Polyhiſt. Cap. 1. ait: *Callicrates formicas ex ebore ſic ſcalpſit, ut portio earum a ceteris ſecerni nequiverit*. Vide *Varr. lib. 6. de L.L.* Sed locus Plinii de eo Callicrate ſic legendus: *Callicrates ex ebore formicas & alia tam parva fecit animalia, ut partes eorum a ceteris cerni non poſſent*. Mirmecides quidam in eodem genere inclaruit, quadriga ex eadem materia, quam muſca integeret alis, fabricata, & nave quam apicula pinnis abſconderet. Vid. Salmas. Fuit etiam ex hoc loco *Cornelius Ruffus* Juriſconſultus eximius, ſcripſit Repertorium legale *Mare magnum* appellatum. Ms. Gualt. *Leo* inſtituti Capuccinorum laicus ſanctæ vitæ vir. Ms. Gualt.

5. *Calanna*. Nonnulli autumant fuiſſe *Columnam Rheginam*, voce clanculum immutata: Alii putant *Columnam* fuiſſe ſpeculam. Utut ſit, *Calanna* oppidum celebre eſt amœnumque. Fuit ex hoc loco *Angelus* inſtituti Capuccinorum vitæ ſanctitate & miraculis clarus. Obiit ann. 1555. Gualt. *Marcellus Scaleonus* Soc. Jeſu, morum integritate & cæleſtium rerum contemplatione conſpicuus. Samper. In Diœceſi Rhegienſi.

6. *Silva eſt nobilis*. Vulgo *Aſpromonte*.

## *FINIS LIBRI SECUNDI.*

# LIBER TERTIUS.

## CAPUT I.

### *De Rhegio, aliisque notatu dignis.*

RHEGIUM (1) in Italiæ humero, ait Plinius, situm, a quo veluti cervicis incipit flexus, inter *Luhonem* & *Calopinacum, Taurocinum* olim dictum amnes est. Abest a Messana m. p septem. Vrbs equidem longe nobilissima & vetustissima, totius Calabriæ metropolis, utpote prima in Calabria, imo vero in Italia, Roma excepta, ut mox latius ostendam, Christi fidem sit complexa; primaque, ut libro primo ostendi a diluvio condita. Quæ" & liberalium artium scientia excelluit, permultos in omni scientiarum genere eruditissimos viros edidit. Fuit & Respublica celebris, & " multas colonias in Calabria deduxit: nam ante Oenotriorum in Calabriam adventum, qui e Græcis primi in eam adventasse dicuntur, Rhegium *Aschena* prius a conditore dicta colonos per totam regionem, " imo per totam Italiam" & si rare, emisit. Quos Græci (2) *Auxones*, & regionem *Auxoniam*, ut alibi retuli ab *auxo* idest *augeo* quod rerum proventus ibi semper augeatur, appellavere. Fuit autem condita non multo post diluvium Noe ab Aschenaz ipsius Noe pronepote, filio Gomer, ut jam libro primo demonstravimus. Qui Aschenaz a Gomer in Italiam ad habitandum directus, cum is sibi primus locus esset oblatus, loci amœnitate captus, hic consedit, urbemque hanc statuit, quam a suo nomine *Aschenam*, atque incolas appellavit *Aschenazeos*. Viget medius fidius in hac ora beata felixque quædam amœnitas, ubi ver perpetuum, arborum frondes perennes. Hinc horti nemorosi omni optimorum fructuum genere referti: nemora insuper malorum aureorum, citronum, & limonum arboribus oppleta, ut totus Rheginus ager, jam irriguus, pomerium videatur. Hic palmæ ob cœli gratam temperiem dactylos ferebant, qui ad maturam frugem perveniebant, sed a Turcis incisæ sunt.

Vidi Rhegii plantam, musam vocant, & paradisi malum, quæ folia habet cubitali longitudine, lata palmo prope, ejus caulis haud diu perdurat, arescit enim, & iterum pullulat, fructus fert digitali longitudine crassos & gibbos dulcis saporis, maturescunt mense Novembri. Fit Rhegii sericum laudatissimum & ubertim, nascitur & vinum probatissimum: de quo Galenus apud Athenæum libro primo ait: „ Vinum „ Rheginum cum Surrentino pinguius fit, usque ad annum quintumdeci- „ mum est utile „. Sunt Rhegii figlinæ, ubi ollæ coquinariæ laudatissimæ fiunt. Olim etiam patinæ nobiles fiebant, ut Plinius libro trigesimosexto refert. *Rhegium*, inquit, *figlina* & *plastice nobilitatur*. Et rursus: *Nobilitatur Rhegium patinis*. Hic nundinæ nobiles in annos singulos celebrantur. In Rhegino littore post Cænidem promontorium m. p.

qua-

quatuor usque ad Leucopetram " portum qui abest a Rhegio m.p. V. " simul atque mare exieris, pede uno, & interim eo minus, terra effossa aquæ dulces scatent. In hoc agro vitex, siliqua silvestris, & absynthium sponte proveniunt. Nascitur & molaris lapis, frumentarius & olearius. Palladiæ arbores idest olivæ affatim nascuntur. Olivæ ad magnitudinem amygdalarum crassæ, & carnosæ conditæ in doliolis optimæ sunt esu. Sunt in hoc agro pagi *Mota*, *Sabatellum*, *Diminitum*, *Boracianum*, *Orthium*, quod rectum altumque significat, *Aresium*, ab arezo placeo dictum, *Cerasetum*, *Tiretum*, *Trezenum* a treto gemo, *Perlupum*, *Nasetum*, *Pavilianum*: *Canavum*: *Peratum*, *Velanedum* & ejusdem nominis fluvius. Olim Rheginorum ditio a *Paccolino* nunc *Metauro* amni, ut ostendi usque ad *Halecem* fluvium protendebatur. De piscibus, qui in Euripo, circa Rhegium capiuntur, diximus. Cassiodorus epistolarum lib. duodecimo ad Anastasium Cancellarium Lucaniæ, & Brettiorum præpositum scribens de Rhegina ora sic ait: „ Rhegini cives
„ ultimi Brettiorum iniqua suggerunt se exactorum præsumptione fa-
„ tigari, implorantes non aurium, sed oculorum nostrorum nota reme-
„ dia, qui possumus scire territorium eorum quod petitur non habere.
„ Rheginorum terra est montanis lapillis rarissima, arida pascuis, sed
„ undosa vindemiis, segetibus adversa, sed olivis accommoda. Ideo
„ cultura ejus omnis in sarculis est. Quia superficies ipsius sicca nu-
„ trire non valet superne nascentia. Stercore illic ager nudus industria
„ potius, quam natura vestitur. Nam Palladiæ silvæ viriditate con-
„ tegitur, quæ in solo aridissimo approbantur. Talibus enim locis il-
„ la proficiunt, quæ radicibus proceris ad humi penetrale descendunt.
„ Segetes irrigantur ut vivant, & conditione mutata hoc aristis im-
„ penditur, quod oleribus exhibetur. In portis autem rusticorum
„ agmen habetur operosum, quia olus illic omnium saporum est ma-
„ rina irroratione respersum, quod humana industria fieri consuevit.
„ Contra Maronis autem sententiam intuborum illic fibræ dulcissimæ
„ sunt, quæ præcinctæ foliis dulcissimis tortuosis callosa teneritudine con-
„ globantur. Vnde in morem vitri aliquid decerptum frangitur, dum
„ a fœcundo cespite segregatur. His victualibus, si vis nosse, regio
„ ipsa fœcunda est. Nam & marinis delitiis copiosa jucunditate per-
„ fruitur. Quia ibi mare superum atque inferum insertis fontibus
„ adunatum delitias utriusque pelagi in unam congregationem sinus
„ sui volubilitate perducitur. Necesse est enim illuc & pisces prope-
„ rare, ubi constat & undam posse defluere. Exormiston quoque inter
„ pisces regium genus compar murenis corpore vel colore, distans na-
„ ribus setosis, colostrea delicatitudine præditum, oleoso ac suavi li-
„ quore coagulatum, appetibilis grataque pinguedo. Cum spumis
„ fluctuantibus inter aeris confinia cœpit enatare, nescit ad cubilia red-
„ ire, quæ deserit. Credo immemor reversionis, aut teneritudine
„ summa mollitus nequit undis elevantibus contraria obluctatione de-
„ mergere. Fertur velut corpus exanime nullis nixibus periculum,
„ nulla arte devitans, & hinc viribus destitutus creditur non redire,
„ quia neque fugere posse sentitur. Hic plane tantæ dulcedinis esse
„ dignoscitur, ut & nullus piscium comparetur. Hæc sunt in littore

„ Rhegino, quæ diximus, quod non alio referente cognovimus, sed
„ visuali probatione retinemus. Quapropter laridi atque tritici species
„ nullis temporibus coertionis nomine inde decernimus postulari. Quia
„ nimis calumniose petitur, quod loci beneficio non habetur. Deinde
„ sufficere debet ostensio veritatis, & testimonium judicis. Quia nimis
„ execrabile malum est, si cum aliud noverit conscientia, aliud lin-
„ gua decernat. Additur etiam quod tantis commeantium fatigatur
„ adventibus, tanta exurentium laceratione deteritur, ut rationabi-
„ liter illi remitti debuisset vel quod apud ipsam nasci posse constaret „.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Rhegium*. Hæc civitas vetustissima variis nominibus appellata est, *Aschena*, *Rhegium*, *Possidonia*, *Neptunia*, *Phœbia*, & *Rhegium Julium*, ut dictum est in Dissertatione *De Ausonia* & constabit ex infra dicendis. Vide *adnotat. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 5.

Nonnullas inscriptiones hic apponere operæ pretium duximus, quæ iter a Rhegio ad Capuam designant.

*Ex Grutero*

VIAM FECEI A RHEGIO AD
CAPVAM ET IN EA PONTEIS,
MILLIARIA, TABELLARIOSVE
POSEIVI. SVNT E RHEGIO AD
CAPVAM MILL. CCLXXXV.
HINCE AD COLVMELLAM
MILL. CCX. A BIBONA AD LOCROS
MILL. XXXXV. A FRETO AD
STELLAM MILL. LX. IDEMQVE
FECEI, VT EX AGRO POPLICO
ARATORIBVS CEDERENT
PASTORES.

*Ex eod. Grutero. n.* 7.

VIAM FECEI AB RHEGIO AD
CAPVAM, ET IN EA VIA
PONTHEIS OMNEIS
MAILIARIOS. TABELLARIOSQVE
POSEINEI. HINC SVNT
NVCERIAM MEILIA LI. CAPVAM
XXCIIII. MVRANVM LXX. IIII.
CONSENTIAM CXXXII.
VALENTIAM CLXXXII. AD
FRETVM, AD STATVAM
CCXXII. RHEGIVM MEILIA
CCCXXI. II ET EIDEM PRÆTOR IN
SICILIA FVGITIVEOS
ITALICORVM CONQVISIVEI,
REDDIDEIQVE HOMINES
DCCCCXVI. EIDEMQVE PRIMVS
FECEI VT DE AGRO POPLICO
ARATORIBVS CEDERENT
PASTORES, FORVM ÆDISQVE
POPLIEVS HÆ IA FECEI.

*In litore Puteolano ex Schradero fol.* 255.

VIAM FECEI AB RHEGIO AD
CAPVAM ET IN EA VIA
PONTEIS OMNEIS MILLIARIOS,
TABELLARIOSQVE POSVI. HINC
SVNT NVCERIAM MILL. LI.
CAPVAM XXCIV. MVRANVM
LXXIIII. CONSENTIAM CXXIV. LI.
VALENTIAM CLXXXII. AD
FRETVM, AD STATVAM
CXXX I. RHEGIVM MILIA CCC.
HVNC PONTEM FECIT AD
IMITATIONEM XERSIS, QVI
HELLESPONTVM RATIBVS
IVNXERAT.

*Juxta Tylesium ex Petro Appiano, & Freccia de subfeudis lib* 2.

IN PRINCIPATV AD BASIM
VIAM FECEI AB RHEGIO AD CA-
PVAM ET IN EA VIA
PONTHEIS OMNEIS MILIARIOS
TABELLARIOSQVE
POSEINEI. HINC SVNT NV-
CERIAM
MELIA LI. CAPVAM XXCIIII.
MVRANVM LXX.
IIII. CONSENTIAM CXXIII. VA-
LENTIAM CLXXXII.
AD FRETVM, AD STATVAM
CXXXII. RHEGIVM
MEILIA CCC. AB EISDEM PRÆ-
TOR IN Q. RM. A. P.
XXII. SICILIA FVGITIVOS ITA-
LICORVM CON-
QVESIVEI, REDDIDEIQ.
HOMINES CCCCXV.
EIDEMQVE PRIMVS FECEI, VT DE
AGRO POPLICO
ARATORIBVS CEDERENT PA-
STORES FORAM
ÆDISQVE POPLICOS HEIC FECEI.

Ex

Ex pluribus aliis Itinerariis Mediolano, Romaque Rhegium usque Antonini instar a scriptoribus allatis duo selegimus, ceteris oppidis quæ Mediolanum Lucaniamque interjacent omissis. Alterum mediterraneum.

Nerulum, nunc vulgo *Lago nero* m. p. XVI. Summuranum XVI. Caprasiam, vulgo *Tarsia* XXI. Consentiam XXVIII. Sabbatium fl. vulgo *Savuto* XVIII. Turres, nunc vulgo S. *Biagio* X. Angitulam fl. XIII. Nicoteram XXV. Malleas *jam interitas* XXIV. Columnam Rheginam, aliis Calannam, m. p. XIV.

Alterum maritimum est: Heracleam nunc *Casal nuovo* m. p. XXVIII. Vicenumum, nunc *Trebisacce* XXIV. Thurium, nunc *Terranova* XX. Rossan. XII. Paternum nunc *Cirò* XXVIII. Neæthum, vulgo *Rocca di Neto* XXXII. Tacinam, vulgo *Rocca di Tacina* XXIV. Scylaceum XXII. Cocinthum, vulgo *Capo di Stilo* XXII. Succejanum XX. Subsicinum, vulgo *Belforte* XXIV. Altanum, *quod jam interiit* XX. Hipporum nunc S. *Fili* XXIV. Decastadium, nunc *S. Anna di Seminara* XII. Rhegium XX.

Fuit Rhegium nedum S. Pauli Apostoli, ut ex Act. Apost. cap. 28. verum etiam & aliorum Sanctorum Patrum, præsertim S. Hieronymi præsentia decoratum. Ait enim hic lib. 3. Apolog. adversf. Ruffin. *Veni Rhegium, in Scyllæo litore paululum steti, ubi veteres didici fabulas, & præcipitem fallacis Ulyssis cursum, & Syrenarum cantica, & insatiabilem Charybdis voraginem*. Appulit quoque Rhegium Titus Vespasiani filius post eversam Hierosolymam teste Suetonio in ejus vita n. 50. anno a Christi nativitate LXXI. Hic Julia Augusti Cæsaris filia in exilio periit, ut ait Tacit. lib. 1.

Ad Rheginum fretum mirabile quoddam assolet visu, præsertim æstivo tempore ob nimiam vaporum exhalationem. Apparent miræ pulcritudinis altissimæ turres, Stationes, silvæ, innumeræ ædes, aliaque id genus portenta, quæ ab incolis *Fata Morgana* appellantur. Vide supra lib. II. cap. XIX.

2. *Auxones*. Vide Dissertationem de Ausonia.

## CAPUT II.

### *Referuntur quædam ad Rheginam historiam pertinentia.*

INde vero postea Chalcidenses una cum Messeniis e Peloponneso Rhegium incoluerunt Antistene sive Antinesto duce, qui ait Heraclides in Rep. Aristocratiam constituerunt: nam mille optimates electione creati civitatem administrabant. Licet Strabo eam a Chalcidensibus conditam dicat. " Græci quidem scripturas Hebraicarum rerum nescii omnia oppida a Græcis condita fuisse putarunt ". Eam Græci *Rhegium* appellavere a (1) fractura, ut quidam volunt; ῥήγη enim, ut dixi, *fissuram* significat: Sicilia enim Italiæ conjuncta erat, sed terræmotibus avulsa est. Quocirca Strabo libro sexto de Rhegio loquens ait:

„ Sed

„ Sed ei, Aeschilo teste, casu quodam hoc nomen inditum est; namque
„ Siciliam ab continenti vi terræmotus avulsam & ille & alii memo-
„ riæ prodiderunt, ex quo (2) erhagine ideſt a fragendo nomen asse-
„ cutum. Reseratis enim oribus, per quæ ignis respirat, & igniti
„ lapides & aquæ affluunt, raro vicina freto tellus motibus quatitur;
„ cum vero omnes ad superficiem meatus occluderentur, in subterra-
„ neis concavitatibus ardentes ignes, & spiritus vehementes terræ-
„ motus efficiebant. Agitati vero ventorum violentia loci cessere, &
„ abscissi utrique mare admiserunt: cum Sicilia tota cavernosa sub ter-
„ ra sit, fluviis & igne plenissima, sicuti Tyrrhenum mare usque Cumas
„ est „. Id ipsum scribit Trogus Pomp. apud Iustinum lib quarto.
Et Virg. lib. tertio Aeneid. idem affirmans ait:

*Hæc loca vi quondam vasta convulsa ruina,*
*Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas;*
*Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus*
*Una foret, venit medio vi pontus, & undis,*
*Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque & urbes*
*Littore deductas angusto interluit æstu.*

Ceterum credibilius est, ut alibi dixi, *Rhegium* ab aeris temperie cælique clementia dictum, nam ῥήγιον utile, jucundum, & bonum notat, Hebraice autem *pascua eorum*" Strabo quoque hanc urbem ob illius claritatem *Rhegium* dictam putat: & Samnites eam *Regiam* appellabant". Callimachus autem *Rhegium* Joacasti urbem dixit. Nam Joacastus Eoli filius eam tenuit: id etiam Diodorus Siculus lib. sexto asseverat. Meminit de Joacasto & Dyctis Cretensis libro quinto: fuit enim non multo post excidium Trojanum. De Aeolo Strabo libro primo sic ait: „ Aeolus
„ in Euripi Siciliæ locis, quæ per cursus & recursus est, & naviga-
„ tionis asperitas per fluxus atque refluxus agrediendi signi præmon-
„ stravit „. Itaque ventorum custodem, atque regem creditum fuisse Polybius refert. Antiochus autem apud Dionysium Halicarn: Rhegium (3) *Neptuniam* appellavit. Quæ & *Possidonia* dicta est: nam *Possidon* Neptunius dicitur. Quare Strabo a Cænide usque in Possidonium recessum, & Rheginam Columellam angustum provenire meatum ait. Incoluerunt quoque Rhegium (4) *Arunci*, ut Cato in Orig. ait. Dicti quoque sunt Rhegini *Taurocini*, ait idem, a fluvio. Frequens de Rheginis, Locrensibus, & Thuriis, apud Thucididem fit mentio.

Hanc & Hipponium inter septem illustriores & opulentiores Italiæ urbes, quæ substantia, & domorum pulcritudine, pavimentisque præstabant, Appianus bellorum civilium libro quarto, fuisse memoriæ prodidit. Cicero in Verrem actione sexta Siculos Rheginorum civitati invidere ait. Polybius etiam libro x. hanc & Locrum & Cauloniam & Crotonem clarissimas urbes fuisse refert. Strabo quoque libro sexto ait: „ Antiochus locus hunc universum circum Rhegium ab Si-
„ culis antiquitus habitatum, simul & a Morgantiis, fuisse tradit.
„ Qui deinde ab Oenotriis ejecti in Siciliam trajecere. Sunt qui Mor-
„ gantium ab hisce nomen duxisse scribant. Ingens vero olim Rhegi-
„ næ civitatis potentia fuit, validis quaquaversum castellis munita,

„ Pro-

„ Propugnaculum assidue imminens habens insulæ & priscis annis, „ & ætate nostra. Cum solicitante Sexto Pompejo Sicilia descivit a Ro- „ manis „. Cumque de separatione Siciliæ ab Italia, Rhegiique ob id nomine disseruisset, adjecit: „ Verumtamen sive ob eam causam „ nomen civitati factum est, sive propter illius claritatem, considerari „ licet utro veritas se modo habeat. Cum Samnites Latino sermone „ Regiam illam appellarint. Et prisci eorum auctores regendis civita- „ tibus communia cum Romanis instituta servarint, ac plurimum „ Latinam linguam usurparint, & in pleraque oppida colonias dedu- „ xit, ac permultos celeberrimos viros edidit, seu gubernandæ reipu- „ blicæ virtutem, seu doctrinæ magnitudinem proposueris. Eam Dio- „ nysius solo æquavit, illa commotus causa: nam cum ex ea civitate „ puellam in matrimonium petiisset, Rhegini servi publici seu licto- „ ris filiam ei protenderunt. Ejus filius quandam urbis partem acce- „ ptam instaurans Pyrrhi ætate Phœbiam nominavit. Inde Campano- „ rum præsidium Rheginos maxima ex parte delevit. Terræmotibus „ quoque paulo ante bellum Marsicum urbis pars magna corruit. Post- „ ea Cæsar Augustus fugato ex Sicilia Pompejo cum desolatam ho- „ minibus urbem cerneret, acceptos e classe permultos ei dedit ac- „ colas. Nunc autem bona satis est civitas „. Hinc Rhegium Julium dictum est. Julius etiam in libro de prodigiis inquit (5) „ L. Martio & „ Sex. Julio Consulibus pars urbis muri Rhegii terræmotu diruta fuit. „ Atque (6) L. Furio & Attilio Sarrano Consulibus Rhegium pene „ totum incendio consumtum sine ullo humanæ fraudis vestigio. Dio- „ nysius, (ait Sex. Julius Frontinus Stratag. libro tertio) multis urbi- „ bus captis, cum Rheginos aggredi vellet, qui copiis abundabant, „ simulavit pacem, petiitque ab eis, ut commeatus exercitui ipsius „ subministrarent, quod cum impetrasset, exhausto oppidanorum „ frumento agressus urbem alimentis destitutam superavit. Hic (ait „ Aristoteles Oecon. libro secundo) cum cœpisset Rhegium convocato „ populo dixit, quam ob causam ab eo juste capti essent, nunc tamen „ impensas, quas in belli usum consumsisset, percipiens, & insuper „ ab unoquoque minas tres, absolveret eos. Rhegini vero quæcunque „ absconderant, in apertum eduxerunt, & egeni a ditioribus, & pere- „ grinis mutuo accipientes, conflarunt summam, quam præceperat, „ quam ab ipsis accipiens, nihilominus omnium corpora vendidit, „ & cuncta & sup lle&ilem, universaque bona sive occulta, sive aperta, „ diripuit, a civibus accipiens pecunias ea lege, ut illas restitueret „ cum ab eo repeterent, jussit ad se afferri quantum quisque posside- „ ret argenti, alioqui mortem multam indixit. Delato autem argento „ numum percussit novo charactere, deditque drachmam duarum „ drachmarum valore, sicque debitum penes ipsum remansit „. Hæc Rhegium a Sicula crudeli tyrannide, simulatione ac fraude per- pessa est.

Tulit & Rhegina civitas mala plurima a Siculis ipsis & Campanis, infidis & levibus hominibus. „ Nam cum Rhegini (ait Justinus ex „ Trogo libro quarto,) discordia laborarent civitasque per dissensio- „ nem divisa in duas partes esset, veterani ab altera parte ab Himera ur-

„ urbe in auxilium vocati, pulsis civitate, contra quos implorati fuerant,
„ & exinde cæsis, quibus tulerant auxilium, urbem cum conjugibus &
„ liberis sociorum occupavere, ausi facinus nulli tyranno comparandum.
„ Quippe ut Rheginis melius fuerat vinci, quam vicisse: nam sive aucto-
„ ribus captivatis jura servassent, sive amissa patria exulare necesse ha-
„ buissent, non tamen inter aras, & patrios lares trucidati crudelissimis
„ tyrannis patriam cum conjugibus ac liberis prædam reliquissent. Tem-
„ pore autem (ait Polybius libro primo) quo Pyrrhus Epirotarum rex in
„ Italiam copias trajecit, adventu ejus territi Rhegini, simul quod Car-
„ thaginienses tunc mari dominantes metuebant, populi Romani opem
„ atque præsidium postularunt. Missi ab Romanis ad Rheginos milites
„ aliquandiu urbem tutati, fidem civitati servaverunt, erant numero
„ quatuor millia hominum, quibus duces præerant Decius, & Campa-
„ nus, sed tandem Mamertinorum exemplo permoti, & eos tanti faci-
„ noris conspiratores habentes, ipsi quoque Rheginis fidem violant, tam
„ rei opportunitate, tum Rheginorum opulentia pellecti, cives alios
„ ex urbe depellunt, alios cædunt. Denique ut Mamertini fecerant,
„ civitatem detinent „. Id etiam Livius ab urbe condita libro xii. scri-
bit. At tanti sceleris legio ipsa meritas luit pœnas. Nam ut bel. Mac. li-
bro primo Livius ipse tradit, Romani eam bello persecuti in potestatem
redactam tergo & cervicibus pœnas sociis pendere cum coegissent, ur-
bem, agros, suaque omnia cum libertate, legibus, Rheginis reddiderunt,
id ipsum scribit libro xv. Rheginorum resp. ut ait Arist. Pol. libro sexto
in Anaxilaî tyrannidem commutata est. Hic, ut ait Thucidides libro sex-
to, exterminatis Samiis, qui antea Siculos e Zanclea expulerant, Zan-
cleam urbem promiscuis hominibus frequentem reddidit, & a sua con-
dam patria Messanam appellavit. „ Hic (ait Justinus ex Trogo libro
„ quarto) justitia cum ceterorum crudelitate certabat, cujus modera-
„ tio haud mediocrem fructum attulit. Quippe decedens cum filios par-
„ vulos reliquisset, tutelamque eorum Micytho spectatæ fidei servo com-
„ misit, tanti amor memoriæ ejus apud eos fuit, ut parere servo, quam
„ deserere filios mallent, principesque civitatis obliti dignitatis suæ re-
„ gni majestatem administrari per servum paterentur „. Id etiam scribit
Macrobius Sat. libro primo.

Sunt Rhegini suapte natura summa humanitate ac benignitate præ-
diti. Fuere Rhegini Tarentinis amicitia conjuncti. Horum ad tria mil-
lia, qui opem Tarentinis, ut ait Herodotus libro septimo, adversus Me-
sapios tulerant, quo tempore Micythus regnum administrabat, interiere.
Ipse vero Rhegio excedens Tegeam Arcadum incoluit. Cumque Ta-
rentini, ait Helianus de varia historia libro quinto, a Romanis obside-
rentur, & fere parum abesset quin præ nimia fame caperentur, Rhegini
publico decreto sanxere decimum quenque diem jejunium agere, & illis
cibos præbere, & recedentibus postea Romanis servati sunt, & memores
periculi illius festum agebant quotannis vocatum nistian, idest jejunium.
Magna etiam erga Athenienses usi sunt humanitate: „ Nam (ait Thu-
„ cidides libro sexto) cum classis Atheniensium in Italiam appulisset a
„ nulla civitatum recepti sunt, neque in mercatum, neque in urbem
„ aquatione tantum eis & statione concessa, ac nec his quidem concessis
„ a Ta-

„ a Tarentinis atque Locrensibus donec ventum est Rhegium Italiæ „ promontorium , ubi contractis jam copiis extra urbem , quoniam „ intra muros non recipiebantur , castra tenuerunt, & apud Rheginos verba fecere , ut illi Chalcidenses essent , Leontinis , qui & ipsi „ Chalcidenses erant auxilium ferrent . Rhegini negant se alterutris „ affuturos , sed quicquid Italicis ceteris communiter placeret , id „ esse facturos „ . Verumenimvero aliquando Rhegini ut ait idem libro tertio , in bello Syracusanorum Leontinis , Locrenses vero Syracusanis studebant . Rhegini & Athenienses , ait idem libro eodem, cum triginta navibus Eolias insulas invaserunt. „ Rhegini,& Locrenses(ait Cicero in oratione pro Archia poeta ) Archiam ipsum civitate ce„ terisque præmiis donarunt „ . Dionysius major Siciliæ tyrannus plata„ nos arbores ( Theophastrus libro quarto de plantis tradit) primus ex „ Sicilia in Italiam transtulit , & Rhegii in hortis domus suæ mira„ culum plantavit, quæ in gymnasio stant , ibi enim postea factum „ est gymnasium , nec ullam magnitudinem capere possunt „ . Id etiam scribit Plinius libro duodecimo. Rhegii Q. Lucejus, ait Cicero in Verrem actione septima , argentariam maximam fecit . Cicero Rhegii aliquando commoratus Topicorum libros edidit , ut ipse in epistola ad Trebatium scribit . Rhegini & Petelini (7) in fide & amicitia P. R. ad ultimum permanserunt , ut Livius bel. Pun. libro tertio prodit .

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *A fractura*. Tametsi nonnulli cum Cluerio scissuram hanc fabulosam putent, non abs re alienum duximus antiquorum scriptorum sententias præter a Barrio adductas adnotare. Ait quippe Diodorus Siculus lib. 5. cap 14. *Tradunt periti rerum scriptores Siciliam olim fuisse Italiæ conjunctam , sed postea insulam evasisse* . Ovidius lib. 15. Metam .

*Nunc freta circumeunt , Zancle quoque juncta fuisse*
*Dicitur Italiæ , donec confinia pontus*
*Abstulit , & media tellurem reppulit unda.*

Plinius lib. 2. Cap. 90. *Namque & hoc modo insulas rerum natura fecit : avellit Siciliam Italiæ , Cyprum Syriæ* &c. Et lib. 3. cap. 8. *Sicilia quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari avulsa XII. M. P. in longitudinem freto, in latitudinem autem MD. juxta Columnam Rhegiam, ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Græci nomen dedere oppido in margine Italiæ sito* . Pomponius Mela lib. 1. cap. 5. *Sicilia ut ferunt aliquando continens, & agro Brutio annexa , post freto maris Siculi abscissa est.* Solicus cap 8. *Therachina insula diversam fortunam a Rheginis experta, quos fretum medium a Siculis vi abscidit.* Et cap. 11. *Oppidum Messana Rhegio Italiæ oppositum est , quod Rhegium a dehiscendo argumento* Ῥήγιον *Græci dictitabant.* Philo Hebræus to.2. *Ignoratis celebrem de Siculo freto historiam, quando Italiæ continenti Sicilia quondam adnexa fuit ?*

Tertullianus lib. contr Gent. *Et vis undarum Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegavit.* M. Aurelius Casiodorus lib. 12. variar. epist. 14. *Rhegienses cives ultimi*

*Brutiorum quos è Siciliæ corpore violenti quondam maris impetus segregavit, unde civitas eorum nomen accepit.* Isidorus in fragm. ad calcem Sallustii: *Italiam conjunctam Siciliæ constat fuisse, sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aquis, aut per angustiam scissum*. Claudianus lib. 1. de raptu Proserp.

*....... Trinacria quondam*
*Italiæ pars magna fuit, sed pontus & æstus*
*Mutavere situm: rapuit contermina Nereus*
*Victor, & abscissos interluit æquore montes,*
*Parvaque cognatas prohibent discrimina terras.*

Dionysius Apher de situ Orbis:

*Aspicit Ausoniam, Boreæque Pelorus ad axes,*
*Qua mare vix superant haud æquum mille periclis,*
*Angustam, rapido quod frangit gurgite saxa;*
*Traditur hic pelago diruptas viribus olim*
*Excep sse fretum terras cogente ruina.*

Silius Italicus 2. bell. Pun. lib. 14.

*Ausoniæ pars magna jacet Trinacria tellus*
*Et semel expugnante notho, & vastantibus undis,*
*Accepit freta cæruleo propulsa tridente.*

Vide Mart. Capell. lib. 6. de Ital. aliosque.

2. *Ex quo erhagine*. Strabo lib. VI. ait: *Ex quo ἀπὸ τοῦ ῥαγῆναι, idest a frangendo nomen assequutum*. Si autem in tot rerum a nobis disjunctarum ambagibus divinare licuerit, ἀπὸ τοῦ Ῥηγίου *ab Rhegio* Aborigines, quemadmodum Siculos a *Sicilire*, non tam a fractura terræ quam a divisione linguarum dictos putamus. Vide *Adnotat. lib. 1. cap. VI.*

3. *Neptuniam*: A Neptuno, qui idem fuit ac Japhetus filius Noemi, ut lib. 1. cap. 2. exposuimus.

4. *Arunci*. Iidem ac Ausones. Vide differt. De Ausonia.

5. *L. Martio*. Hi fuerunt Consules A. U. 598. ante Christum Dominum 155. ut Petavius fert to. 3.

6. *L. Furio*. Anno videlicet ab U. C. 618. ante Christum 135. ut Petavius ibidem fert.

7. *In fide & amicitia Populi Romani*. Vide differtat. De Origine Brettiorum.

# CAPUT III.

## *Rhegium Colonia & Municipium Romanorum. Nihil ab Hannone & Totila passum. Numismata. Francisci Maurolyci sententia rejicitur. Pleraque ad Historiam Ecclesiasticam pertinentia.*

FUit *Rhegium* Romana civitate donatum, ac Colonia Romanorum, inde Municipium nobilissimum, ut Nonius Marcellus & Festus Pomp. scribunt. C. Paterculus libro primo ait: *Scylaceum & Neptunia coloniæ deductæ, Cosæ donata civitas*. Et Cicero in Verr. libro sexto, inquit: „ Quid arbitramini Rheginos, qui jam „ cives Romani sunt, mereri velle, ut ab iis marmorea Venus il- „ la ne auferatur? „ Et Philip. Prima: „ Cum autem me ex Sicilia „ ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti „ detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem, nec ita „ multum provectus, rejectus sum in eum ipsum locum, unde con- „ scenderam. Cumque intempesta esset, mansissemque in villa P. Va- „ lerii

„ lerii comitis & familiaris mei, postridieque apud eundem ventum „ expectans manerem, municipes Rhegini complures ad me venerunt „. Et in epistola ad Cornificium eos tribui Cornificiæ attributos esse ostendit: ait enim. „ Ego iratus temporibus in Græciam desperata libertate rapiebar, cum auster adversus maximo flatu me ad tribules tuos „ Rheginos retulit „. Vnicuique enim tribui Romanæ municipia attribuebantur, ut in Livio bel. Mac. libro octavo liquet. In foro Rhegino hæc inscriptio erat:

T. TAREFENUS, T. F. SABINVS TRIVMVIR ÆD. POT. II. TESTAMENTO LEGAVIT MVNICIPIBVS RHEGINIS JVL. IN PRITANIACO STATVAM AVREAM MERCVRII, TRVLLAM ARGENTEAM ANAGLYPTAM. P. II. S...... LARES ARGENTEOS SEPTEM P. II. S. PELVIM ÆREAM CORINTHIAM ITEM IN TEMPLO APOLLINIS MAJORIS PUGILLARES MEMBRANACEOS OPERCVLIS EBOREIS: PVXIDEM EBOREAM: TABVLAS PICTAS XIIII. HEREDES EJVS PONENDA CVRAVERVNT.

Extat & Rhegii lapis Græcis literis insculptus sic:

O' ΔΙ'ΜΟΣ ΤΩ̃Ν Ρ'ΕΓΙ'ΝΩΝ ΝΙ'ΚΑΝΔΡΟΝ ΝΙ'ΚΩΝΟΣ ΤΟΙ̃Σ ΘΕΟΙ̃Σ

" Exstat & lapis alius hac inscriptione:

D. M. FABIA STERRATA ΣΑΛΛΟΥΣΙΣ AGATHOCLES V. C. A. ERODIOS Α'ΤΟΙΣ ΕΠΟΙ'ΗΣΑΝ."

Erat olim Rhegium, ut dixi, validum propugnaculum. Hanc urbem Hanno ut Livius bel. Pun. libro quarto scriptum reliquit, obsedit, sed dies aliquot nequicquam absumpsit. „ Gothi, (ait Procopius libro „ tertio de bello Gothico) ubi Rhegium pervenere haudquaquam „ prius intermedium fretum trajiciunt, quam Rhegii præsidium pertentassent. Præerant tum ejus loci custodiæ Teremundus & Imereus „ per Belisarium præsides constituti, qui cum multos & fortissimos „ apud se milites tum forte haberent, a mœnibus non solum hostes „ erumpendo propellunt, sed vel pugnam cum his conferentes victoriam „ retulerunt. Verum cum numero essent longe inferiores intra mu„ ros quieti de cetero se continebant. Totilas vero exercitus ibi parte „ in obsidione relicta, potiturum se famæ præsidium, & Romanos „ simul operiendo victurum ratus, Tarentum cetero exercitu misso „ sine ullo negotio præsidium cepit „. Id ipsum scribit Agathius de eodem bello libro quarto. In illa tam furiosa persecutionis rabie Cretensium & Carthaginiensium, quam universa Calabria, & Lucania, & Apulia perpessæ sunt, nil adversi sensit Rhegium. Idque ob sanctitatem *Eusebii* Archiepiscopi Rhegini, cujus precibus servata est civitas.

Franciscus Maurolycus homo Siculus, neotericus scriptor, atqui bonarum literarum nescius, Sicula vanitate ac crassitudine delibutus, infans & jejunus, Arcadium Imperatorem Rhegium nobilissimam urbem Messenæ civitati assignasse peculium nulla etiam proposita causa temere nugatur, & Miletensem & Marcensem Calabriæ Episcopatus Messenio Archiepiscopo olim subjectos fuisse blaterat. Apertissimum & vanissimum commentum Siculæ genti peculiare. Qui, ut probe Plutarchus in Nicia de Timeo Siculo historico scribens ait, in historia scribenda, sæpe ad ridenda quædam ac levia, minimeque ad-

historiæ contextum pertinentia digrediuntur . „ Qui Timeus ( ait in
„ Bruto Cicero ) Lysiam Atheniensem oratorem quasi Licinia & Mu-
„ tia lege repetit Syracusas „ . Franc. Maurolycus in suo martyrologio divum (1) Phantinum Taurianum sancti Basilii monachum , de quo dudum scripsimus , quasi Licinia & Mutia lege , ut Ciceronis verbis utar , repetit Syracusas , illiusque parentes martyrio vitam finisse blaterat . Beatam Dominicam Tropianensem Campaniæ tribuit. Quid multa, cum Siculi Calabros claros viros , ut se Siculos esse dicerent pecunia , quod ostendemus , subornarint . Messana autem colonia fuit Rheginorum : nam , ut dudum ex Thucidide ostendi, Anaxilaus Rheginorum tyrannus exterminatis Samiis, qui Zanclem incoluerant, urbem promiscuis hominibus frequentem reddidit , & a sua quondam patria Messanam appellavit . Jam vero Calabri , utpote Locrenses Messenæ , quod ostendam , aliquando dominati sunt , ergo Messana nunc sub Rheginorum , nunc sub Locrensium ditione fuit . Nec Messenii sine Calabro commeatu vivere possunt: nam cuncta vel quidem certe ligna & saxa ipsis ex Calabria subministrantur (2) Effingebant Rhegini in numo leporem & currum :„ Nam ( ait Arist. Julio Pol-
„ luce referente ) Anaxilaus cum Sicilia ante lepores non gigneret ,
„ hic invehens nutriensque simul, rheda in Olympia vincens, Rhegi-
„ norum monetæ rhedam insculpsit & leporem „ . Imprimebant etiam in numo interdum musam, & ex postico lyram fortasse in Ibici poetæ gloriam inscriptione græca ΡΙΓΙΝΩΝ: interdum ex postico musæ signabant leonem gradientem . Quandoque insculpebant Mercurium altera manu caduceum , altera marsupium tenentem , & ex altera facie Castorem & Pollucem . Interim effingebant Jovem & ex altera parte Minervam sertum dextra tenentem. Aliquando signabant Proserpinam , & ex altera parte Jovem, sive Æxculapium sedentem. Quadoque signabant Lunam biformem , & ex postica facie Jovem sedentem. Signabant & Solem sub imagine Leonis quasi custodem, leo enim dormit apertis oculis , vigilat clausis . Imprimebant nonnunquam Apollinem , & ex altera facie solem . Plerumque signabant Castorem & Pollucem , & ex postico militem sacrificantem super aram tenentem crateram. Item Apollinem & Dianam , & ex altera parte tripodem. Item Jovem & ex altera facie salutem, hoc est Ygiam Æsculapii filiam dextra serpentem tenentem . Item Martem , & ex postico Minervam tenentem scutum, & Victoriam .

Rhegina autem Ecclesia, Archiepiscopalis sedes est vetustissima ab Apostolo Paulo fidem edocta, totius Calabriæ Metropolis. Et Archiepiscopus Rheginus in generalibus Conciliis post Romanum Pont. sive ejus Legatum semper primas sedes tenuit. Cum enim ut alibi dixi , Paulus Apostolus ex Judæa Romam peteret, Rhegium divertit , ut Lucas in Actis Apostolorum tradit . Qui diem totum hic commoratus , & Dei verba apud populum , ut suus erat mos, faciens , Rheginos ad Christum convertit , & *Stephanum* quendam Archiepiscopum Rheginum constituit. (3) Extat Rhegii ipsius beati Stephani vita e Græco in Latinum versa hunc in modum ; „ Paulus Apostolus
„ Rhegium perveniens, ac die uno ibi moratus, Deique verbum apud
„ Rhe-

„ Rheginos adhuc idola colentes concionatus, ipsos ad Christi fidem
„ convertit. Et sicut bona terra semen recipiens centuplum reddit, ita
„ Rhegini verbum divinum receperunt, in eoque usque perstiterunt, quos
„ beatus Paulus instruxit, & plurimos eorum baptizavit in nomine Pa-
„ tris & Filii & Spiritus Sancti „. Quibus Stephanum Nicænum hominem, qui ipsum e Judæa fuerat comitatus, Episcopum constituit. Cumque Stephanus ipse septem & decem annos Rheginam ecclesiam optime rexisset, & multos circumvicinos populos prædicatione ad fidem duxisset, atque Episcopos & presbyteros ordinasset, orta in Christianos persecutionis rabie, ipse & (4) SUERA circumvicinæ civitatis Episcopus, necnon Agnes, Felicitas, & Perpetua mulieres beati Stephani discipulæ Christum constanter confitentes, idola vero ligna & saxa insensata esse libere fatentes, Rheginæ civitatis præsidis Hieracis nomine jussu saxis petiti, ac fractis oculis in fornacem projecti fuerunt, ex qua illæsi egressi sunt. Quod videntes qui adhuc erant idololatræ, clamantes Deum beati Stephani & Sueræ verum & magnum esse, crediderunt in eum. Illi vero Nonis Julii interemti sunt. Corpus autem beati Stephani intempesta nocte a viris catholicis in australi parte civitatis milliario ab ea in secessu, oratorio suo sepultum est. Aliorum vero corpora eodem loco humata sunt ubi fuerant trucidati. Haud dubium & Rheginos, & circumvicinæ regionis ac demum universæ Calabriæ utriusque sexus fideles permultos postea usque ad Constantini & Silvestri tempora martyrii palmam fuisse assecutos, plurimosque absque martyrio sanctitate floruisse.

Nicænæ synodo primæ Constantini & Silvestri tempore celebratæ interfuit præsens *Marcus* Archiepiscopus Rheginus solus ex tota Italia, Victore & Vincentio Romanis presbyteris exceptis, qui gessere vices Papæ. *Joannes* Archiepiscopus Rheginus una cum Joanne Episcopo Portuensi & Abundantio Episcopo Paternensi, quæ civitas, ut ostendam, in Calabria est, gessit vicem Papæ Agathonis Rhegini civis in synodo Constantinopolitana sexta; & *Constantinus* Archiepiscopus Rheginus interfuit synodo Nicænæ secundæ Adriano papa celebratæ. Anno a partu virginis ccccxxxviii. sub Sixto papa tertio, & Theodosio juniore & Valentiniano Imp. (5) habita fuit Rhegii provincialis synodus Hilario Archiepiscopo adversus Briaticensem Episcopum qui minime legitime fuerat ordinatus. Gregorius papa libro quinto ad Bonifacium Archiepiscopum Rheginum scribens Chariatensem Ecclesiam ob civium paucietatem Rheginæ Ecclesiæ committit. Erat enim olim, ut dixi, Rhegina Ecclesia totius Calabriæ Metropolis, quæ cum opus erat, provincialia concilia indicebat. Sed ambitione Archiepiscopalem dignitatem affectante, & ne uni subjiciatur suffragante superbia, quatuor nunc sunt in ea Archiepiscopales sedes, quot vix ferme sunt in reliqua Italia. Atqui certe sicut unum corpus non plura capita, ut monstrum, sed unum dumtaxat habere expedit, & una provincia unum Præsidem, cui universi pareant, habere decet: ita unum Præsulem, cui omnes Episcopi ac Sacerdotes obtemperent, habere convenit. Et in una provincia non plures sed una dumtaxat synodus est habenda, ad quam cuncti provinciales Episcopi coeant." Jam vero

Cle-

Clemens Romanus Pontifex hujus nominis primus in qualibet regione unum dumtaxat Archiepiſcopum inſtituit." Quare mea quidem ſententia, optime provideretur, ſi uni Rhegino Archiepiſcopo in tota provincia primatus dignitas deferatur, cujus partes ſint provincialem ſynodum cum oportuerit, cogere, & ad quem unum habeatur relatio, qui jure Archiepiſcopus dicitur. *Archon* enim Græce, Latine *principem* ſignificat. An autem Epiſcoporum princeps dicendus ſit is, qui in tres tantum in provincia Epiſcopos, aut in duos, & in nullum prorſus poteſtatem habeat, non video. Jam vero Conſentinus Archiepiſcopus (6) tres ſolummodo Epiſcopos ſub ditione ſua habet, (7) Severinates duos, (8) Roſſanenſis nullum prorſus. Elegit Rhegina Eccleſia beatum Brunonem Carthuſienſis ordinis initiatorem in ſuum Archiepiſcopum Vrbani ſecundi temporibus, qui ipsum in Archiepiſcopum confirmavit, ut Dionyſius Carthuſienſis in Acta Apoſtolorum ſcribit, ſed ille eremiticam vitam prætulit Archiepiſcopatui. Cumque Rhegium locuples olim ac potens urbs fuerit, & ut ſemel dixi, prima a diluvio in Calabria condita, coloniaſque in ea plurimas emiſerit, ac prima Chriſti fidem ſuſceperit, plurimumque Græcam & Latinam linguam uſurpaverit, haud dubio plurimos præſtantes viros & gubernandæ reip. idoneos, & doctrina ac ſanctitate præditos protulit. Quorum plerique ſimul cum aliis Calabris multis aut memoriæ a ſcriptoribus traditi non ſunt, aut ſub Siciliæ nomine ſunt ſcripti, idque ſcriptores ſive dolo Calabriæ gloriæ invidentes egerunt, ſive inſcitia, ſive quia Rhegium, Rheginaque regio Siciliæ inſulæ vicina eſt, & ut libro primo oſtendi, olim a Siculis habitata Sicilia dicta eſt, vel quidem certe Thucididis tempore, apud quem libro tertio Rhegium & Meſſenam opulentiſſimas Siciliæ urbes fuiſſe ſcriptum eſt. Et Steph. Bizan., ut alibi dixi, multa Calabriæ loca ſub Siciliæ nomine ſcribit: & Rogerius Guiſcardus Calabriæ, & Trinacliæ inſulæ dominus, utriuſque Siciliæ citra & ultra pharum Innocentii ſecundi tempore ab antipapa Anacleto Rex cognominatus eſt. Sed certe cum quælibet regio ſuo proprio & peculiari vocabulo nominetur, & , ut de aliis nunc taceam, Trinaclia inſula Sicilia, citra pharum vero Italiæ pars uſque ad (9) Talaum & Sirim amnes, Calabria dicatur, nequaquam res Calabræ confuſe & indiſtincte ſub Siciliæ nomine ſcribi debent; nam, ut alibi dixi, nulla regio, nulla urbs, nullus locus, nullus homo ſua propria laude fraudandus eſt. Quod ſiqui eximii ac memoria digni viri confuſe & indiſtincte ſub Siciliæ nomine " patrio ſolo ſuppreſſo " ab auctoribus ſcripti ſunt, utique hi Calabri intelligendi ſunt. Nam Calabria & antiquitate, & quod non inſula, ſed in continenti Italia, ejuſque non minima pars ſit, nobilior eſt quam Trinaclia inſula, & primo a Siculis habitata, Sicilia dicta eſt. Et ob id Rex, qui Calabriæ, Apuliæ, Lucaniæ, Campaniæ, & Samnio dominatur, " Siciliæ " citra pharum Rex cognominatur, non quod hæ regiones, præter Calabriam, aliquando a Siculis habitatæ, Siciliaque dictæ ſint. Ceterum nequaquam me fugit, aliquos fore, qui claros viros ab auctoribus confuſe & indiſtincte ſub Siciliæ nomine ſcriptos propriis Siciliæ inſulæ, locis afferent, id quod jam hucuſque de aliis multis egerunt.

THO-

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Phantinum*. In martyrologio Usuardi legitur: *Calabriæ oppido Tabritano S. Phantini Confessoris*. *Tabritano* pro *Tauritano* vel *Tauriano*. Vide *Adnotat. lib. 2. cap. 17. n. 3.*

2. *Effingebant Rhegini*. Præterea Janum bifrontem cum epigraphe ΡΗΓΙΝΩΝ. Item Neptunum cum epigraphe ΠΟΣΕΔΟΝΕΑ: plurimosque alios numos, quos videre poteris apud Goltium de Numismat. Magnæ Græciæ, Paris. & Flor. Calab. illustr.

3. *Extat Rhegii*. Historiam B. Stephani Græce conscriptam ab Andrea Episcopo Hierosolymitano legit Marafiotus in Monasterio S. Bartholomæi instituti Basiliani secus Euphemiam Synopolitanam sito, ut ipse testatur lib. 1. cap. 20. Incipit autem historia his verbis: Ο Παῦλος Ἀπόστολος ἐπὶ τὸν Ῥήγιον ὁ ἐρχὼν &c. *Paulus Apostolus Rhegium perveniens* &c. ut supra in textu Barrii.

4. *Suera*. Hic fuit Consentinæ Ecclesiæ Episcopus ut conjicitur ex Catalogo in Ms. Martyrensi adducto.

5. *Habita fuit Rhegii Provincialis Synodus*. In hac sex Canones decreti fuere, ut videre est apud Hieronymum Marafiotum lib. 1. Cap. 26. & Concil. Gen. sub Sixto III. Ibidem quoque mentio fit de Metropolitano nec non in Notitia Græca Constantinopolitana, Leoni attributa, sermo fit *de Rhegitana Metropoli*. Vide Carolum a S. Paulo Geograph. sacr.

CANONES AUTEM HI SUNT.

I. *Ut perversi ordinatores nullis denuo ordinationibus intersint.*

II. *De remotione ejus quem ordinare perperam duo præsumpserunt.*

III. *De hæreticis & schismaticis Episcopis, si ad catholicam fidem pervenerint, quid agendum?*

IV. *Ut Episcopus benedicat & confirmet Neophytum.*

V. *Ut Episcopus, cum sepelierit Episcopum, curam habeat ecclesiæ ipsius.*

VI. *Ut absque Metropolitani literis & consensu nullus accedat ad Ecclesiam destitutam Episcopo.*

6. *Tres solummodo Episcopos*. Modo unum tantum suffraganeum habet, nempe Martyranensem.

7. *Severinates duos*. Quinimmo quinque, nempe Belicastrensem, Isulanum, Chariatensem, Umbriaticensem, & Strongylensem. Habebat aliquando Melitensem, & Marcopolitanum jam exemtos. Ms. Mart.

8. *Rossanensis nullum*. Habebat olim Chariatensem; sed hic ubi unitus fuit Geruntinensi, Severinatis suffraganeus effectus est. Ms. Mart.

9. *Talaum*. Vide adnotat. lib. 1. Cap. 1. n. 1.

CA-

# CAPUT IV.

## *De Rheginis viris præſtantiſſimis tum Dignitate, tum Sanctitate, ac Doctrina. Pythonis Illuſtre facinus. Fragmentum Hipparchi de Vitæ felicitate.*

FUerunt ex Rhegina civitate, aut certe ex Rhegina regione (1) *Leo* junior, (2) *Stephanus* tertius ſive quartus, & (3) *Agatho* Romani Pontifices, ſub Siciliæ nomine indiſtincte ab aliis ſcripti, quorum poſtremus Joannem archiepiſcopum Rheginum, & *Abundantium* epiſcopum Paternenſem (4) conterraneos ſuos Synodo Conſtantinopolitanæ ſextæ præfecit. Fuit & ex hac urbe beatus *Cyprianus* divi Baſilii monachus divi Nicolai monaſterii Abbas, quod eſt in Calamitio pago. Fuit & beatus (5) *Thomas* ejuſdem divi Baſilii monachus Abbas monaſterii in Tireto pago. Fuere & noſtra memoria *Ludovicus* divi Franciſci Aſiſini monachus ſanctæ vitæ vir " qui primus cum Georgio cive ſuo integræ vitæ viro reformandæ Minoris Ordinis vitæ in Calabria auctor duxque extitit. Hic diem mortis ſuæ prædixit: illius animam Bartholus Philocaſtrenſis ſanctæ vitæ vir ejus ſocius uti facem in aera conſpicatus eſt ". Cumque, ut ſemel atque iterum dixi, Rhegina civitas Paulo concionante Chriſti fidem amplexa ſit, ambigendum non eſt plurimos utriuſque ſexus homines pro ea vitam cum ſanguine fudiſſe, aliosque poſt Conſtantini baptiſmum ſanctitate floruiſſe. Qui etſi ab hominibus, ſive dolo, ſive incuria ſcribi prætermiſſi fuere, in Dei tamen libro ſtylo ferreo exarati ſunt. Nunc ſcribendi ſunt qui diſciplinis claruerunt. Sed primum is eſt ſcribendus, qui non " Pythagoræ diſciplina inſtructus ", ſed ſuo ipſius exemplo qualis in patriam " etiam ingratam " charitas eſſe debeat docuit. „ PYTHON *Rheginus*, „ ait Philoſtratus de vita Apollonii Tyanei, exul cum ad Dionyſium „ Siciliæ tyrannum confugit, atque honoratius ab eo ſuſceptus, quam „ exuli convenire videretur, tyranni mentem intellexit Rhegii capiendi „ percupidam: cumque id Rheginis per epiſtolam nuntiaſſet a ty- „ ranno deprehenſus eſt. Quapropter tyrannus illum uni ex ma- „ chinis, quas pro Rhegio expugnando conſtruxerat, vivum ſuſ- „ pendit, eumque muris admovit, exiſtimans Rheginos ne Pytho- „ nem vulnerarent, adverſus machinam tela non emiſſuros. Ille autem „ magis vocibus exclamans, Rheginos hortabatur, ut in machinam „ tela torquerent, ſe namque ajebat ſignum libertatis eſſe propoſitum „. Hic academicam diſciplinam ſecutus, ſapiens liberque evaſit. Eruditos autem homines ex hac urbe complures fuiſſe opinandum eſt, cum, ut relatum eſt, Rhegini plurimum Græcam & Latinam linguam uſurparint: tum quidem maxime Pythagorica diſciplina inſtructi fuere. Nam præter eos, qui agente Crotone Pythagora eo commigrantes ejus diſcipuli extitere, Pythagorici, ut ait Jamblicus, exuſtis ducibus phi-

philosophiæ, Rhegium contendere, ibique diu versati sunt. Pythagoræ autem discipuli præclarissimi viri fuere, ut ait idem Jamblicus in libro De secta Pythagorica, *Aristides*, *Aristocrates*, *Demosthenes*, *Athosion*, *Calais*, *Euthycles*, *Elicaon*, *Hipparchides* sive *Hipparcus Mnesibolus*, *Obsimus*, *Phetius*, *Selinuntius*, & *Theocles*. Horum *Elicaon*, & *Hipparcus*, item *Phytius* philosophi clari fuerunt, & legum latores, qui Rheginas respublicas constituerant, & eam, quam gymnasiarcham vocant, & eam, quæ sub Theocle dicebatur. Hipparcho Plato librum inscripsit, De studio lucrandi. Ex Hipparchi autem dictis, hæc sunt apud Stobæum in sermone, Quod eventus: *Homines, qui brevissimum vitæ tempus habent, si totius mundi ævo comparetur, optimam in vita veluti peregrinationem transigent, si vixerint in tranquillitate. Hoc autem assequentur si in primis diligenter scientiam, & cognitionem sui habuerint: nempe quod mortales sint, ex carne constent, corpus offensu facile & corruptibile gerant. Denique gravissima quæque ad ultimum usque spiritum expectare cogantur. Primum enim lugenda sunt, quæ circa corpus eveniunt, morbi costales, pulmonarii, phrenitides, podagræ, stillicidia urinæ, tormina, veterni, comitiales, putredines, & infinita alia. Circa animam vero longe majora & difficiliora contingunt. Siquidem omnia quæ per vitam committuntur nefanda mala, illegitima, & impietates ex animi affectibus oriuntur. Nam propter immoderatas contra naturam cupiditates, multi in affectus effrænatos inciderunt, & nec a filiabus, neque a matribus suis impiissima voluptate capienda sibi temperaverunt: quin etiam parricidæ facti sunt, & multi eorum suos liberos jugularunt. Quid illa recenseam quæ foris impendent nobis, per imbres, squalores, æstus immodicos, & nimia frigora, ita ut frequenter propter inæqualem aeris intemperiem pestis & fames, & alii multi diversique casus fiunt, & integræ civitates desolentur? Cum igitur hujusmodi multa nobis immineant, neque corporis dotibus gloriantes efferri debemus, ut quæ vel exigua febricula deum voluntate immissa statim immarcescant, nec externa prosperitate, ut putatur, & hæc enim ut plurimum citius perire, quam oriri solet. Quippe hæc omnia incertam atque instabilem obtinere naturam, & in multis variisque mutationibus gigni exploratum habemus, & nil ipsorum permanere, neque immobile, aut firmum, aut continuum esse. Quapropter si hæc cogitemus tranquille vivemus, quosvis eventus fortiter sustinentes. Nunc vero multi omnia, quæ natura, fortunave ipsis contulit, quam optima fore animo secum præsumentes, & non qualia sunt repudiantes, sed qualia in præstantissimo sui statu fieri possent, subito illis privati animam onerant multis magnisque, & illegitimis ac temerariis malis: atque ita usu venit ipsis, & vitam acerbissimam tristissimamque agant. Contingunt autem talia amissis pecuniis, vel amicis mortuis, aut liberis, aut alterius rei pretiosæ existimatæ facta jactura. Deinde flentes ac lugentes se solos infortunatos & infelices esse putant. Nec meminerunt quod similes casus & aliis multis ac-*

*tis acciderunt, & adhuc accidunt: neque animo perſpicere poſſunt, vel aliquot noſtri ſeculi hominum vitam vel jam defunctorum in quantis calamitatibus & malorum tempeſtatibus illi quidem adhuc ſint, illi quidem quondam fuerint. Conſiderantes igitur quod multi pecuniis amiſſis ipſi deinde ſervati ſint propter pecuniæ jacturam, cum aliter in periculum a latronibus, aut a tyranno patiendi aliquid venturi fuiſſent. Item quod multi cum amore & maxima benevolentia proſecuti quoſdam eſſent, eoſdem paulo poſt vehementer odio habuerint. Hæc inquam omnia poſtquam cognovimus ex hiſtoria nobis tradita, & intellexerimus quod multi a liberis & amicis dilectiſſimis perditi ſint, vitamque adeo noſtram cum infelicioribus contulerimus, & eventus omnes humanos nec nobis ſolum contingentes reputaverimus, tranquillius degemus. Non enim æquum eſt, hominem aliena mala levia putare, ſed propria etiam leviter ei ferenda ſunt, cum videat omnem humanam vitam multis adverſitatibus obnoxiam eſſe. Qui autem flent ac lugent, præter id quod rem pereuntem aut diſcedentem nihil plane juvant, in majores perturbationes animam ſuam impellunt, in medio multorum pravorum affectuum conſtitutam. Quamobrem convenit ut abnuentes ac repugnantes modis omnibus nævos illos in philoſophiæ corpore jam induratos abſtergamus. Hoc autem faciemus ſi prudentiam & temperantiam colamus, præſentibus utamur, & non multa deſideremus. Quid eſt quod homines multi ſibi conquirant, cum poſt illud vitæ tempus uſus eorum nullus ſit futurus? Utamur igitur bonis præſentibus, quæ per philoſophiam decora & honorifica ſunt, & inſatiabili malorum cupiditate liberabimur.* De hoc Plinius libro ſecundo ait: *Utriuſque ſyderis curſum in ſexcentos annos præcinuit Hipparcus, menſes gentium dieſque & horas, ac ſitus locorum & vicos populorum complexus ævo teſte haud alio modo, quam conſiliorum naturæ particeps.* Et infra: *Ducentos annos Hipparci ſagacitate compertum eſt, & lunæ defectum aliquando quinto menſe a priore fieri, ſolis vero ſeptimo. Eandem bis in triginta diebus ſupra terras occultari, ſed ab aliis, atque aliis cerni, quæque ſunt in hoc miraculo maxime mira, cum conveniat umbra terræ lunam hebetari; nunc ab occaſus parte hoc ei accidere, nunc ab ortus.* Et rurſus: *Hipparcus nunquam ſatis laudatus, ut quo nemo magis approbaverit cognationem cum homine ſyderum, animaſque noſtras partem eſſe cæli, novam ſtellam, & aliam in ævo ſuo genitam deprehendit. Ejuſque motu qua die fulſit ad dubitationem eſt adductus, an ne hoc ſæpius fieret moverenturque & eæ, quas putamus affixas.* Et rurſus: *De terræ univerſæ menſura Eraſtotenes ducentorum quinquagintaduorum millium ſtadiorum prodidit. Quæ menſura Romana computatione efficit trecenties quindecies centena millia paſſuum. Hipparcus & in coarguendo eo, & in reliqua omni diligentia minus adjecit computationi illius ſtadiorum paulominus vigintiquinque millia.* Item: *Hipparcus nomina ſtellis omnibus imponens, ſyderum ſtellarumque numerum explicavit.* Ejus epitaphium apud Stobæum ſic erat.

SE-

SEPULCRUM HOC HIPPARCHI EST.
PERGE JUSTITIAM ANIMO COMPLECTENS.

" Hic, ait Clemens Alexandrinus, accusatur quod aperte scripsisset secreta Pythagoræ, expulsus fuit e schola, & propter ipsum tamquam propter mortuum facta est columna ".

Fuit & ex Rhegina urbe *Androdamus* Philosophus & Legislator, qui, Aristotele Pol. libro tertio referente, Chalcidensibus leges scripsit, iis, qui sunt in Thracia, cujus extant de cæde leges, & de hereditatibus. Fuit & *Theæthetus* Philosophus & Legislator, cui Plato librum De scientia inscripsit, fuit & (6) *Lycus* Philosophus Pythagoricus Alexandri Magni temporibus, ad quem magnum librum scripsit. De quo Suidas inquit: *Lycus qui & Buteras historicus adoptione pater Lycophronis tragici, qui fuit sub Alexandri successoribus, insidiis petitus a Demetrio Phalareo*. Hic historiam Libyæ & Siciliæ scripsit, Meminit hujus Stephanus." Ergo Lycophron poeta tragicus Rheginus fuit, & idcirco ut hujus regionis indigena Calabras res diligenter scripsit". Fuit & (7) *Hippyas* sive *Hippys* philosophus, & orator, poeta, & historicus, ut Suidas tradit. Qui floruit Persicis temporibus, primus Siculas res scripsit, quas postea Myes in compendium redegit. Scripsit, De Italia constructa, De rebus Siculis libros quinque, De temporibus totidem, De rebus Argolicis libros tres. Qui & prius Parodiam, (8) Choliambumque, & alia scripsit. De quo Plutarchus de oraculis deficientibus meminit, aitque de eo mentionem fecisse Phaniam. Meminit hujus & Galenus in libro De historia philosophica. Qui materiam ignem & aquam esse dixit, & feminas non minus maribus semen effundere opinatur, quicquam tamen ipsum ad conformationem foetus non conducere, cum extra uterum incidat. Hic mulieres aliquot, viduas præsertim absque virili concubitu semen interdum emisisse. Hic ut ait Stobæus in sermone De invidia, dicit duplicem invidiam esse: justam quidem, cum quis invidet improbis honoratis; injustam vero, cum bonis. Et invidi duplo magis quam ceteri calamitosi sunt: non enim solum propriis malis gravantur, ut alii, sed alienis quoque bonis. Hic, ut ait Plutarchus in libro De calumnia apud ipsum Stobæum, gravissimam rem calumniam esse dicit, quia nulla poena lege sancita sit calumniatoribus, ut furibus, quamvis amicitiam, quæ optima est possessio, furentur. Quamobrem contumelia licet malefica sit, justior tamen est, quam calumnia quæ quia latet nocentior est. Xenophon facit interlocutores De justo *Hippyam* & *Socratem*, cui Plato duos libros inscripsit, De pulcro, & De mendacio. Vtebatur Hippyas, ait Ælianus De varia historia libro duodecimo, vestibus purpureis. Fuit & *Glaucus* sive *Glaucia* Philosophus Pythagoricus & Musicus excellentissimus Democrito contemporaneus, qui scripsit De poetis & musicis antiquis, ait Plutarchus in musica, scripsit & alia, cujus meminit Laertius Diogenes in Democrito. Fuit & *Theagenes* poeta clarus, qui, ut Eusebius libro decimo De præparatione Euangelica refert, Cambysæ regis patris Cyri temporibus floruit. Qui, ut Tatianus in libro contra Græcos prodit, ante omnes alios perscrutatus est Homerum, scripsitque De ejus poesi ac tempore.

" Hic igitur primus omnium Homerum interpretatus , aliis viam elucidandi poetas aperuit ". Fuit & *Cleonymes* poeta dithyrambicus. Scripsit ad Alexandrum Magnum epistolas & dithyrambos, ut Athenæus libro nono auctor est. Fuit & *Ibycus* poeta Lyricus & historicus & musicus *Certandis* filius. Quem decantat Aristophanes in Cerealibus: *Ibicus* , inquit , *poeta circa musicam & concentum versatus est.* Fuit unus ex novem Lyricis universæ Græciæ, ut Isacius in Lycophronem, & auctor quidam epigrammatum ajunt : A quo *Ibycium* metri genus dictum est , pluraque lingua Dorica scripsit . De quo Suidas inquit: Ibycinum dictum , sed Ibycini versus . Ipsum ait idem Suidas , & Plutarchus in Symposiis , Nequid erga Deos peccans pœnam ab hominibus acciperet, est autem consonum cum Sacerdotio. Hic, ait idem Suidas, Certandis Rhegini filius fuit, Samumque petiit Olimp. xliiii. Polycrate Polycratis tyranni patre regnante. Ibycinum instrumentum , ait idem, ab Ibyco inventore in conflictu Celtarum cum Romanis . Erat autem innumerabilis tibicanetarum & tibicinum multitudo simul totius exercitus canentium Pæana . Clamor erat commixtus , ut & vicina loca resonarent , & videbantur edere vocem terrificam . Id magno adjumento tum Romanis fuit. Fuit etiam Ibycus, ait Athenæus libro quarto, inventor Ibyci instrumenti musici triangularis , (9) *trigonum* dictum . Scripsit libros sexaginta , & triangularem Citharam invenit, quæ Sambuca dicitur . Sambuca ut ait Porphyrius, est triangulum instrumentum , quod ex inæqualibus longitudine , sicut & crassitudine nervis efficitur . Hic diluculum *cliton* appellavit , quod eo tempore *cliin*, hoc est audire jam & loqui liceat . Hic etiam , ait Athenæus libro primo, affirmat Ambrosiam ad mellis naturam nocuplam habere dulcedinem, mel dicens nonam Ambrosiæ partem habere secundum suavitatem . Ab eo *Ibycus equus* proverbium est : ait enim Plato in Parmenide : „ Ibyci equo athletæ & seniori cursuum subituro certamen , & propter experientiam eventuum extimescenti Ibycus ipse se conferens , intuitus inquit , & ipse jam senex ad amores regredi cogor , unde Ibycus equus proverbium „ . Fuit autem puerorum amator, de quo Cicero Tusc. Quæst. libro quarto ait: maxime vero omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum apparet ex scriptis . De quo auctor epigrammatum ita scribit :

*Rhegium Italiæ pallustris extremum cano,*
*Semper Trinacliam gustans aquam,*
*Propterea quod amantem lyram , amantem pueros*
*Ibycum frondosa posuit sub ulmo.*
*Hic multa passus , multam sub sepulcro ederam fundit .*
*Et candidi plantam calami .*

" Thomas Falsellus homo Siculus Ibycum Messanam falso repetit". Fuit autem occisus a latronibus de cujus morte Plutarchus De futili loquacitate ait : „ Ibycus cum in latrones incidisset jam occidendus grues forte supervolantes obtestatus est. Aliquanto post tempore cum iidem latrones in foro sederent , rursumque grues supervolarent , per jocum inter se susurrabant in aurem , Adsunt Ibyci grues. Eum sermonem assidentes in suspicionem rapuerunt,

ma-

„ maxime desiderato jam pridem Ibyco , Rogati quidnam sibi vellet
„ ea oratio, hæsitanter, atque inconstanter responderunt: subjecti tor-
„ mentis facinus confessi sunt, atque ita velut gruum inditio, pœnas
„ Ibyco dederunt, ac potius suo ipsorum inditio , ut dicitur , per-
„ ierunt: Unde parœmia orta est: Ibyci grues„ " Hinc etiam versus extat ",

*Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus* .

Simile quidpiam Crotone Pythagoræ tempestate accidisse Jamblicus in libro De secta Pythagorica , de nautis quibusdam, qui quosdam e navi in mare demerserunt , refert .

Fuit ex hac urbe & *Aristo* musicus , de quo meminit Strabo, ut in Locris dicemus. Fuit & *Syllax* pictor celebris , qui , ut Athenæus libro quinto tradit, porticum in Philiunte egregie pinxit, quod Pollemachio dicebatur . Fuit & *Clearcus* statuarius celeberrimus ; de quo Pausanias in Laconicis ita scribit ; „ In dextra Chalciæci
„ parte Jovis ex ære signum factum est omnium , quæ ex eadem
„ sunt materia vetustissimum : neque enim una & eadem fuit uni-
„ versi operis fabricatio , sed particulatim , in membra excusæ in-
„ ter se deinde sunt apte clavis confixæ , atque ita ne dissolvi pos-
„ sint coagmentatæ : fecisse ajunt, Clearcum hominem Rheginum,
„ quem Dipoemi & Syllidis nonnulli, alii Dedali discipulum dicunt fuisse „ . Fuit & *Pythagoras* Græcis literis eruditus statuarius & fictor clarissimus, qui primus statuarum proportionem consideravit. Floruit, ait Laertius, tempore Pithagoræ Philosophi, & primus numerorum ac modorum repertor fuit . Qui , ut Pausanias in Elicor. prodit , discipulus fuit *Clearci* Rhegini in plastice arte celebris , ut siquis alius , idest fictor . Fecit imaginem Astyli , quam stadiodromostylon vocant . Fecit in Olympia statuam Mnasei cursoris cognomento Libin. Fecit statuam Euthymi, & Leontisci cujusdam. Fecit, ut idem Pausanias in Phociacis scribit, in Olympia statuam Protalai Mantinei athletæ, qui pueros in pugilatu vicit. Fecit Tarenti ex ære egregiam imaginem tauri exportantis Europam Agenoris filiam ex Phœnice, ut Varro Linguæ Latinæ libro primo scriptum reliquit De hoc Plinius libro trigesimoquarto Cap. Viii „ Pythagoras Rheginus sta-
„ tuarius vicit Myrronem diligentissimum statuarium pancraciaste Del-
„ phis posito. Licet ipse primus multiplicasse varietatem videtur, nu-
„ merosior in arte, quam Polycretus, & symmetra diligentior „. Fuit,
„ Olympiade lxxxvii. circiter urbis annum cccxvi. Fuit & alius Py-
„ thagoras Samius initio pictor nepos ex sorore & discipulus Rhegini,
„ eique indiscreta facie similis „. Ergo Pythagoræ Rhegini statuarii soror Samio homini nupsit . Fuit enim in Calabria urbs *Samos* , quam ædificaverunt Samii , ut Locri Naritii Locrum , & Milesii Asiæ Miletum urbes in Calabria condiderunt . Sunt , ut retuli , in Calabria & alia loca complura iisdem appellata nominibus , quibus & orientalis Græciæ loca . " Quare haud quidem ab re Divus Thomas Pythagoram Philosophum ex Samo Calabriæ urbe fuisse dicit " . Fuit ex Rhegio *Nicolaus* medicus eximius Latina Græcave lingua aprime eruditus , qui Nicolaum Alexandrinum medicum , atque omnia Galeni opera e Græco

in

in Latinum vertit, sed pauca extant. Edidit librum De Gemate, qui Græce desideratur, collationem locorum Galeni & Hippocratis emendatiorem. Ejus exemplaria castigatissima & integerrima si extarent, non tot erratis scateret Galenus. Floruit a natali domini anno M. cccclx. Fuit & ex hac urbe C. *Antistius* vir magna prudentia præditus, & re militari peritus, legatus C. Julii Cæsaris in bello Gallico, ut libro sexto bel. Gal. scriptum est. Fuit & (10) Lucius Romæ tribunus plebis, cujus meminit Val. Max. libro quarto. Fuit & *Ludovicus Cherercus* Jureconsultus, edidit opus quoddam ad jus civile attinens. *Prosper* Præsul Rheginus scripsit De vita solitaria, & De temporibus ab Adam usque ad suum seculum.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Leo junior*. Nempe Leo II. qui Agatoni successit. Hic fuit in utraque lingua doctissimus, sacros hymnos, psalmosque in meliorem concentum redegit. Præclarissima ejus gesta videre poteris apud Anastasium Bibliothecarium de Romanis Pontificibus, & Breviarium Romanum die 28. Junii. Tametsi Siculus scribatur, fuit sane Rheginus, in Valle Salinorum natus vulgo *Piana di S. Martino*, quæ *Vallis Sicula* nuncupatur. Neque audiendi sunt Scipio Mazzella & Ciaconius, alioquin Scriptores cordatissimi, qui Aprutinum faciunt, aliquo monumento decepti, ubi pro *Brutiis*, *Aprutiis* legerunt. Quod de Agathone, & Stephano identidem crediderunt. Vide Adnotat. lib. 2. Cap. 17. num. 2.

2. *Sthephanus*. Dissentiunt Scriptores de patria hujus Pontificis. Ciaconius Aprutinum facit, ut supra dictum est, Oldoinus Romanum, oriundum a Syracusis. Scriptores Siculi Siculum contendunt. Sed Rheginus fuit; Calabria enim Siciliæ nomine sexcenties nuncupata est, ut sæpius adnotatum fuit.

3. *Agatho*. In menologio Græco die 21. Februarii sic legitur: *Agathon Thaumaturgus Italus, parentibus piis natus* &c. Siculi Siculum faciunt. Rheginus autem fuit; Calabria quippe Italia & Sicilia dicta est. Quinimmo Rhegium Siciliæ conterminum, civitas Siciliæ a Thucidide vocitatur. Theodorus quoque Episcopus Taurianensis in Sexta Synodo Constantinopolitana ex insula Siciliæ scribitur, ut supra tulimus lib. 2. cap. 17. num. 2. Apud omnes autem compertum est Taurianum in Calabria extitisse non in Sicilia. Quid ni? Poterat Agatho Pontifex, poterat Leo, & Stephanus, natione Rheginus, Siculus nuncupari, sed citra pharum. Ciaconius Aprutinum scribit, sed errat ut vidimus supra num. 1. Oldoinus anceps est nec audet Siciliæ insulæ adscribere: putat siquidem vel Rheginum, vel Aprutinum fuisse. Verum enim vero Aquilani jam diruti in Rhegina ditione natus est, ubi & Leo ut supra vidimus. Apud Rheginenses quippe constans & perpetua traditio durat.

4. *Conterraneos*. In Conciliis Generalibus Labbei legitur συνδέλους, idest *confamulos*. Ex quo autem codice excerpserit Barrius incompertum habeo.

5. *B. Thomas*. Eidem B. Cypriano

no coevus. Obiit in eodem monasterio, quod jam corruit, III. Nonas Julias MS. *Gualt.* Vide Agrest. in præfat. ad vitam S. Nicodemi.

Fuerunt ex Rhegina civitate, præter a Barrio adductos, & alii viri in omni virtutum genere celeberrimi. *Agathocles* obscuris natalibus ortus, egregiæ pulcritudinis adolescens, re militari & prudentia eo profecit, ut Siciliæ Rex renuntiatus sit. Hic cum figuli esset filius, generis humilitatem non modo non dissimulavit, verum etiam & veluti firmissimo argumento usus est, ut suos ad capessendam virtutem inflammaret. Quapropter vasis aureis figulina admiscere solebat, ut ostenderet sordidissimæ etiam conditionis hominibus per virtutem ad honores vel supremos iter patere. Diodor. Sic. lib. 19. Vide Patav. to. 1. *N. Rheginus* scripsit opusculum, cui titulus *Polymnemon* a multa rerum copia. Vide Suid.

Tempore autem gratiæ SS. *Elias* & *Arsenius* Abbates, & *BB. Vitalis* & *Cosmas* instituti Sancti Basilii, vitæ sanctitate & miraculis clari, ut ex actis quæ in Monasterio Sanctissimi Salvatoris Messanæ asservantur Vide Agrest.

Archiepiscopi & Episcopi Cives Rhegini: Sanctus *Sisinnius*, qui S. Placidum monachum & Martyrem Rhegii hospitio excepit antequam Messanam trajiceret. Vide Ughell. *Rogerius* ann. 1014. *Arnulphus* Archiepiscopus ann. 1089. *Rhodulphus* 1122. *Bernardus* 1123. *Rogerius* alter 1146. *Jacobus* ex Archidiacono electus Archiepiscopus ann. 1199. ab Innocentio III. post approbatam electionem per Gregorium Crescentium Siciliæ Legatum confirmatus. Obiit ann. 1216. Ughell. *Landus*, vel *Leander* electus ann. 1217. ab Honorio III. confirmatus. Hic eidem Pontifici & Friderico II. Imperatori acceptissimus fuit, rebusque ejus opera cum Longobardis, mox inter Fridericum & Gregorium IX. compositis, Messanam translatus est, ubi decessit circa ann. 1235. Interfuit consecrationi Ecclesiæ Consentinæ. *Guillelmus Logotheta* sanguine clarissimus electus Archiepiscopus ann. 1232. a Joanne XXI. confirmatus. *Benvenutus* ex Canonico Archiepiscopus ann. 1261. *Guillelmus* II. *Logotheta* Archiepiscopus ann. 1440. *Philippus de Lanzano* Episcopus Coronensis in partibus infidelium ann. 1346. Vide Ughell. *Antonius Strada* Episcopus Miletensis ann. 1420. Ughell. *B. Matthæus Saracenius* minorita Socius S. Bernardini Senensis, ad bellum Hungaricum contra Turcas cum S. Joanne de Capistrano concessit: grassantem hæresim *Novorum Christianorum* nuncupatam in regno Neapolitano delevit, multisque laboribus pro Ecclesia Dei fortiter susceptis, Archiepiscopus Rossanensis a Pio II. ann. 1460. renuntiatus est. Chron. Wading. Ughell. aliique. *Paulus Dianus* Episcopus Opedensis circ. ann. 1663. Obiit 1674. Ms. Mart. *Paulus Philocamus* ex Archidiacono Rhegino Episcopus Scylacensis ann. 1676. Obiit 1687. Ms. Mart. *Demetrius* Episcopus Corcyrensis *Ms. Mart.*

*Antonius*, *Benedictus*, *B. Bonaventura*, *B. Franciscus*, *Jacobus*, *B. Joannes*, *Hieronymus*, *Martinus*, *Matthæus*, & *Seraphinus* instituti Ca-

Capuccinorum sanctitate clari. *Chron.* Fuit ejusdem instituti *Bonaventura Campagna* doctissimus, scripsit Chronicon, aliaque. Ms. Gualt. *Joseph Marropadi* Presbyter sanctæ vitæ vir, Obiit Romæ septuagenario major III. Id. Julii 1685. magna sanctitatis fama Ms. Mart. *Angelus* Minorita Conventualis sanctitate, & miraculis clarus, obiit circa ann. 1640. Ms. Mart. *Anna Labruta* tertii Ordinis S. Dominici vitæ puritate, & amore erga Christum sponsum celeberrima. Obiit 18. Novembris 1660. ut ex Act. Capitular. *Didacus*, & *Dominicus Barone* Equites Hierosolymitani, magnæ prudentiæ viri. Aldimar. *Didacus de Mari* Jurisconsultus, quædam edidit. Topp. *Ægidius* Minorita sanctitate & miraculis clarus. Ludovic. Jacobell. to. 2. de sanct. Umbr. *Franciscus Majorana* ex Minimorum familia eruditione conspicuus, edidit *Lavacrum sacrum*, Messanæ 1643. & *Promtuarium Sacramentorum* 1644. in 4. Topp. *Franciscus Saccus* poeta celebris quædam edidit perjucunda. Leo Allat. & Topp. *Joannes Montiel* Soc. Jesu sanctæ vitæ vir, in Indiis pro fide Jesu Christi occisus P. Nadas. in ann. mem.

*Jo: Angelus Spagnolius* doctrina, & morum integritate clarus, scripsit Chronicon ab anno mundi usque ad annum Christi 1625. quod asservatur Rhegii in conventu Franciscanæ reformatæ familiæ. Cornel. a Lapid. in cap. ult. Act. Apost. *Jo: Baptista Bovius* Jurisconsultus celebris edidit librum *De statuaria Urbis præscriptione* Neap. in 8. Topp. *Jo: Baptista Cariddius* Soc. Jesu morum integritate clarus MS. Mart. *Jo: Baptista Catanzaritius* Presbyter in utraque lingua doctissimus, scripsit contra Græcos *De vera utriusque Ecclesiæ concordia circa processionem Spiritus Sancti.* Venetiis 1633. Leo Allat. de Eccles. Occid. & MS. Gualt. *Hieronymus Monsolinus* ex Dominicana familia sanctæ vitæ vir. Obrutus est cum sociis in terræmotu Soriani Nonis Novembr. 1659. eademque nocte apparuit sorori suæ cælesti luce circumdatus. MS. Mart. *Julius Fulcius* edidit opusculum *De fructibus eleemosynæ*. Romæ 1581. MS. Mart.

*Joseph Photius* Soc. Jesu doctrina & morum probitate celebris, multa edidit ingenii sui præclarissima monumenta, sed quædam sub alio nomine: *Informazione della Vita del Ven. Ignazio Abezeda, e Compagni* 1664. in 4. *Vita di S. Francesco Sales* 1662. in 8. *Vita di* S. *Maria Madalena de' Pazzi* 1669. in 4. Ex Gallico in Italicum sermonem transtulit, ediditque sub nomine P. Stephani Binetti *La Conversione del Buon Ladrone* 1638. in 12. *Consolazione dell' Anime afflitte* 1635. in 12. *Gli efficaci rimedj contro la peste* 1658. in 12. *Risposte alle domande d' un gran Prelato circa la Gerarchia Ecclesiastica* 1638. in 12. *Degli efficaci diletti dell' amore di Gesù Cristo* 1643. in 12. Item: *Il perpetuo coltello della Regina de' Martiri* sub nomine *N. Andries* 1652. *Casi ed eventi della Confessione fatti da Cristofaro Vega* ex Hispano in Italicum sermonem 1668. in 12. *Istoria santa composta da Nicolò Folone* quam transtulit, ediditque sub alio nomine 1649. in 12. *Epistola Parenetica del P. Gosuvino Nikel, De Paupertate* ex Latino translata 1654. in 8. *Articoli del testamento della Duchessa Buglione* 1670. in 8. Scripsit quo-

quoque *Vitam S. Demetrii*, & *Hannibalis de Afflicto* Archiepiscopi Rhegini 1687. in 8. Vide P. Natanael. in Catal.

*Innocentius a Purificatione* Augustinianæ discalceatæ familiæ sanctæ vitæ vir, obiit anno 1660. prænuntiato mortis die. Chron. Ms. *Leo* Magnus Regni Senescalcus, Magister Rationalis, & Regius Consiliarius ann. 1321. & 1329. Topp. & Marra. *Nicephorus Sebastus Melissenus* Augustinianæ familiæ doctissimus, multa edidit. Topp. *Nicolaus* Congregationis Olivetanæ bis Abbas Generalis emeritus ann. 1447. & 1459. Vujon. to. 2. lib. 3.

*Octavius Saccus*, Presbyter Urbano VIII. familiarissimus, primus Judex qui summarie lites rusticorum cognosceret, ut etiamnum sub ejus cognomine exercetur vulgo *Il Tribunale dell' Abate Sacco*. Hic fuit pater pauperum, præsertim dum pestilentia in Urbe grassaretur. Sanctissime vitam traduxit, quem Europæ principes in oculis ferebant, & vel ipse Othomannus variis datis epistolis reverebatur. Obiit XI. Kal. Februarias ann. 1660. octogenario major, sepultusque est in Ecclesia S. Mariæ super Minervam, in qua extat inscriptio hæc:

OCTAVIO SACHO NOBILI
RHEGINENSI
PATRITIO ROMANO
ABBATI COMMENDATARIO
COENOBII S. ANGELI IN
DIOECESI RHEGINEN.
CIVILIUM ET CRIMINALIUM
CAUSARUM
IN CURIA ROMANA JUDICI,
PAUPERUM PATRI
IN CIRCUMJECTO ROMÆ
TRACTU VERSANTIUM
QUORUM NECESSITATIBUS
TUM CORPORUM
TUM ANIMARUM PERPETUO
CONSULUIT
SUFFECTIS AD CELEBRANDA
SACRA
DIEBUS FESTIS
ET MINISTRANDA OPPORTUNE
SACRAMENTA SACERDOTIBUS
CUM DILIGENTIA ET ORDINE
AMPLISSIMÆ REGIONI
PROSPICERET.
QUO SUAS PAROECIAS
PAROCHI SINGULI CURANT.
OBIIT DIE 22. FEBRUARII 1660.

Ex Ms. Mart. ubi fuse de eo. Vide Abb. Piazz. oper. pior. tract. 5. Cap. 22. & 32.

*Paulus Alagona* Cler. Reg. Theat. edidit *Allegationes in jure utriusque Principis & Regularium*. Veronæ 1644. in 4. Silos in fin. to. 3. & Topp. *Petrus Buzurgius* medicus celebris, dum Ladislaus Rex Niceti vulgo *S. Lucido* versabatur, a quo Messanæ, Siciliæque Consul renuntiatus est ann. 1404. Ms. Gualt. *Prosper* Philosophus, Theologus, historicusque non contemnendus, multa scripsit, quæ Neapoli in bibliotheca S. Joannis *ad Carbonariam* nuncupati asservantur. MS. Gualt.

*Silvester Bendicius*, Dominicanæ familiæ Theologus in Naxivanæ Provinciæ Collegio Regens emeritus & Missionarius Apostolicus, a barbaris Tunetanis captivus ducitur, post biennium carceribus mancipatur; inde eductus & per duos menses de religione ejuranda frustra tentatus, in fide catholica constantissime perseverans, vivus in foveam collotenus sepelitur, lapidibusque obruitur: tandem abscisso capite gloriosam martyrii palmam promeruit circa ann. 1655. Ita testantur Matthæus Avascinensis Archiepiscopus Majoris Armeniæ, & Fr. Bartholomæus Nazarius Armenus in folio impresso Patavii 1668. apud Sardum, quibus adstipulatur Gregorius Barbadicus S. R. E. Cardinalis Episcopus Patavinus. Dd *Sil-*

*Silvester Politus*, in sæculo *Marcus Antonius*, Medicus celebris, Dominicanæ familiæ doctrina & pietate clarus edidit *Chronicon Rheginum*, Messanæ 1617. Topp. & *Tragœdiam S. Sthephani Episcopi Rhegini*. Diem obiit IV. Idus Junii 1681. MS. Mart. *Simon Fornarus* Carthusianus doctissimus scripsit *Commentarios super Ariostum*, aliaque Ms. Mart. *Simon Portius* Philosophus celebris. Ms. Bombini & Mart. *Stephanus Pepe* Cler. Reg. Theat. Theologus & orator insignis, scripsit *de Purgatorio* tomos duos, edidit *Conciones*, *Vitam S. Cajetani*, aliaque. Topp. & Silos to. 3. *Vincentius Bonachepus* gigantææ staturæ circa finem præteriti seculi, quem vel e disjunctissimis regionibus homines invisebant Polit. lib. 2. *Ursicinus* sub duce Bellisario miles clarissimus anno Christi 538. Procop. lib. 1.

Nostris vero temporibus *Joannes Baptista Panagia* Caroli VI. Imperatoris Antiquarius. *Joseph Logotheta* Protopapa Ecclesiæ S. Mariæ vulgo *la Cattolica*, a Rogerio Comite ut fertur extructæ, de qua vide Amat. & Zaverron. *Antonius Spizzicagiglius* opusculum edidit asceticum, Neapoli 1719. in 12. Aliique quamplures apud nostrates & exteros.

6. *Lycus*. Pater adoptivus *Lycophronis* historici & poetæ inter illustres Rheginos viros merito computandi. Fuit siquidem *Lycophron* patria Chalcidensis, natura filius Sophoclis grammatici. Chalcidenses autem Rheginis affines sunt, quorum Colonia Rhegium plurimum locupletatum est. Strab. lib. VI. Fuit etiam *Lycophron* inter septem poetas, qui *Plejades* dicebantur a numero Stellarum a Philadelpho Ptolemæo cooptatus. Ejus Tragœdias numerat Suidas. Scripsit Alexandram poema valde obscurum, in quo agit de vaticiniis Cassandræ, exorsusque ab Hercule & rebus Trojanis, usque ad Alexandrum Macedonem perducit. Hoc Isacius Tzezza & Meursius commentariis illustrarunt. De morte Lycophronis hæc Ovidius in Ibin fert:

*Utque coturnatum periisse Lycophrona narrant,*
*Hæreat in fibris fixa sagitta tuis.*

7. *Hippyas*. Hic Arcades omnium primus προσελήνους, idest *ante lunam* appellavit. Vide Steph. v. Ἀρκάς.

8. *Choliambumque*. Versus *Jambicus*, quinto loco *Jambum* habens sexto *Spondæum*, ita dictus quasi *claudus Jambus* a χωλὸς *claudus*, quia exturbato sexta sede *Jambo* quasi claudicare videatur. Dicitur etiam *Scazon* a σκάζω *claudico*. Vide Diomed. lib. 3.

9. *Trigonum*. Hoc instrumenti genus simile videtur fuisse ei quod nos *Harpam* dicimus. Sunt qui volunt fuisse id quod a nobis dicitur *Colascione*.

10. *Lucius*. Hunc Valerius Maximus lib. IV. Cap. VII. ab amicitia Cepionis, quem e carcere liberavit, commendat.

Extat & pagus *S. Dominica*.

CA-

# CAPUT V.

## *De Agatha, Leucopetra, Laurento, Amygdalia olim Peripoli, ubi de Praxitele ejusque operibus.*

POst Rhegium *Calopinacum* flumen *Taurocinum* olim dictum excurrit. A partu Virgineo anno M D L X I I. non procul a fluvio hoc " labes facta est & " dissiluit resedit que tellus jugeris spatio, & mare ingressum est. Supra Rhegium m p. quatuor (1) *Agatha* Græcum oppidum est, quod *bonum* significat, edito loco natura satis munitum, quod undique rupibus clauditur, & ejusdem nominis fluvio torentinis & anguillis fœcundo abluitur, ab Ausoniis conditum. Cum enim, ut semel atque iterum, ac tertio dixi, Auxonii idest Aschenazæi utranque Calabriæ oram primum incoluerint, oppidaque plurima, licet ut dixi raro condiderint, certe haud dubium in hac Rhegina ora oppida condidere, coloniasque deduxere. Inde Oenotrii & Itali Oenotrii genere, deinceps Morgetes, postea Phocenses, & in ora Crotoniata Philoctetes urbes in Calabria condiderunt. Hic serica & olea optima fiunt, nascuntur cappares. Sunt in hoc agro pagi *Cardetum* & *Misoripha*. Incolæ in communi sermone Latina & Græca lingua utuntur, rem vero Divinam Græca lingua Græcove ritu faciunt. Post *Calopinacum* amnem, *Agatha* fluvius excurrit. Inde est (2) *Leucopetra* portus, distat a Rhegio mill. pass. sex. Et supra est ejusdem nominis, (3) Græcum oppidulum, olim P. Valerii Villa, ut dudum ostendi, abest a Rhegio m. p. octo. Incolæ in communi sermone Latina & Græca lingua utuntur, sacra vero Græca lingua Græcove more faciunt. Inde est *Leucopetra* promontorium, distat a Rhegio m. p. duodecim. De quo Strabo ait: „ E Rhegio ad orientem naviganti Leu„ copetra promontorium occurrit, quod a colore Leucopetram id est „ saxum album appellant, per stadia quinquaginta, ubi montis Apen„ nini finem adesse ajunt „. De hoc promontorio plurimi veteres scriptores meminere, ut Strabo ipse, & Plinius, & Mela, & Dionysius Apher, & Cic. ad Att. libro XVI. & Phil. prima. Quare miror Paulum Manutium *Leucopetram* Tarentinorum semel atque iterum impressisse. In hoc mari coralium capitur. In agro hoc nascuntur cappares. Inde est (4) *Pentedactylum* castellum, quod quinque digitos significat, milliario a freto distans, in cujus agro sesama fit, & amygdalarum & capparum ubertas: fiunt & mella optima, nascitur cos aquaria nobilis. Fit in hoc mari optimarum trichiarum captura ingens, quas sale in cadis condunt. Ex hoc castello fuit *Petrus* Sancti Basilii monachus Cryptæ Ferratæ, quod monasterium ab urbe m. p. duodecim distat, Abbas, utraque lingua satis eruditus, acrisque ingenii, & integræ vitæ vir. Interfuit Florentinæ synodo, Eugenio Romano Pontifice hujus nominis quarto. In qua adversus Græcos pro Romana Ecclesia doctissime disputavit. Opus sane egregium absolvit multa ad utranque linguam attinentia continens. Quædam ejus opuscula re-

periuntur, ut Epistolæ, Logistices libri, Arithmetica, De numeris, Geometria, super inventione festi Paschæ, Theologica speculatio. Fuit præceptor Pauli Perusini jureperiti. " Fuerunt ex Calabria & alii plurimi Græcarum literarum doctissimi homines, & in his fuere Leon seu Leontius, & Barlaam Monachus Divi Basilii institutorum sectator; sed ex quo oppido fuerint incompertum habeo. De quibus Franciscus Petrarcha in epist. xi. rerum senilium in epistola ad Hugonem Sanctosoverinatem Calabrum hominem, de quo mox, sic ait:
„ Aliquot Græcæ linguæ doctissimos homines nostra ætate Calabria
„ habuit, in his duos Barlaam Monachum, & Leontem seu Leontium,
„ uterque mihi familiaris, primus etiam & magister fuerat „. Et in libro, cui titulum fecerat, De ignorantia sua & aliorum, licet ipse de ignorantia sui, non Latine dicat. „ Calaber, inquit, Barlaam
„ præcipue modernum gratiæ specimen sophi fuit „. Horum Boccatius etiam in libris de Genealogia Deorum commeminit. „ Fuit, inquit,
„ Barlaam Calaber Monachus Divi Basilii corpore pusillus, at sci-
„ entia, Græcisque literis prægrandis, ut nullus non modo sua ætate,
„ sed multis etiam sæculis ante in tota Græcia fuerit, qui illi po-
„ tuerit comparari, cui & ob ejus doctrinam & vitæ probitatem o-
„ mnes ei honores habebant, atque etiam Imperatores sui seculi alii-
„ que & Græci & Latini Principes ipsum in oculis ferebant. Scripsit Græco sermone nonnulla opera. Floruit & ipse & Leontius Roberti Siciliæ Regis temporibus ". Supra est *Montibellum* tenue castellum, imo loco situm cum amygdalarum copia. In littore sal marinus fit.

Dehinc est (5) *Laurentum* oppidum edito loco, quod ejusdem nominis fluvius adlabitur, abest a mari m. p. octo, a Pentedactylo decem. Hic lina optima fiunt, & caseus probatissimus, provenit terebinthus, nascitur lapis molaris, frumentarius & olearius, nascuntur cappares, cuminum silvestre, & fœniculum marinum, & Seriphium sive absynthium marinum, quod & santonicum vocant. Nascitur herba, quam alii votumum vocant, Græci Calabri lixin, & sinnacum appellant, nascitur & spartum, teres est & lini modo, sed crassius, bulliunt, & terunt, macerantque. In templo divo Angelo dicato beati *Gerasmi* hujus oppidi civis corpus quiescit. Ejus festum decimo octavo Cal. Julii agunt. Exin (6) *Halex* fluvius labitur torentinis & anguillis uber; „ Qui Locros ( ait Strabo ) a Rhegio
„ disterminat. Qui per vallem profundam cursum habet. Peculiare
„ quiddam de cicadis obvenit, quæ enim in Locrorum ripa versantur
„ sonantius strident, illis aliis vox nulla contigit, cujus rei causam
„ suspicantur esse: nam cum iis omnino umbrosa regio sit, unde ro-
„ scidas alarum pelliculas minime pandant, illis sole fervida est, quæ
„ aridas & uti corneas habeant, unde apte stridor emittitur „. Diodorus Siculus libro quinto de antiquorum gestis fabulosis hujusce rei aliam causam tradit: „ Cum, ( inquit ) Hercules ad fines Rhegino-
„ rum & Locrensium pervenisset, deque via fessus quiesceret, cica-
„ darum strepitu pertæsus Deos orasse fertur, ut eas inde amove-
„ rent, exaudita prece, non solum tunc, sed etiam postmodum ci-
„ cadæ nunquam sunt his locis repertæ „. Id quoque asseverat Granius

nius apud Solinum: Athenæus lib. xv. & Ælianus in libro de historia animalium negant, hujusce rei causam sciri posse. Canunt autem cicadæ, ait Ælianus, membraculæ verberatione, & non ore, ut cetera animalia. Quod si ita est, vera est causa, quam scribit Strabo. Juxta Halecem amnem (7) *Amygdalia* oppidum est, *Peripolis* quondam dictum, edito loco natura satis munitum, cum linis, & caseo, & melle optimis, a mare m. p quatuor distans, a Laurento totidem, Locrensium quondam, nam, ut dixi, olim Halex fluvius Locrensem agrum a Rhegino distermìnabat. Fuit hoc oppidum simul cum tota ora hac Romana civitate donatum, ut Plinius tradit, " qui Praxitelem ex Græcia Italiæ & hac utique ora fuisse scribit". De quo oppido Thucidides libro tertio sic ait: „ Athenienses, qui circa Siciliam agebant, cum in Locridem „ navigassent" ingressu quodam Locros, qui loco auxilium ferebant, „ superant, ac Peripolim capiunt „ : Quod oppidum situm est ad flumen Halecem ". In hoc agro lapis Phrygius nascitur, proveniunt & asparagi omnibus anni mensibus, suntque pagi *Rigudum*, *Arocha* & *Gallicum*.

Ex Peripoli oppido hoc fuit *Praxiteles* ille statuarius & pictor celeberrimus, qui arte sua naturam est imitatus: cujus simulacra vivis adeo simillima erant, ut vel bruta animalia deciperentur & homines ad concubitum allicerentur. De quo Plinius libro trigesimoquarto ita scribit: „ Praxiteles primus specula fecit magni Pompei ætate ciiii. „ Olymp „ " Et rursus: „ Praxiteles statuas argenteas cælavit " „. Et libro quadragesimoquarto: „ Praxiteles marmore felicior, ideo clarior. „ Fecit tamen ex ære pulcherrima opera, Proserpinæ raptum, item „ Catagusam, & Ebrietatem, & Liberum patrem, nobilemque una „ Satyrum, quæ Græci periboeton cognominant. Signa etiam, quæ „ ante Felicitatis ædem fuere, Veneremque, quæ cum ipsa æde in„ cendio cremata est Claudii principatu, marmoreæ illi suæ per terras „ inclitæ parem. Item Stephusam, Spelumenem, Oenophorum, Har„ modium, & Aristogytonem Tyrannicidas, quos a Xerse Persarum „ rege captos, victa Perside, Atheniensibus remisit Magnus Alexander. „ Fecit & puberem Apollinem sub repenti lacertæ cominus sagitta „ insidiantem, quem Saurotonon vocant. Spectantur & duo signa „ ejus diversos affectus exprimentia, flentis matronæ, & meretricis „ gaudentis. Hanc putant Phrynen fuisse, deprehenduntque in „ ea amorem artificis, & mercedem in vultu meretricis. „ Et libro xxxv. „ Possunius laudat Praxitelem, quia plasticen matrem sta„ tuariæ sculpturæque & cælaturæ esse dixit. „ Et libro xxxvi. „ „ Praxiteles marmoris opera " gloria " superavit etiam semet. Opera „ sunt Athenis in Ceramico, sed ante omnia, & non solum Praxitelis, „ verum etiam in toto orbe terrarum Venus, quam ut viderent mul„ ti navigaverunt Gnidum. Duas fecerat, simulque vendebat, alte„ ram velata specie, quam ob id quidam prætulerunt optione, „ quarum conditio erat Coy, cum alteram etiam eodem pretio de„ tulisset. Severum id ac pudicum arbitrantes rejectam Gnidi emerunt „ immensa differentia famæ. Voluit eam postea a Gnidis mercari „ rex Nicomedes, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens dis-

„ so-

„ soluturum repromittens. Omnia perpeti maluere: nec immerito;
„ illo enim signo Praxiteles nobilitaverat Gnidum: ædicula ejus tota
„ aperitur, ut conspici possit: undique effigies deæ, favente ipsa,
„ ut creditur, facto, nec minor ex quacumque parte admiratio est.
„ Ferunt amore captum quemdam, cum delatuisset nocte simulacro
„ cohæsisse, ejus cupiditatis esse indicem maculam. Sunt in Gnido
„ & alia signa marmorea illustrium artificum, nec majus aliud Vene-
„ ris Praxitelicæ specimen, quam quod inter hæc sola memoratur.
„ Ejusdem est Cupido objectus a Cicerone Verri ille, propter quem
„ Thespiæ visebantur, nunc in Octaviæ scholis positus. Ejusdem est
„ alter nudus in Pario colonia Propontidis par veneri Gnidiæ nobi-
„ litate, & injuria. Adamavit enim eum Alchidas Rhodius, atque
„ in eo quoque simile amoris vestigium reliquit. Romæ Praxitelis ope-
„ ra sunt Flora, Triptolemus, Cæres, in hortis Servitianis, Boni
„ Eventus, & Bonæ Fortunæ simulacra in Capitolio, item Mena-
„ des, & quas Thiadas vocant & Caryatidas, & Silleni in Asinii
„ Pollionis monumentis, & Apollo, & Neptunus. Praxitelis fi-
„ lius Cephisodorus rei & artis hæres fuit. Cujus laudatum est Per-
„ gami Symprega signum nobile, digitis corpori verius, quam mar-
„ mori impressis. Romæ ejus opera sunt Latona in palatii delubro,
„ Venus in Asinii Pollionis monumentis, & intra Octaviæ porticus
„ Junonis æde Æsculapius, ac Diana „. Et rursus infra: „ Admi-
„ ratur & Praxiteles qui etiam quinque volumina scripsit nobilium
„ operum in toto orbe. Natus hic in Græcia Italiæ ora, & civita-
„ te Romana donatus cum iis oppidis. Jovem fecit eburneum in Me-
„ telli æde, qua campus petitur. Accidit vero ei, ut cum in navi-
„ bus, ubi feræ Africanæ erant, per caveam intuens leonem cæla-
„ ret, ut ex alia cavea panthera erumperet non levi periculo dili-
„ gentissimi artificis. Fecisse opera complura dicitur, sed quæ fece-
„ rit nominatim non refertur „. Et libro trigesimoquinto: „ Ceris
„ pingere ac pictura inurere quidam Aristidis inventum putant, post-
„ ea consummatum a Praxitele. De quo Varro„ "Rerum humanarum
lib. 1. ait:" „ Praxiteles propter artificium egregium nemini est paulo
„ humaniori ignotus „. Et Cicero de divinatione libro primo: „ Pra-
„ xiteles cælavit argento Roscium puerum circumplicatum serpentis
„ amplexu, quod ejus futuræ probitatis inditium fuit „. Et in Ver-
rem actione sexta. „ Apud Hejum erat signum Cupidinis marmo-
„ reum Praxitelis. Idem opinor artifex ejusmodi Cupidinem fecit il-
„ lum, qui est Thespis, propter quem Thespiæ visuntur, nam alia
„ visendi causa nulla erat „. De hoc etiam meminit Strabo libro no-
no, qui & libro tertiodecimo ædem templi Dianæ Ephesinæ, totam
Praxitelis operibus plenam fuisse tradit. Et Val. Max lib. octavo:
„ Praxiteles Veneris statuam in marmore quasi spirantem in templo
„ Gnidorum collocavit, propter pulcritudinem operis a libidinoso
„ cujusdam amplexu parum tutam. Equus etiam visa equæ statua
„ hinnitum edere coactus est. Et canum latratus aspectu picti canis
„ latratus, taurusque ad amorem, & concubitum vaccæ Syracusis
„ nimiæ similitudinis irritamenta compulsus „. Hunc quoque decan-
tavit Propertius sic:

*Pra-*

*Praxitelem parius vindicat arte lapis.*

Fecit & Niobis ſtatuam pulcherrimam a Græcis poetis celebratam. Extat hoc epigramma ad verbum Latinum factum :

*Ex vita me dii fecerunt lapidem, ex lapide vero*
*Vitam Praxiteles iterum fecit.*

Item Auſonius.

*Vivebam, ſum facta ſilex, quæ deinde polita,*
*Praxitelis manibus vivo iterum Niobe.*
*Reddidit artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu.*
*Hanc ego, cum læſi numina, non habui.*

Et Pauſanias in Atticis : „ Bellonæ ſignum Praxitelis filiorum opus. „ Fecit & ſtatuam equeſtrem militari ornatu non longe a porta Athe- „ nienſium. Fecit & equum ipſum & hominem inſidentem. In Cere- „ ris templo ipſius deæ, & filiæ, & Inachi facem præferentis ſigna „ fecit. Fecit & deam Suadelam, & deam, quam Paregoron, hoc „ eſt, conſolatricem vocant, & Satyrum in ſacello Dionyſii e pario „ lapide, quem patrium vocant, & alterum Dionyſium, quem Da- „ ſyllum appellant è lapide pario. In temploquodam fecit duodecim „ deorum ſigna. In arce Athenienſium fecit Dianam. In templo „ Veneris fecit ipſam eburneam cognomento praxim a nomine ſuo. „ Fecit & Fortunam in templo ejus, & Latonam, & Dianam, & „ Apollinem in templo ejus longe præclarum, & Dianam Brau- „ toniam. Phryne interim eum percontante quodnam ejus eſſet „ pulcherrimum opus, Praxiteles dicere noluit. Accurrens autem „ Phrynes famulus dixit, multa Praxitelis opera conſumta eſſe „ igne accenſo in domicilio, non tamen omnia abſumta fuiſſe. „ Praxiteles reſpondit, Nil refert, dum ignis Satyrum, & Cu- „ pidinem non abſumſerit. Tum Phryne dixit Praxiteli, Nil du- „ bites, nam nihil amiſſum eſt, nec ignis in domicilio accenſus eſt. „ Hoc commento mulieris confeſſus eſt Praxiteles quod pulcherri- „ mum opus fecerit. Tum Phryne petiit ab eo (8) Cupidinem. Fe- „ cit ( ait idem in Arcadicis) ſigna Latonæ, & ejus filiorum. Fecit „ & Junonem in templo ejus ſedentem in ſella, & Heben filiam ejus, „ & Minervam Junoni aſſiſtentes. Fecit & Platææ ( ait idem in „ Bœoticis) Rheam, quæ ſaxum faſciis involutum pro puero, quem „ pepererat Saturno habet, & Taleam, ideſt adultam Junonem e la- „ pide penteleſio, & Cupidinem ex eodem lapide, & commentum „ Phrynes in ipſum. Quem Cupidinem Gajus Imperator abſtulit, „ Claudius vero eum remiſit Theſpas, quem rurſus Nero abſtulit, „ quem poſtea ignis conſumſit. Fecit & Phrynem & Venerem. Fe- „ cit & in laquearibus Thebanorum majorem partem duodecim labo- „ rum Herculis & ſignum quoddam ingenti magnitudine, virumque „ e lapide penteleſio. Fecit & Æſculapium. Fecit (ait idem in Eliacor.) „ & Mercurium portantem Bacchum infantem in templo Junonis, „ & Dionyſium in templo ejus. Fecit ( ait idem in Phocicis) Dianam „ dextra facem, ſiniſtra canem, in humeris vero pharetram habentem „. Caliſtratus etiam de Cupidine Praxitelis duobus locis plura ſcribit.

Ce-

Cephisodorus autem Praxitelis filius, præter ea, quæ Plinius scribit, fecit, ait Pausanias in Atticis & Bœoticis, Bellonam & Cadmum. " Extat etiamnum Romæ in colle Quirinali egregium Praxitelis opus e lapide, hominis statua est tenentis equum ".

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Agatha*. Vulgo *S. Agata*. Oppidum vetustissimum, quod anno 1552. Draguttus Maumethanus pirata frustra occupare conatus, sive loci munitione sive civium vi fractus pulsusque est. Cives Alphonso Calabriæ Duci, & Ferdinando Regi sponte dederunt sese, teste Jovio lib. 3. In Diœcesi Rhegiensi.

Ex hoc loco fuit celebris ingeniorum fœnix JOANNES ALPHONSUS BORELLIUS Medicus & Philosophus ac in Matheseos institutis nulli secundus. Docuit Messanæ, Neapoli, ac Pisis nostrorum majorum ætate. Romæ a Christina Suecorum Regina doctorum virorum patrona ac fautrice menstruo censu auctus, multos instituit; verum a scelestissimo famulo expilatus, una die totam rem familiarem amisit. Tum senio confectus Clericorum Regularium scholarum piarum S. Pantaleonis de Urbe hospitio recipitur, ubi septem annos absolvit, donec diem clausit extremum anno 1688. ibique sepultus est. Hoc de Borellio peculiare mihi narravit quidam laicus senex, qui eidem inserviebat: Cum Borellius gravissima laboraret infirmitate, ut omnes crederent brevi moriturum, ille laico dicebat, *Non moriar hac vice*, spretoque cubili ad assueta munia perrexit, convaluitque. Cumque post aliquot annos leviter ægrotaret, optimamque spem futuræ sospitatis ostenderet, Joanni laico dixit: *Nunc moriar, voca Medicos, ut curer, ne demens habear, tametsi certo sciam nequidquam profuturos*, atque ita evenit.

Hunc Siculi Siculum faciunt, quod Messanæ educatus sit, sed Calaber fuit; extat siquidem in Progymnasmat. epistola Thomæ Cornelii Viri Calabri de quo supra Marci Aurelii Severini de quo infra nomine Joanni Alphonso Borellio municipi suo conscripta, quem vocat *Timæum Locrensem*. Vidi ego *Borellii* iconem ære inscalptam cum epigraphe: *Jo: Alphonsus Borellius Neapolitanus*; ut scilicet tanti viri honos Regno tribueretur, quem Provincia sola non caperet. Dominicus Martyre scriptor synchronus Borellium Calabrum & Agathensem constanter fatetur in suo M. S.

Multa scripsit ediditque Borellius sapientissime acutissimeque, *Euclide restituto* Pisis 1658. in 4. *Teorica de' Pianeti Medicei* Florentiæ 1666. in 4. opus Amstelodami recusum; *De vi percussionis* Bononiæ 1667. in 4. *Istoria dell' incendio di Mongibello* Rhegii 1670. in 4. *De motu animalium* Romæ 1680. in 4. & Amstelodami.

2. *Leucopetra*. Statio, & promontorium, nunc vulgo, *Capo dell' armi*.

3. *Græcum oppidulum*. Nunc vulgo, *Motta di S. Giovanni*. Fuit ex hoc loco *Nicolaus Maria Madafarrus* in utraque lingua doctissimus, Romæ in Ecclesia S. Thomæ in Parione Parochus, a Gregorio XV. ad reformandas Græcas Regni Neapoli-

politani Ecclesias missus, tandem Nonis Maji 1622. Episcopus Bovensis renuntiatus est: diem clausit anno 1627. Ms. Gualt. & Ughell. tametsi hic patriam taceat. Vide Nic. Erytr. in pinacot. par. 3. *Sebastianus de Alexandris* Carmelita doctissimus, orator celebris, a Clemente X. creatus Episcopus Rudiensis: obiit mense Decembri 1671. edidit librum *De numero prædestinatorum*. Romæ 1670. aliaque Topp.

4. *Pentedactylum*. Anno 1462. ab Alphonso Calabriæ duce depopulatum. Fuit quoque hinc *S. Ursula* instituti Basiliani, ut ex Ms. Angeli Spagnoli, quod in Monasterio Franciscanæ reformatæ familiæ Rhegii asservatur, & Gualt. Vide Agrest. in præfatione ad vitam S. Nicodemi. *Urbanus* instituti Capuccinorum Sacerdos, & concionator insignis, sanctæ vitæ vir. Obiit Romæ mense Julio 1670. magna sanctitatis fama. Ms. Mart. In Diœcesi Rhegiensi.

5. *Laurentum*. Vulgo S. *Lorenzo*. In ead. Diœcesi

6. *Halex fluvius*. Aliis *Alex*, *Alexum*, *Cæcinus*, *Amygdalia*. Nunc vulgo *Amendolia*, a vicino oppido sumto nomine. Vide Cap. seq. num. 6.

7. *Amygdalia*. Civitas vetustissima, sita creditur ubi nunc locus, vulgo, *Pagliapoli*, Græce Παλαιόπολις, unaque fuisse ex Civitatibus quibus Caronda & Zaleucus leges dedere. Vide Aristot. lib. 2. politic. & Cic. lib. 2. de legib. In Diœcesi Bovensi.

8. *Cupidinem*. In hujus statuæ basi ad theatri scenam positæ hos versus insculpsit Praxiteles, teste Athenæo lib. 13.

*Praxiteles quem passus est Amorem elaboravit,*
*E suo corde sumto genuino primarioque exemplari:*
*Pro mercede illi dedit Amor Phrynem: is autem venenum dum amatorium mittit,*
*Non jacit temere sagittas, sed intentis oculis collimat:*

# CAPUT VI.

## *De Bova Civitate ejusque Pagis; Herculeo, & Zephyrio Promontoriis; Crepacorio, fortaße olim Samo, Bianco, & Condojano Oppidis.*

POst Peripolim, hoc est Amygdaliam (1) BOVA civitas offertur, sedes Episcopalis, in montis cacumine sita, distat a freto m. p. quinque, ab Amygdalia tribus. *Laurentius* Episcopus Bovensis interfuit Synodo Romanæ sub Symmacho Papa. (2) Ex hac urbe fuit (3) beatus *Helias* Abbas divi Basilii monachus, beati Nili contemporaneus, eique benevolentia conjunctus. Ejus corpus Calatri esse creditur. Cujus festum agunt tertio Idus Septembris. In hoc agro est *Africum* pagus, ex quo fuit beatus *Leo* divi Basilii monachus, cujus corpus Bovæ jacet in æde Episcopali. Ejus festum agunt tertio Nonas Maji. Fit hic caseus laudatissimus, item vina, olea, & mella præclara. Extant & sylvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ, congerunt & accipitres multigeni. Fiunt & coturnicum aucupia non vulgaria. A Leucopetra villa hucusque incolæ in familiari sermone La-

tina & Græca lingua utuntur, facra vero Græca lingua, Græcove ritu faciunt. Poft Bovam (4) *Palitium* tenue caftellum eft humili loco, quod ejufdem nominis fluvius præterfluit, abeft a Bova m. p. fex, a freto totidem. Hic quoque cafeus laudatiffimus fit, & vina, olea, & mella clara, extant & Sylvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ. Fit in hoc agro fefama, nafcuntur cappares affatim, & tubera. Eft & ager hic frumenti & aliarum frugum ferax. In hac orientali Calabriæ plaga provenit paffim & ubertim filiqua filveftris, azojalum vocant indigenæ, " ut mirer cur non hanc plantam inferant ut Gajuani faciunt," & terebinthus, quam alii *Acrofcinum*, ideft Silveftrem Schinum, alii tranfpofitis dictionibus *Scinocraftum* vocant, fchinus autem lentifcum fignificat. Item oleander rufus & albus, vitex, Lachanum vocant Græco vocabulo, quod herbofum & fruticofum fignificat. Item tamarix, lentifcus, & eringium. Item in hac ora vulgo, & præfertim Palitii agro, & Brancaleonis, Bianci, Geoliofæ, Arocellæ, Cutri, Crotonis, Coriolani, Caftrovillari, atque alibi herba nafcitur, quæ mafticem fundit. Quam Plinius libro duodecimo in Afia, & Græcia reperiri tradit: de qua, fic fcribit: „ Sed maftice „ quoque gemina eft, quoniam & in Afia, Græciaque reperitur herba „ e radice folia emittens, & carduum fimilem malo, feminis plenum: „ lacrimaque erumpit incifa parte fumma, vix ut dignofci poffit a „ maftice vera. Fit autem vera maftix e lentifco „. Poft Palitium (5) *Herculeum promontorium* occurrit, ab Hercule dictum, portum habens ob occafu. Diftat a Leucopetra promontorio m. p. circiter xxxviii. De quo fic fcribit Strabo: „ Herculeum promontorium extremum ad „ meridiem inclinatur, nam cum deflexerit, ftatim ventu navigan- „ dum eft Africo ufque in Japygiam: poftea in Septentrionem fem- per, & magis in occafum vergit in finum Ionium „. A Leucopetra hucufque optimarum (6) trichiarum ubertim captura fit, quas fale affervant in cadis. Nafcitur, & in ora hac vulgo votumum herba. Deinde eft (7) *Brancaleonum* pufillum caftellum in montis fupercilio locatum, abeft a mari milliario cum dimidio, ab Herculeo vero promontorio m. p. quatuor. Hic mel optimum fit, & goffipium, & fefama, fiunt aprorum, & aliarum quadrupedum venationes, & aucupia minutarum alitum, nafcuntur tubera, provenit terebinthus, nafcitur lapis molaris, frumentarius & olearius, item magnefia lapis, quo utuntur figuli.

Exinde eft (8) *Bulfanum* oppidum fuper faxum conditum, " fuper Zephyrium Promontorium Locrorum Zephyriorum, ut arbitror reliquias. Hic enim primum Locri urbem condiderunt, quam poftea transtulerunt ubi nunc eft, & Hieraceum dicitur, fed credendum eft ex eis aliquos hic manfiffe. Hinc quidam qui veteres auctores emendare putant ignari vulgi dictis innitentes pro *Zephyrio* promontorio *Brutium* ab hoc oppido *Brutiano* a vulgo dicto immutarunt: cum potius oppida a promontoriis, & fluminibus, quam hæc ab illis nomina fumant ". Diftat a Brancaleono m. p tribus, a freto quatuor. Huc Cretenfium, Maurorum, & Carthaginienfium claffis primo applicuit anno poft Chriftum natum M.lxxv. qui & oppidum id, & totam Calabriam, Apu-

Apuliam, & Lucaniam diripuerunt. " In Monasterio Divæ Mariæ e *Pesaca* cognomine agri Tabernensis scriptura quædam est in qua scriptum est *Bussanum*, sive *Brettianum* sedem Episcopalem fuisse, & ejus Dioecesis partim Bovensi, partim Locrensi addita ". Ager hic frugifer est, fiunt aucupia parvarum avium, proveniunt tubera. Est in hoc agro *Mota* vicus. Inde est (9) *Crepacorium* castellum edito loco cum melle spectato, abest a mari m. p. quinque, fortasse *Samos* olim dicta, per hæc enim loca Samii Samum urbem condiderunt. In hoc agro *Agatha* vicus est, ubi cos aquaria eximitur. Postea (10) *Zephyrium* promontorium extat " Hic Locrensis sinus incipit *Cocinthum* promontorium usque: ejus ambitus m. p. L. est: " distat a promontorio Herculeo m. p. xii. De quo Strabo sic scribit: „ Zephyrium pro„ montorium agri Locri a quo Locrenses Zephyrii dicti sunt, por„ tum habens ab occasu venientibus commodum, unde & nomen „ accepit, habet & portum alterum ab ortu „. Hic Locrus urbs primo condita fuit. *Hic*, ait Plinius, *includitur Europæ sinus primus, ab eoque maria nuncupantur*. Et rursum: „ Primus Europæ si„ nus a Calpe Hispaniæ extimo monte Locros & Zephyrium usque „ protenditur immenso ambitu „. Pomponius Mela in hac ora tres sinus ponit, primum inter promontoria Salem & Lacinium, qui Tarentinus & Thurinus dicitur ab oppidis. In quo Tarentum, Metapontum, Thurium, & Crotonem locat. Secundum inter Lacinium & Cocinthum promontoria, licet mendose pro Cocintho Zephyrium legatur, qui Scylaticus sinus nuncupatur, in quo portum Castra Annibalis, Peteliam, Scylaceum, & Cæcinum locat, ejus ambitus lxx. m. p. est Tertium inter Cocinthum & Zephyrium, licet mendose pro Zephyrio Brettium legatur, qui Locrensis sinus appellatur: in quo Consulinum, Cauloniam, & Locrum ponit. Plinius autem inter Zephyrium & Cocinthum, Mistram, Locrum, Cauloniam, Sagram, & Locanum ponit. Qui libro trigesimo quarto ait: *Molybdena idest Galena laudatissima quæ in Zephyrio fit*. Mare hoc pluribus locis scopulosum est secus littus. Post Zephyrium (11) *Biancum* oppidum est edito loco situm, distat a freto milliario cum dimidio, a Zephyrio vero m. p. tribus. Hic vinum bonitate mirificum nascitur, album est & austerum, semper seipso melius, cujus & magnus numerus fit. Sunt in agro hoc silvæ glandiferæ alendis porcis commodæ: oriuntur cappares, nascitur cos aquaria probatissima: est & *Casignana* pagus. Inde est (12) *Potamia* oppidulum cum melle spectato abest a freto m. p. sex hic tubera nascuntur, & lapis Phrygius. Dein est (13) *Bovolina* oppidum cum vino bonitate præcipuo, distat a Bianco m. p. sex, a freto duobus. Aer hic saluberrimus est. In hoc agro legitur manna, nascitur gypsum, & rubrica fabrilis, & aetites lapis, proveniunt tubera, nascuntur cappares, fit gossipium & sesama. Extant & perpulcra pabula, ubi medicarum sponte nascentium copia est ingens. Hic regia equorum armenta pabulantur, saginanturque. Fiunt & pulcra perdicum, coturnicum, turdorum, rusticularum, gallinaginum, ardearum, & aliarum minorum alitum aucupia: congerunt &

 acci-

pitres multigeni. Extant & horti nemorosi limonum, citronum, & malorum aureorum. Supra est (14) *Charerum* exiguum castellum, "quasi gratiosum a charis gratia", ubi aetites & tubera nascuntur. Legitur manna. " Postea *Camurium* flumen labitur ". A Bovolina ad quartum lapidem (15) (*a*) *Condojanum* oppidum est edito loco situm, abest a mari milliario cum dimidio. Id *Vriam* esse arbitror, nam, ut ostendi, Varro dicit Idomeneum classe Locros appulisse, ibique oppida aliquot condidisse, in queis est *Vria*, & *Castrum Minervæ* nobilissimum, licet Strabo & Plinius *Vriam* alibi ponant, fortasse ibi ejusdem nominis oppidum fuit." Ab Uritibus Romani bello Punico quatuor naves acceperunt ". In hoc agro aetites nascuntur, proveniunt cappares, fit gossipium & sesama & amygdalarum copia. Fiunt vina & mella optima, & aucupia qualia in Bianci agro. A Leucopetra hucusque & inde vulgo in montibus apri, cervi, capreæ, meles, sciuri, lutræ, martes, lynces, viverræ, & istrices stabulantur, & lepores, extant testudines terrestres, & herinacei, passim nascuntur cappares ubertim, item vitex, oleander, terebinthus, tamarix, lentiscus, siliqua silvestris, & votumum herba. Extant & perpulcra pabula pascendis saginandisque armentis gregibusque opportuna, ubi præter alias herbas medica sponte affatim provenit.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Bova*. Civitas vetustissima, a *bobus* nomine sumpto, cujus origo incerta. Conjicere autem par est a primis Italiæ incolis conditam esse, Rhegioque supparem. In ejus agro pix conficitur ad picandas naves optima. Varia antiquitatum monumenta invisuntur, numismata, stannei meatus, & his similia. Extat & templum rotundum Sanctissimæ Dei genitrici dicatum, quod παναγία *Panagia*, idest *Sanctissima* nuncupatur. Sunt & fontes aquarum copiosi ac perennes. Vide Flor.

2. *Ex hac urbe*. Fuit præterea S. *Constantinus* instituti Basiliani ut constans traditio est. Vide David Rom. Paul. Reg. & Michael. Mon. in Sanctuar. Capuan.

3. *B. Elias*. Dictus *Spileotes* a spelunca, ubi aliquandiu delituit: postmodum, extructo in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli templo ac monasterio primus Abbas instituti Basiliani præficitur, vitæ sanctitate, profetiæ dono, ac miraculis celeberrimus. Hic Bovæ natus creditur, sed ex nobilissima *Bozzettarum* familia Rhegio oriundus. Ejus vitæ breviarium servatur Messanæ in bibliotheca SS. Salvatoris Græce exaratum.

Fuit ex eadem urbe *Joannes Emblamitus* ex Archidiacono Bovensi Barii in spiritualibus locum tenens, mox Episcopus Belicastrensis anno 1688. Ms. Mart. *Robertus* sub Guillelmo I. in re militari clarissimus. Francisc. Capecelat. & Maurolic lib. 3. *Petrus Mennitus* Ord. S. Basilii Abbas Generalis. Vivit modo *Dominicus de Marzano* ex Strongylensi Episcopus Bovensis anno 1735.

4. *Palitium*. A voce Græca πάλη ut puto, Latine *lucta*; hinc παλαιστής *luctator*. Fuit ex hoc loco Angelus instituti Capuccinorum vitæ san-

ſanctitate conſpicuus. Amat.

5. *Herculeum promontorium*. Nunc vulgo, *Capo di Spartivento*.

6. *Trichiarum*. Piſcis genus, vulgo *Sarda*. Cum autem a Leucopetra ad Herculeum promontorium maxima trichiarum ubertas ſit, in eoque tractu ſit flumen Halex, ut ex Strabone ac Dionyſio Ahro manifeſtum eſt, conjicere utique licet piſciculos illos quos *Aleces*, vel *Haleces* dicimus, vulgo *Alici* a Græco ἅλς *mare* aut *ſal*; vel ἅλιος; *marinus*; quique ſelectiſſimi ſunt in eo maris tractu qua flumen Halex excurrit, aut flumini nomen dediſſe, aut probabilius a flumine accepiſſe. Hinc etiam liquamen illud quod ex piſcium inteſtinis conficitur, quodque *halecem* appellamus, vulgo *Salamoja*, fortaſſe dictum putamus. Vide adnotat. lib. 1. cap. VII. n. 2.

7. *Brancaleonum* A pedibus anterioribus leonis, vulgo *branche* ſumpto nomine. In Diœceſi Bovenſi.

8. *Bulſanum*. Aliis *Brutium* & *Brutianum*, quod a Brutiis vel extructum vel auctum ſit: nunc vulgo *Bruzzano*. Creditur ſedes Epiſcopalis ante communem Calabriæ direptionem. Ms. Mart. Hic natus eſt *Paulus Carafa* ex Ducibus Bulſani, in Hungarico bello adverſus Turcas clariſſimus. Flor. & Ms. Mart. In Diœceſi Hieracenſi.

9. *Crepacorium*. Vulgo *Crepacori*. Nunc *Precacori*. In Diœceſi Hieracenſi.

10. *Zephyrium.* A zephyro vento, qui ab occaſu flat, vulgo *Ponente*, quaſi ζωηφόρος, ſive τὸ ζῆν φέρον, ideſt *ferens vitam*; quia nempe τῷ θέρει πνέοντος αὐτῷ οἱ καρποὶ αὔξονται, ideſt *calore ipſius flantis fructus augentur*: immo & genitalis mundi ſpiritus a Plinio appellatur. Sunt quidem varia Zephyria promontoria in aliis mundi partibus ui pote quæ ad occiduum vergunt. Vide *Baudrand*. Nunc *Capo di Bulſano* ſive *Bruzzano* aliis *Capo di Bianco*.

11. *Biancum*. Ex hoc loco fuere *Joannes* Dominicanæ familiæ, ſanctæ vitæ vir, quem cum Angelis divinas laudes recitaſſe compertum eſt. Act. Capitul. ann. 1644. & Ms. Mart. *Marcellus Francus* Epiſcopus Bovenſis V. Idus Octobris 1577. Ughell. qui tamen corrigendus eſt; variat enim nomen, & patriam. Act. Conſiſtor. apud Ciampin. & Ms. Gualt. In Diœceſi Hieracenſi.

12. *Potamia*. Antiquitus in cacumine montis inacceſſibilis oppidulum extabat, quod poſtmodum a Loffrido Bovalinæ Marchione ad radices tranſlatum; & anno 1592. a Vincentio Bonardo parœcia ducta, ut ex Synod. Diœceſan. Nunc vulgo *S. Luca di Potamia*. Etymon vide in adnotat. lib. 2. Cap. XV. n. 5. In Diœceſi Hieracenſi.

13. *Bovalina*. Diminutivum a Bova forſan hujus Colonia. Ex hoc loco fuit *B. Franciſcus* ex reformata Franciſcana familia laicus, vitæ ſanctitate, miraculis, præſertim in panis ac vini multiplicatione, ac prophetiæ dono illuſtris. Obiit octogenarius Idibus Julii ann. 1596. Chron. & Ms. Gualt. *Camillus Conſtantius* Soc. Jeſu in Japonia inſula pro fide Chriſti publice combuſtus; tametſi alii Conſentinum faciant. Ms. Gualt. Dan. Barth. aliique. Multa ſcripſit. Vide Alegamb. & Topp. *Franciſcus Matemera* ex Franciſcana reformata familia laicus ſanctæ vitæ vir ad noſtram

ftrari memoriam usque In Diœcesi Hieracensi.

14. *Carerum*. Patria *Didaci* reformatæ Franciscanæ familiæ doctrina & moribus clari. Amat. Habet & vicum *Natilum* dictum. In eadem Diœcesi.

15. *Condojanum*. Ad mare rudera antiquissima etiamnum invisuntur. Quapropter autumo hic fuisse *Vriam* ab Idomeneo construđam, teste Varrone; post cujus ruinas superius oppidum quod *Condojanum* dicitur ædificatum esse, satis par est conjicere In ead. Diœcesi.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(a) *Condojanum Oppidum, Vrias olim.* Condojanum putatur a nonnullis *Vrias* sed male, cum in agro Trischinensi excurrat *Vrias* fluvius.

# CAPUT VII.

## *De Hieracio olim Locro, ubi de Dionysio Syracusarum Tyranno ejusque sceleribus.*

POst Condojanum, (1) HIERACIUM civitas est sedes Episcopalis" a hierace ave, quasi sacra, Latine falso dicitur, dicta," LOCRUS olim dicta, edito eoque saluberrimo, ac natura munitissimo loco sita inter duos amnes *Mericum* & *Novitum*" idest *Sagram*, " distat a freto m. p. iiii. a Rhegio, ait Strabo, septuaginta quinque. Est quidem vetustissima ac nobilissima ab Ajace Oileo & Locris Naritiis super *Zephyrium* promontorium primum condita, unde & *Locri Epizephyrii* dicti sunt, inde huc, ubi nunc est, translata fuit urbs, quia is locus illo tutior & salubrior sit. Est enim, ut dixi, locus eminens, quod ipsum Dionysius etiam Apher & Strabo scribunt:" ille enim de loco urbis loquens ad summa loci ait; hic vero urbem in montis supercilio conditam scribit". Fuit enim mos priscis, ait Dionysius Halicarn. condendi urbes parvas & crebras in montibus. Strabo quoque libro quinto de Populonia loquens inquit. „ Conditores urbium maritimas fugitabant oras, vel „ ante illas tuta jaciebant propugnacula, ne illi incursantibus prædonum „ navigiis in promtu jacerent, exuviæque illorum fierent.„ In condendis autem urbibus locus opportunus ortum aut meridiem spectans deligendus est, & si regionis situs patitur, editus, in saxo, ne cuniculis sit obnoxius, natura munitus, aut certe semimunitus, rupibus vallatus undique, aut maxima parte, qui manu adjutus facile muniri possit, quo incolæ tutari se, & hostes lædere possint. Item cæli temperies requirenda est, & aquarum ubertas bonitasque. Hæ loci dotes Hieracio, Locro olim, conspiciuntur, in qua & duæ arces erant paulum inter se distantes, ut Livius lib. nono scribit. Quare longe hallucinantur qui urbem Locrum secus littus in loco, quem *Peripolim* vocant, olim fuisse opinantur.

tur. Nam quod in Livio bel Pun. libro quarto de Locri obsidione scriptum est, Amilcar loco superiore castra ponit, unde agros urbemque possit conspicere. Et libro septimo: „ Crispinus Locrum oppugnare „ conatus obsedit, naves ex Sicilia accersivit, quæ vergentem ad mare „ partem urbis oppugnarent „. Non quidem, ibi, loco superiore comparative accipiendum est, ut locus ille superior urbe, hoc est eminentior fuerit, cum neque circum urbem locus sit ea editior, sed superiore pro edito intelligendum est: nam Latinitas identidem comparativo pro positivo utitur. Partem autem urbis ad mare vergentem naves oppugnabant, ne oppidani per ea loca vagarentur, neve commeatus in urbem inveheretur, præsidiumque adventaret. Urbes enim vicinæ mari marique terraque obsidentur, oppugnanturque. Secus vero littus suburbia erant, nam Locrus potens olim & opulens urbs fuit. *Peripolis* autem ubi sit, ostendimus. A Locro urbe cives Locri & Locrenses dicuntur.

A quibus autem condita sit Locrus varia est scriptorum opinio. Dionysius enim Apher in libro de situ orbis (2) a Locrorum regina hanc urbem conditam scribit: ait enim:

*Hinc est ad Boream Zephyri, quæ summa vocatur,*
*Sub qua sunt Locri celeres, qui tempore prisco,*
*Illuc reginam propriam venere secuti,*
*Ausoniamque tenent, qua currit flumen Halecis.*

Maro lib. tertio Æneidos eam a Locris Naritiis conditam scribit. Vbi ait:

*Hic & Naritii posuerunt mœnia Locri.*

Hi, ait Servius, socii fuere Ajacis Oilei, qui post tempestatem montis Capharei huc concessere, & urbem hanc condidere. Strabo autem libro sexto ita de ea scribit: *Locri Epizephyrii urbs insignis. Quoniam è Locris Chrysæum habitantibus sinum coloni huc profecti sunt. Evanthe ductore paulo post conditam Crotonem, atque Syracusas. Qua in re fallitur Ephorus, eos ab Locris Opuntiis descendisse inquiens triennio, aut quadriennio cum Zephyrium incolerent. Postmodum urbem transtulerunt, opem ferentibus Syracusanis una cum iis, apud quos est lacus Lucrinus, ubi Locri in expeditionem profecti fuerant. Nam e Rhegio usque Locros m. p. lxxv. intersunt. Situm est autem oppidum in quodam montis supercilio, quod Esopis vocatur. Eos autem primos legibus scriptis usos esse opinio est. Et plurimum temporis rempublicam optimis rexisse institutis. At Dionysius ejectus a Syracusanis flagitiosissime omnium abusus est. Quippe ornatis sponsalibus puellas cubicula & thalamos irrumpens vitiabat. Formosas vero & maturas viro virgines in unum congregabat. Dehinc dimissis integris alis columbas in convivio illas nudas in circuitu quæritare & captare videbat. Nonnullasque sandalia soluta calciantes partim superne partim infime sectari dicebat dedecoris causa. De quibus pœnas dedit postmodum cum recuperaturus imperium rursus in Siciliam regressus esset, Locri enim cæso Dionysii præsidio, primo quidem in libertatem sese vendicarunt, dehinc uxorem illius ac liberos in potestatem suam redegerunt. Erant autem filiæ quidem duæ, filius vero unus minor natu, sed jam ad adolescentiam perveniens.*

*Al-*

*Alter enim Apollocrates nomine una cum patre in expeditionem comes reversionis in regnum causa profectus fuerat. Cum autem Dionysius pariter ac pro eo Tarentini multis eos fatigarent precibus ut corpora redderent redemptione, quæcunque collibuisset, accepta, nullo pacto restituerunt. At obsidionis incommoda, agrorumque populationem potius toleraverunt. Et iracundiam furoremque omnem in filias evomerunt. Eas namque passim constupratas demum strangularunt, corpora deinde concremaverunt, ossaque cum molendo attrivissent in mare dissipaverunt.* Clearchus quoque hac de re sic scribit: *Dionysius junior Doridis Locrensis filius cum ad Locrensium civitatem venisset, serpillis ac rosis amplissimam totius civitatis domum constravit, Locrensiumque virgines vicissim arcessebat, cum quibus denudatis nudus ipse super stratis volutatus nihil omnino turpitudinis intentatum relinquebat. Quare non multo post qui injuriam acceperunt ejus uxorem liberosque comprehensos in via statuerunt, omneque contumeliæ genus in eos exercuerunt, qua demum exaturati acubus sub ungues præfixis interfecerunt. Et ut in defunctas quoque sævirent, earum ossa in mortariis contunderunt, carnesque reliquas partiti, eos, qui non degustassent, execrati sunt, reliquas in mare projecerunt. Ipse vero Dionysius postremo in Cybelis sacris tripudians tympanum gestans miserabiliter vitam finivit.* Item Trogus Pompejus Justino libro vigesimoprimo referente ait: *Dionysius junior a Syracusanis dejectus exulque a Locrensibus sociis acceptus, velut jure regnaret, arcem occupat, solitamque sibi sævitiam exercet, conjuges principum ad stuprum rapiebat, virgines ante nuptias abducebat, stupratasque sponsis reddebat, locupletissimos quosque aut civitate pellebat, aut occidi imperabat, bona eorum invadebat. Deinde cum rapinæ occasio deesset universam civitatem callido commento circumvenit. Nam omnes feminas impensius ornatas in templum Veneris convenientes immissis militibus spoliavit, quarundam viros ditiores interfecit, quasdam ad prodendas virorum pecunias torquet. Cumque his artibus per annos sex regnasset, conspiratione Locrorum civitate pulsus in Siciliam redit.* Quæ tyrannorum ferax & nutrix tales sæpe emittebat flagitiosissimos & lætiferos fructus, Dionysius autem major, inter cetera flagitia, Proserpinæ templum Locris spoliavit. De quo Cicero libro tertio de Nat. Deorum ait: *Dionysius cum fanum Proserpinæ Locris expilasset, navigabat Syracusas, isque cum secundum cursum teneret, Videte ne, inquit, amici, quam bona a diis immortalibus navigatio sacrilegis detur?* Hoc ipsum scribit Val. Max. libro primo. *Aristides Locrus ex Platonis familiaribus unus* (ait Plut. in Timoleone) *cum superior Dionysius unam natarum ejus in uxorem peteret, respondit suavius sibi fore illam mortuam, quam tyranno nuptam aspicere. Paulo post cum Dionysius eum morti damnaret & contumeliæ causa illum interrogasset si quemadmodum prius de collocatione filiæ sentiret, respondit, rerum gestarum mœstitia affici, dictorum autem nulla pœnitentia detineri.*

1. *Hieracium*. Hoc nomen nobilissimæ urbi post Christum natum obtigisse vulgo creditur; *Locrus* enim tempore gratiæ aliquando ante Saracenorum incursionem Civitas sive *Phanum* S. *Cyriacæ* appellata fuit, ut ex Porphyrogenito Themat. 10. & Lupo Protospata anno 986. qui tamen *S. Chiriachi* inquit & corrupto nomine *Hieracium* postmodum dicta. Attamen verosimilius puto a Græco ἱέραξ *accipiter*, sub cujus augurio urbs reædificata fuerit, nomen sumsisse. Accipiter siquidem Marti sacer habebatur; & *Locrus* Martem colebat, teste Pyndaro od. 10. de *Locro*, ubi sic ait: *Illiusque curam habet Calliopes, & ferreus Mars*. Extabat inscriptio antiquissima, ut ait *Flor*.

JOVI O. M. DIIS, DEABUSQVE
IMMORTALIBVS, ET ROMÆ
ÆTERNÆ
LOCRENSES.

Licet alii immutatam referant:

SOLI DEO SVBDITA ET
AMICA POPVLO ROMANO.

2. *A Locrorum Regina*. Hanc Locros condidisse, quos *Naritii* postmodum incoluerunt, par est conjicere. Vide Strab. & Dionys. Aphr.

# CAPUT VIII.

## *De Locrensi ditione, dominatu, legibus, bellisque confectis, & de Proserpinæ Templo.*

FUit Locrus, teste Platone, flos Italiæ nobilitate, divitiis, & gloria gestarum rerum. Quæ non modo quotam Calabriæ orientalis oræ partem ab Halecio amni usque ad Crotalum flumen, sed non modicam quoque occiduæ Calabriæ oræ partem possedit. Nam, ut ostendi, Metauria, Medama, Hipponium, & Temesa Locrensium fuere. Cum itaque Metauria, & Medama, & Hipponium sub Locrensium ditione essent, haud dubium & ora hæc maritima omnis a Paccolino idest Metauro amni Lametum flumen usque (id enim flumen Vibonienſem agrum a Terinæo disterminabat) nec non mediterranea regio sub illorum ditione erat. Erant & præter cetera oppida sub Locrensium ditione Itone & Melæa ipsorum finitimæ, ac Coloniæ, quæ aliquando ab ipsis descivere, ut mox ex Thucidide liquebit. Jamvero Itonem urbem & alibi, & in Italia quoque fuisse scribit Stephanus. Ceterum in qua parte hæ urbes finitimæ essent Locrensium, an in orientali plaga cis Cæcinum amnem, an in occidua ora cis Lametum flumen, an in agro Temesæo, qui etiam ut ostendi Locresium erat, & an maritimæ an mediterraneæ, incertum est. Redegerunt etiam Locrenses in potestatem suam Messanam urbem, ut Thucidides tradit, qui libro quarto sic scribit: *Decem Syracusanorum naves totidemque Locrensium Messanam in Sicilia ceperunt, ab ipsis oppidanis acciti. Defecit autem ab Atheniensibus ea civitas præcipue opera cum Syracusanorum, qui cernentes id oppidum invadendæ Siciliæ opportunum, metuebant ne se majoribus copiis aggrederentur, illinc profecti Athenienses; tum Locrensium, qui Rheginos sibi invisos volebant utrin-*

*que oppugnari. Itaque in eorum agrum cum omni exercitu invadunt, ſimul ne Mamertinis illi ferrent auxilia, ſimul inducti ab Rheginis, qui apud ipſos erant exulibus. Nam Rhegium permulto tempore ſeditionibus agitabatur, nec in præſenti poterant* Locrenſes *arcere: quo etiam magis illi ingruebant, poſteaquam agrum populati ſunt redire cum peditatu: nam naves ad Meſſanam in præſidio erant in eodemque aliæ quæ inſtruebantur venturæ atque illinc bellum geſturæ.* Et in libro quinto. *Pheax Athenienſium legatus cum rediit in Italiam cum nonnullis civitatibus de amicitia Athenienſium ſermonem habuit, atque cum Mamertinis apud* Locros *agentibus, quo relegati erant, cum poſt Sicilienſium pacificationem orta inter Mamertinos ſeditione ab adverſa factione accitis* Locrenſibus *ejecti eſſent, factaque aliquandiu Meſſana* Locrenſium. *Hos itaque Pheax illuc receptus nihil læſit, quia cum* Locrenſibus *tranſegerat Athenienſium nomine. Soli enim omnium ſociorum in reconciliatione Sicilienſium fœdus abnuerant cum Athenienſibus, ne tum quidem admiſſuri, niſi bello adverſus* Itones *& Melæos occupati fuiſſent finitimos ſuos atque colonos.* In bello Syracuſanorum cum Leontinis, Locrenſes Syracuſanis, Rhegini Leontinis ſtudebant, ut Thucidides libro tertio prodit. In bello vero Athenienſium cum Syracuſanis, Locrenſes Syracuſanis, Rhegini Athenienſibus favebant, quo tempore Locrenſes Rheginorum agrum depopulabantur, ut idem auctor libro quarto ſcribit. Polybius etiam libro decimo Locrum & Rhegium & Cauloniam, & Crotonem clariſſimas urbes fuiſſe ſcribit. Romani, ait idem libro primo, Locrenſium & Tarentinorum, & Neapolitanorum navibus uſi cum exercitu in Siciliam transfretarunt. Pulſo quoque Italia Annibale Romani, ut libro primo oſtendi, naves a Locrenſibus ſociis acceperunt. Hanc urbem decantavit Accius poeta qui in Erigona, Nonio referente, ait: *Locrorum loca viridia, & frugum ubera ſunt.* Hanc urbem Ovid. Meth. libro quintodecimo *Naritian* vocat, quod eam (1) *Naritii* condiderint. Cicero etiam libro tertio ait ad Atticum ſcribens: *Nariti Locridis.* Et Virgilius Georg. libro ſecundo picem, quæ in apennino hujus urbis agro fiebat laudans ait: *Et juvat Naritiæ picis ſpectare lucos.* Hujus & Crotonis aeris ſalubritatem Plinius libro ſecundo his verbis oſtendit: „ Locris & Crotone peſtilentia nunquam fuit, nec ullo terræmotu „ laboratum annotatum eſt. „ Et rurſus. „ In Italia Locris nullo „ non die apparet arquus „. Ineſt enim natura occultum quidpiam, quod ad loci felicitatem facit, unde ob gratam cæli temperiem hic clara ingenia uſquequaque claruerunt. Viſus erat Locrenſibus, ut matronæ ex lectis floribus necterent coronas. „ A Locris, (ait Plinius „ lib. 3. c. 10.) Italiæ frons incipit Magna Græcia appellata, „ in tres ſinus incedens Auxonii maris, quoniam Auxones te„ nuere primum „. Obtulerunt Locrenſes, ait Pauſanias in Eliacis, Sicyoni Apollinis ſtatuam ex buxo, capite vero aureo, quam Patrocleus Crotoniata Catylli filius fecit. Locrenſes, ait Cicero in oratione pro Archia poeta, ipſum Archiam civitate ceteriſque præmiis donarunt. Fuit Cicero ipſe Locrenſium ac totius Calabriæ patronus, libro enim ſecundo de legibus Locros clientes ſuos ap-

appellat. Locrenses, ait Polybius libro sexto, fœdus cum Siculis inientes aliorum capita sub tunicis super humeros imposuerunt, & terram injectam calceis sub pedibus habentes jurarunt se firmam ac solidam ipsis remp. conservaturos donec eam terram calcarent & capita in humeris ferrent. Jurijurando fidem habentes, Siculos omnes postridie Locrenses interfecerunt, quasi jam non amplius in eadem terra gradientes, nec capita in humeris ferrent. Causa autem, ut Locrenses eam potentiam ac felicitatem amitterent, fuit Dionysii tyranni affinitas. Duxit enim uxorem Doridem Locrensem, ait Diodorus Siculus libro quartodecimo, Xenoti filiam, qui cives suos illis temporibus gloriæ amplitudine superabat, ex ea Dionysium juniorem suscepit, ut idem in Philippo tradit. Meminit hujusce rei Cicero, Tusculan. libro quinto, qui flagitiosissimus fuit, & sævissimus tyrannus. Ait itaque Arist. Pol. libro secundo: *Causa fuit ut Locrorum civitas interiret proter Dionysii affinitatem, quod non contigisset in populari statu, neque in ea optimatum gubernatione, quæ optime mixta temperataque fuisset.* Locrenses enim, ait Plato libro primo de legibus (2) optimis legibus usi sunt. Et libro sexto. Ephorus describendis Locrorum legibus memoriam faciens, quas ex Cretensibus & Spartanis, Areopagitarum institutis Zaleucus conscripsit, inquit: „ Illud in primis novum induxisse Zaleucum, ut „ cum pristinæ leges definiendarum condemnationum in singulis de„ lictis modum judicibus ipsis concederent, ille per leges ipsas termi„ navit. Putavit enim judices ipsos haud eandem eadem de re habi„ turos esse sententiam, oportere autem easdem approbare, & de con„ tractibus iisdem simpliciori quodam modo instituere. Thurios „ postea, cum præter Locros acutius explicare voluissent, celebriores „ quidem, ceterum deteriores evasisse. Bonos quidem legumlatores „ esse non qui omnia accusatorum acta caverint, sed qui simpliciter „ latis consistant. Hoc & a Platone dictum est. Quibus leges adsunt „ plurimæ, ac pœnæ plurimæ iis, & vivendi ritus depravatos esse, sic„ ut quibus plures adsunt medici, iis & ægritudines permultas ades„ se probabile est.

Fuerunt Locrenses Romanis amici ac socii, quos, ut in Siciliam transmitterent, suis navibus, ut retuli, adjuverunt. Horum & Brettiorum agrum, ait Polybius libro primo, Hamilcar classis præfectus vastavit. Cumque (3) ab Hannone obsiderentur, urbem omnibus necessariis rebus, quo Pœnis resisterent, munierunt, ut in Livio bel. Pun. libro primo liquet. Quam autem ob causam se Annibali dederunt idem Livius bel. Pun. libro quarto prodit, ubi sic ait: „ Hanno adjutoribus & ducibus Brettiis Græcas urbes tentavit, eo faci„ lius in societate manentes Romana quod Brettios, quos & oderant „ & metuebant, Carthaginiensium partis factos cernebant. Rhegium „ primum tentatum est, diesque aliquot ibi nequicquam absumti. „ Interim Locrenses frumentum lignaque & cetera necessaria usibus „ ex agris in urbem rapere etiam, nequid relictum prædæ hostibus es„ set, & in dies major omnibus portis multitudo effundi. Postremo ii „ modo relicti in urbe erant; qui reficerent muros ac portas, telaque „ in propugnacula congerere cogebantur. Impermistam omnium æta-

 tum,

„ tum, ordinumque multitudinem & vagantem in agris magna ex
„ parte inermem Amilcar Pœnus equites emisit, qui violare quem-
„ piam vetiti, tantum excluderent ex urbe fuga dissipatos turmas ob-
„ jecere. Dux ipse loco superiore castra ponit, unde agros urbemque
„ possit conspicere, Brettiorum cohortem adire muros, atque voca-
„ re principes Locrensium ad colloquium jussit, & pollicentes amici-
„ tiam Annibalis, adhortati ad urbem tradendam, Brettiis in collo-
„ quio nullius rei primo fides est. Deinde ut Pœnus apparuit in col-
„ libus & refugientes pauci aliam omnem multitudinem in potestate
„ hostium esse asserebant, tum metu victi consulturos se populum re-
„ sponderunt. Advocataque extemplo concione cum & levissimus
„ quisque novas res novamque societatem malle, & quorum propin-
„ qui extra urbem interclusi ab hostibus erant, velut obsidibus datis
„ pignoratos haberent animos. Pauci magis taciti probarunt constan-
„ tem fidem, quam probatam tueri auderent, haud dubio in spem
„ consensu fit ad Pœnos deditio L. Attilio præfecto præsidii, quique
„ milites cum eo Romani erant, clam in portum deductis atque im-
„ positis in naves ut Rhegium deveherentur. Amilcarem Pœnosque
„ ea conditione, ut fœdus extemplo æquis legibus fieret, in urbem
„ acceperunt. Cujus rei prope non servata fides est deditis. Cum Pœ-
„ nus dolo dimissum Romanum incusaret, Locrensesque profugisse
„ ipsum causarentur. Locrensibus jussu Annibalis data pax, ut legi-
„ bus suis libere viverent, urbs pariter & portus in potestate Locren-
„ sium esset. Societas eo jure staret, ut Pœnus Locrensem, Locrensis
„ Pœnum pace & bello juvaret „. Ceterum non multo post ad Ro-
manos redierunt. Nam, ut idem bel. Pun. libro nono refert, Lo-
crenses alterius factionis, qui Romanis studebant, & qui in civitate
erant, & qui Rhegii ab adversa factione pulsi exulabant, Scipionem
ex Sicilia advocarunt, ut urbem reciperet; qua recepta Scipio voca-
tos ad concionem Locrenses graviter ob defectionem incusavit, de au-
ctoribus supplicium sumsit, bonaque eorum principibus alterius fa-
ctionis ob egregiam fidem erga Romanos concessit. Inde (4) Q. Ple-
minio legato, præsidioque quod arcem ceperat ad tuendam urbem re-
licto, cum quibus venerat copiis Messanam trajecit. Ita superbe & cru-
deliter habiti Locrenses a Carthaginiensibus post defectionem ab Roma-
nis fuerunt, ut modicas injurias non æquo modo animo pati, sed pro-
pe libenti videri possent. Verumenimvero quantum Pleminius Amil-
carem præsidii præfectum, præsidiarii milites Romani Pœnos scelere
atque avaritia superaverunt, ut non armis, sed vitiis viderentur certa-
re. Nihil omnium, quæ inopi invisas opes potentioris faciunt, præ-
termissum in oppidanos est ab duce, aut a militibus, in corpora i-
psorum, in liberos, in conjuges infandæ contumeliæ editæ. Nam ava-
ritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit. Nec alia modo tem-
pla violata, sed Proserpinæ etiam intacti omni ætate thesauri, præ-
ter quod a Pyrrho, qui cum magno piaculo sacrilegii sui manubias
retulit, spoliati dicebantur. Ergo sicut ante regiæ naves laceratæ nau-
fragiis nihil in terram integri, præter sacram pecuniam deæ, quam
exportabant, retulerunt. Tum quoque alio genere cladis eadem illa
pe-

pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem injecit, atque inter se ducem in ducem, militem in militem rabie hostili vertit. Nam cum clamatum esset ad arma Pleminii milites victi sunt a militibus tribunorum. Inde tribuni virgis cædi a Pleminio jussi sunt. Rursus Pleminius a militibus tribunorum pene exanguis, naso, auribusque mutilatis relictus, tribunos postea laceratos omnibus, quæ pati corpus ullum potest, suppliciis interfecit. Nec satiatus virorum pœna, insepultos projecit. Simili crudelitate & in Locrensium principes est usus, quos ad conquirendas injurias ad P. Scipionem profectos audivit, & quæ antea per libidinem atque avaritiam fœda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere: infamiæ atque invidiæ non modo sibi, sed etiam imperatori esse. De templo autem Proserpinæ, ita Locrensium legatorum unus de Pleminio conquerens Romæ in Senatu retulit: *Fanum est apud nos Proserpinæ, de cujus sanctitate credo aliquam famam ad vos pervenisse, Pyrrhi bello, qui cum ex Sicilia rediens Locros classe præterveheretur, inter alia quæ propter fidem nostram erga vos in civitatem nostram edidit, thesauros quoque Proserpinæ intactos ad eam diem spoliavit. Atque ita pecunia in naves imposita, ipse terra est profectus, Classis postera die fœdissima tempestate lacerata, omnesque naves, quæ sacram pecuniam habebant, in littora nostra ejectæ sunt: qua tanta clade edoctus tandem deos esse superbissimus agnovit rex. Pecuniamque omnem conquisitam in thesauros Proserpinæ referri jussit. Nec tamen illi unquam postea prospere quicquam evenit, pulsusque Italia ignobili atque inhonesta morte temere nocte ingressus Argos occubuit.* Et post pauca. *Majores nostri cum gravi quondam Crotoniensium bello premerentur, hanc pecuniam, quia extra urbem templum erat, transferre in urbem voluisset, nocte audita de delubro vox est: abstinerent manus, deam sua templa defensuram. Quia movendi inde thesauros inconcussa erat religio, muro circumdare templum noluerunt. Ad aliquantulum jam altitudinis excitata erant mœnia, cum subito collapsa ruina sunt. Quibus legatis ita a Senatu per Fabium responsum est: Senatui placere Pleminium legatum vinctum Romam deportari, & ex vinculis causam dicere, & si vera essent, quæ* Locrenses *dicebant, in carcere necari, bonaque ejus publicari.* Locrensibus *coram Senatum respondere, quas sibi injurias factas quererentur, eas neque Senatum, neque populum Romanum velle factas: viros bonos, socios, & amicos eos appellari: liberos, conjuges, quæque alia erepta essent restitui: pecuniam, quanta ex thesauris Proserpinæ sublata esset conquiri, duplamque pecuniam in thesauris reponi.* Pleminius autem vinculis conjectus prius mortuus est, quam de eo populi judicium perficeretur. Meminit hujus rei & Val. Max. libro primo.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Naritii.* Aliis *Naricii*, a voce Hebraica נהר Naar quod Latine *flumen* sonat, & a Græco, ut puto, ὠκὺς *ocys* Lat. *velox*; vel οἰκέω *iceo*, Latine *habito*. Vide in adnotationibus lib. 2 cap. 9. num. 15. quæ diximus de *Ocynaro* flu-

fluvio : sunt enim plane synonyma, utrumque a velocitate, vel incolatu.

2. *Optime legibus usi sunt*. Scribit Demosthenes legem fuissem apud Locros, ut si quis suasurus esset novam legem, sententiam suam universæ proponeret multitudini, collo in laqueum inserto: & si placuisset nova lex, auctor incolumis dimittebatur; sin vero displicuisset, statim strangulabatur: & ideo annis amplius ducentis nulla nova lex lata est, nisi sola hæc. Cum enim ibi receptum esset, ut si quis excussisset alteri oculum, ut ipsi vicissim oculus excuteretur, nec id supplicium ulla pecunia redimi posset: quidam comminatus fertur inimicus inimico unum oculum habenti, se illi eum unum oculum excussurum. Eas minas luscus ægre ferens, cum sibi in cæcitate vitam morte acerbiorem fore putaret, fertur ausus fuisse, collo in laqueum interto) proponere hanc legem: Si quis oculum lusco excusserit, illi contra utrumque eripiendum, ut pari calamitate utrique conflictentur. Quæ lex ab omnibus tum approbata, & rata facta est. Hæc recitat Demosthenes, ut doceat in bene constituta republica præcipue hoc cavendum esse, ne temere leges mutentur. Vide Joann: Possellium in apophegm. loc. 50. de legib.

3. *Ab Hannone*. Vide dissert. *De Origine Brettiorum*.

4. *Q. Pleminio*. Vide elegantissimam concionem a Locrensibus habitam ad Senatum Romanum adversus Pleminium, quam Livius lib. XXIX. ob oculos ponit. Ait quoque Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. *Tam mehercule Q. Pleminii legati Scipionis in thesauro Proserpinæ spoliando sceleratam avaritiam juxta animadversione vindicavit. Cum enim vinctum Romam protrahi jussisset ante causæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi consumtus est: pecuniam dea ejusdem Senatus imperio, & quidem summam duplicando, recuperavit. Quæ quod ad Pleminii facinus pertinuit bene a Patribus Conscriptis vindicata: quod ad violentas Pyrrhi sordes attinuerat, seipsam potenter, atque efficaciter defendit; coactis enim Locrensibus ex thesauro ejus magnam illi pecuniam dare, cum onustus nefaria præda navigaret, vi subitæ tempestatis tota cum classe vicinis deæ litoribus illisus est, in quibus pecunia incolumis reperta sanctissimi thesauri custodiæ restituta est*.

# CAPUT IX.

## *De Zaleuco Locrensi legislatore, ejusdem fragmenta ex Stobæo, præclaraque facinora afferuntur.*

FUerunt ex hac præclarissima urbe viri præexcellentes quamplures, sed quorum memoria habetur sunt hi: ZALEUCUS philosophus & legislator Pythagoræ discipulus, velut Laertius & Jamblicus tradunt. Qui civibus suis Locrensibus leges dedit, ut dudum ostendimus. De quo Aristoteles Pol. libro secundo inquit: „ Scripsernnt le- „ ges Zalaucus Locris iis, qui ad occidentem pertinent, & Charon- „ das Catinensis suis civibus, aliisque Calcidicis civitatibus, quæ sunt „ Italiæ & Siciliæ finitimæ. „ Et rursus: „ Zaleucus primus legum „ ferendarum peritus „. Item Cicero ad Atticum libro sexto ait: l, Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? „ Et de legibus ,ibro secundo: „ Zaleucus & Charondas non studii delectationis, sed „ reipublicæ causa leges civitatibus suis scripserunt, quos imitatus est „ Plato. Zaleucum commemorant ipsius cives nostri clientes Locri. „ Dedit etiam leges Thuriis, ait Athenæus libro undecimo, & quia erant utiles, suasit quibusdam Græcis illis uti. Ephorus autem & Chamæleon Heracleotes in opere de ebrietate, & Aristoteles de republica Locrorum, Clemente Alexandrino Stromate primo referente, Zaleucum Locrum leges a Minerva accepisse literarum monumentis mandarunt. Id etiam refert Plutarchus ad Herculanum scribens. Item Val. Max. libro tertio infit: „ Zaleucus sub nomine Minervæ apud Lo- „ crenses prudentissimus habitus est „. Zaleuci autem legum procemium, deorum pluralitate excepta, divinæ cuidam actioni haud quaquam quidem absimile est. Quod hoc fuisse Stobæus de lege testatur: „ Omnes, qui urbem ac regionem inhabitant persuasos esse oportet, exi- „ stimareque deos esse, quod manifestum sit ex cæli & totius mundi in- „ spectione, rerumque in ipsis dispositione pulcherrima & ordine. Haud „ enim fortuita aut humana hujusmodi opera putare convenit. Dein- „ de colendi honorandique dei sunt, ut bonorum omnium nobis aucto- „ res, quæ aliqua ratione fiunt. Singulos igitur habere & comparare „ animam quemque suam oportet, ut ab omnibus malis pura sit. Nam „ ab improbo homine non honoratur Deus, neque sumtibus colitur, ne- „ que tragœdiis capitur, instar hominis mali, sed virtute, atque in- „ stituto bonorum operum & justorum. Quocirca opus est unumquen- „ que pro virili bonum esse tum factis, tum voluntate, qui modo futu- „ rus sit Deo charus: & non metuere pecuniarum jacturam magis, „ quam vitæ & famæ dedecora: & civem meliorem existimare, qui „ opes amittere mavult, quam honestatem & justitiam. Ceterum illos, „ quorum voluntas non facile ad hæc persuaderi potest, animus ad justi- „ tiam pronus est, viros, & feminas, cives, aliosque cohabitatores admoni-

„ nitos velim meminisse deorum, ut qui & sint, & pœnas ab injustis su-
„ mant, atque ob oculos ponere tempus istud, quod unicuique finis est vi-
„ tæ futurum. Morituros enim omnes injuriarum, quas commiserunt,
„ memores pœnitentiam invadit, & vehemens cupiditas, qua vellent exa-
„ ctam sibi viam omnem fuisse justam. Quamobrem singulos oportet sem-
„ per in singulis actionibus illud tempus adeo suis cogitationibus familia-
„ re facere, ac si præsens esset. Ita enim maxime honesti justique cura vi-
„ gebit. Si quis vero a malo genio quopiam assistente sibi ad injusti-
„ tiam instigatur, is ad templa arasque & delubra versetur fugiens in-
„ justitiam, ceu dominam impiissimam molestissimamque, & deos oret
„ ut opem ad propellendam ipsam sibi ferant. Accedat quoque viros
„ probitatis nomine claros, & de vitæ fœlicitate, & malorum homi-
„ num vindicta disserentes audiens, ab injustis facinoribus animum
„ avertat. Mali genii a superstitiosis metuuntur. Ceterum qui ur-
„ bem habitant, deos omnes venerari debent ritibus patriis, qui o-
„ mnium optimi censendi sunt. Præterea cunctos oportet obedire le-
„ gibus, principes revereri, eisque assurgere, & quod præcipitur face-
„ re. Siquidem post deos, dæmones, & heroes, proximis honoribus
„ afficientur parentes, leges, ac principes apud homines, qui men-
„ tem habent, atque incolumes agere student. Civitatem vero cha-
„ riorem sibi facere nemo debet, quam patriam suam: de his eum dii
„ patrii ulciscuntur. Tale enim studium proditionis initium est.
„ Adhuc autem deterius est patria deserta vitam in aliena degere. Ni-
„ hil enim natura nobis, quam patria, conjunctius est. Sed neque
„ quisquam pro hoste inreconciliabili reputat aliquem de numero ci-
„ vium, quem leges voluerunt reipublicæ muneris participem esse.
„ Talis enim vir neque imperare, neque iudicare poterit recte, ut
„ qui irascibilem animæ partem ratione superiorem habeat. Nemo
„ etiam maledictis petat neque civitatem communiter, neque civem
„ ullum privatim, sed legum custodes eos, qui delinquunt, observent,
„ admonendo primum, deinde, nisi pareant, multando. Ceterum
„ ex conditis legibus siqua videbitur non bene lata esse, in meliorem
„ formam mutetur. Confirmatis vero & permanentibus omnes obe-
„ diunto. Nam positas leges ab hominibus vinci nec debet, neque con-
„ ducit: contra homines superari a lege præstantiori honestum simul
„ & utile est. Ista autem transgredientes puniendi, ut qui inobedien-
„ tiam maximorum malorum principium in civitate excitent. Porro
„ principes non sint contumaces, neque ad contumeliam judicium fe-
„ rant, neque judicando amicitiæ inimicitiæve meminerint, sed justi-
„ tiæ. Sic enim judicia quam justissima proferent, & officio suo di-
„ gni erunt. Siquidem servos certe convenit ob timorem aliquid ju-
„ ste facere, liberos vero propter reverentiam, & honestatem. Quo-
„ circa præfectos quoque tales esse oportet, ut subditis digni videan-
„ tur, apud quos erubescant. Quod siquis voluerit leges sancitas mo-
„ vere, aut novam statuere, is (1) collo ad laqueum immisso de lege ver-
„ ba faciat, & si per suffragia videatur legem veterem esse tollendam, aut
„ eam, quæ nova infertur, bonam esse, indemnis maneat: Contra si prior
„ lex melius haberi videatur, aut quæ nova proponitur, injusta sit, is,
„ qui movet, infertque legem, laqueo attractus moriatur. Di-

Dicere solebat Zaleucus, ut ait idem Stobæus, leges esse (2) similes telis aranearum: nam si musca aut culex impigerit detinetur, si vero vespa, aut apes, dirupta tela advolat: ita se res habet in legibus. Extat aliquot legum Zaleuci memoria apud auctores. Aristoteles Pol. libro secundo ait:,, Apud Locros lege cautum est, ne quis patrimonium ,, alienare possit, nisi evidentem calamitatem ostenderet supervenisse. Locrenses, ait Ælianus de varia historia, mortuos non lugebant, sed postquam cadaver efferrent & humarent convivabant. Nec caupona apud eos erat mutabilis, sed agricola vendebat sua. Si quis apud Locros, ait idem Ælianus & Athenæus libro decimo, merum hausisset medicinæ causa medico non imperante mortis multa afficiebatur, Zaleuco legem ferente. Laudanda, ait Plutarchus de curiositate, Locrensium lex, quæ si quis peregre reversus rogasset, Nunquid novi? eum multa afficiebat. Lege etiam excepit Zaleucus, ait Lucianus, ne liceret mulieri aureis ornamentis circumponi, neque contextis indumentis, arteque laboratis venustari, nisi cum scortari, atque amatorem sibi moliri studuerit. Legem quoque tulit, ait Suidas, liberam mulierem in forum prodeuntem candidis vestibus indutam cum domesticis incedere ancillam unam habentem; alias vero in floridis, idest, varii coloris. Tulit etiam legem, ait Ælianus itemque Val. Max. libro sexto, ut in adulterio deprehensis oculi eruerentur. Quam legem cum ejus filius temerasset, ut eam exemplis firmius probaret, filio oculos effodi jussit. Et cum universa civitas, eum precaretur ut necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit. Ad ultimum precibus populi evictus, sibi prius deinde filio oculo eruto, usum utrique videndi reliquit, æquitatis admirabili temperamento inter misericordem patrem & justum legislatorem partitus est. Lege etiam cavit, ut ait Hierocles apud Stobæum in sermone de patria, & Eusthatius in primum Iliad. Homeri, ne quis ensem in concilium ferret. Cumque ipse interim imminente bello eum detulisset, atque de hoc a quopiam, qui prope ipsum erat, admonitus quod ipse legislator eam temerasset, inquit, Modo eam sanciam: mox eidem ensi districto incumbens, sibimet mortem conscivit. Licet apud Val. Max. hanc legem Charondam tulisse mendose legatur. Locrenses, ait Athenæus lib. vi. neque per legem possidere licebat servos aut servas.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Collo in laqueum immisso.* Vide quæ diximus supra Cap. VIII. n. 2.

2. *Similes telis aranearum.* Hoc dictum etiam Anacharsidi Philosopho attribuitur. Vide Joann. Possevium in apophtegm.

# CAPUT X.

## *De Stenida, aliisque Philosophis ac Legislatoribus, & præcipue de Timæo ejusque institutis, ad quem audiendum peragravit Plato.*

FUit & ex hac urbe Locro Stenidas Pythagoricus legislator, qui scripsit de regno. Qui, præter cetera, ut scribit Stobæus, de regno dixit: (1) *Oportet regem sapientem esse, sic enim venerandus erit, atque æmulator summi Dei, qui natura primus est rex, & princeps. Ille vero creatione, iste imitatione. Deus quidem in omnibus & universo, ille terra solum. Deus omnia semper gubernat & vivit, in se possidens sapientiam; ille vero per aliquod tempus scientiam habet. Imitabitur autem Deum quam optime si magnanimum, sapientem & paucorum indigum sese præstiterit, paternum animum in subditos gerens. Hanc enim ob causam præcipue Deus existimatur primus esse parens deorum, atque hominum. Quoniam omnibus sibi subjectis benignum se præbet, nec unquam cessat gubernatione sua neglecta. Nec satis putavit se creatorem tantum rerum omnium esse, quin etiam nutritor, præceptorque bonorum omnium; ac legislator omnibus ex æquo est. Talis & ille debet esse, qui in terra & inter homines rex futurus est. Nihil vero citra regnum imperiumque laudandum est. Sine sapientia vero, & scientia neque rex neque princeps ullus esse potest. Itaque Dei imitator & minister legitimus erit vir sapiens & rex.* Fuit & ex hac urbe Locro *Onomacritus* legum ferendarum peritus, ait Aristoteles Pol. libro secundo, & in Creta circa legislationem exercitatus ad Thaletem profectus. Fuit & *Timares*, ait Jamblicus, optimus legislator. Fuit & *Gyptius*, ait Jamblicus. Fuit & *Philistion* medicus nobilis, cujus Athenæus libro tertio, & Plinius libro primo sæpius, & trigesimo, & Gellius libro decimoseptimo, & Galenus libro primo methodorum meminere. Hic, ait Athenæus, panes similagines magis ad robur conferre asserit, quam alicarios, secundo loco hos collocat, tertioque triticeos.

Fuerunt & (2) TIMÆUS, & *Euthicrates*, & *Acrion* philosophi Pythagorici celeberrimi, a (3) quibus Plato plura didicit, ut Cicero libro quinto de finibus tradit, ubi ait: *Plato ad Euthicratem, Timæum, & Acrionem Locros Pythagoricos peragravit, ut cum Socratem expressisset, adjungeret Pythagoreorum disciplinam, eaque, quæ Socrates repudiabat, addisceret*. Et Tusc. libro primo: *Plato a Timæo Pythagoreo omnia didicit.* Hic sagacis animi vir philosophus & mathematicus & medicus, & primus de animorum æternitate & de universi natura scripsit, ut Laertius tradit, ad quem videndum venit Locros Plato, qui ei librum de mundi natura inscripsit. De quo in eo libro inquit: *Timæus quidem hic ex Locris quæ urbs in Italia justissime gubernatur, nobilitate & opibus præstantissimus,*

*mus*, *summis magistratibus & honoribus functus est*, *& ad summa totius philosophiæ*, *ut opinor*, *ascendit*. Et rursum: *Timæus in astronomia nostrorum omnium peritissimus*, *maximeque in rerum natura cognoscenda versatus primus edisserat*: *ita ut a mundi generatione exordiens usque ad generis humani naturam deveniat*. Aristoteles, ut Laertius prodit, ex Timæi & Architæ disciplinis excerpens scripsit librum unum. Timæus ut Theodoretus libro secundo de principiis, & Eusebius libro tertiodecimo de præparatione euangelica, & Clemens Alexandrinus Stromate quinto testantur, negat Deum esse genitum. Ait enim: *Unum omnium est principium*, *quod non est genitum*. *Si enim id genitum sit*, *non utique erit principium*. *Sed principium potius illud erit*, *unde id sit exortum*, *quod vocabamus principium*. Scripsit, ut ait Suidas, librum de Mundo & anima, & mathematica, & de vita Pythagoræ. Solusque, ut ait Proclus in libro de anima & dæmone, omnem animæ essentiam declaravit. Dicit etiam essentiam animæ nostræ non ex primis omnino generibus constitutam quemadmodum superiores animas, sed ex secundis, tertiisve, atque ex individua dividuaque natura constitutam. Rursus Proclus ait: *Timæus omnem animæ ortum atque creationem ex formis complevit mathematicis*, *omniumque causas in ipsa collocavit*. *Hic erudiendi viam mathematicarum*, *disciplinarumque appellat cogitationem*, *quoniam sane eam habet rationem ad universorum scientiam*, *primamque philosophiam*, *quam eruditio ad virtutem*. Et rursus: *Timæus de omnium natura contemplationem mathematicis nominibus patefecit*, *elementorumque ortus numeris atque figuris exornat*, *& vires*, *& passiones*, *actionesque ipsorum ad ea refert*, *tum angulorum acumina*, *& obtusitates*, *tum laterum levitates*, *vel vires contrarias*, *& multitudinem*, *ac paucietatem pervariæ elementorum mutationis causam esse sentiens*. Et rursus: *Timæus nos docuit universorum unionem & divisionem*, *identitatem una cum diversitate*. *Et præter hæc*, *statum & motum ad animam complendam rerum opifex suscepit*, *ex hisque generibus ipsam constituit*. *Miraculorum effectrix triplex est*: *alia ponderibus*, *quorum motus inæquilibrium*, *status vero æquilibrium Timæus determinavit*. Et rursus: *Timæus ex rectis circularibusque lineis animam constituit*. *Ille qui animam produxit ad omnia providis progreditur actionibus*, *ad seseque reversus est*, *manens in suo quodammodo more*. Et rursus: *Sunt enim*, *ait Timæus*, *purissimæ atque perfectissimæ pulcritudines animarum figuræ*, *quæ cum vita quidem plenæ per seseque nobiles sint*, *iisque quæ ab alio moventur præexistunt*; *cum vero immaterialiter & sine ulla dimensione subsistant*, *iis*, *quæ dimensionem & materiam habent*, *præcellunt*, *de quibus & Timæus nos docuit*, *qui opificam essentialemque animarum explicavit figuram*. *Timæus cum universi elementa rectilineis constituisset figuris*, *motum ipsis circularem & informationem ab ea quæ mundo insidet anima præbuit*.

" *Timæus*, & *Philolaus*, & alii Calabri Pythagorici tres animæ partes fecerunt; iram in corde, concupiscentiam in iecore & splene, rationem in cerebro tamquam in arce ad regendas alias collocarunt. Hos sequutus est Plato". Item Timæus, ut Aristoteles in libro de anima

ma refert, animam movere corpus erectione quadam atque intellectione dicit, eo enim quod movetur, & corpus movere, propterea quod connexa eſt ad ipſum. Tradit etiam animas per affectiones prius elegiſſe ſortes formaſque vitarum palam objecta, ſecundo dæmonas accepiſſe, tertio motiones attigiſſe fatales per vehicula ſua ſcilicet cæleſtia earum corpora cæleſtibus influxibus motionibus contigua. In motu vero animæ verum eſſe numerum muſica proportione concentuque conſtantem dicit. Neque autem humanas animas in beſtias tranſire, ſed id inductum falſo eſſe ad terrorem hominum impiorum, negat quoque eas ex homine in hominem tranſmigrare, utpote qui in corporibus aeris putat eas interea vivere, atque ita vexatione purgari. Mundum autem ut Cælius libro primo refert, duobus conſtare Timæus aſtruit, mente & neceſſitate, ideſt actu formali, qui ſane eſt divinæ mentis voto præcipuus, mentiſque imago: item ex neceſſitate, ideſt materia, quæ non tam intentione propria, quam neceſſaria quadam conditione ad hoc opus accipitur. Plato Timæum præceptorem ſuum ſummopere coluit, nec tamen per omnia eſt eum æmulatus. Nam cum divinus Timæus ante mundum ejus architectum fuiſſe, mundumque ipſum factum, atque ab alio factum ingenue fateatur, Plato longe ſecus ſentit. Nam hic Petro Comeſtore in Geneſim referente tria ab æterno fuiſſe dicit, Deum, Ideas, yle, hoc eſt materiam, & in principio temporis de yle mundum factum fuiſſe: Ariſtoteles duo, mundum & opificem, quibus de duobus principiis ſcilicet materia & forma operatus eſt ſine principio, & operatur ſine fine: Epicurus duo, inane & atomos, & in principio natura quoſdam atomos ſolidavit in terram, alios in aquam, alios in aerem, alios in ignem: Timæus triplicem mundi cauſam perſcrutatur, efficientem, ideſt, divinam mentem, exemplarem, ideſt, idearum ſeriem, divina mente conceptam, & finalem. Quam apud ſapientes optimam arbitratur habendam. Utque mundus, inquit, perfectus foret, animalia cuncta tam divina, quam caduca ſunt genita. Ait etiam Deum mundi opificem cum creaviſſet mundum requieviſſe, dicens mundi opificem in circumſpectum ſuum ſe recepiſſe. Quod quidem cum divina philoſophia convenit nam, ait Petrus Comeſtor in hiſtoria eccl. ſuper Geneſim: *Deus requievit ab opere in ſemetipſo, ideſt, a mutabilitate operum ejus immutabilitas apparuit.* Plotinus in libro de cælo ait: *Cum igitur Timæus mundi corpus ex igne primum terraque componat, ut per ignem quidem videri, per terram ſolidum eſſe tangique valeat: conſentaneum eſſe videtur, ut & aſtra non totum quidem ſed plurimum habeant ignem. Quandoquidem aſtra ſoliditatem habere videantur.* Forſan vero recte ſe id habebit, quippe cum Plato ſententiam hanc probabili & apparenti ratione confirmat. Cælum autem Timæus ipſe nominavit univerſum. Ait enim: *Deus animam mundi creavit ſuo corpore priorem tum poteſtate, tum tempore.* Quod Platonis expoſitores Plotinus, Porphyrius, & Proclus, aliique ſic exponunt, ut poteſtas & tempus, quibus anima præcedit corpus non ſit extrinſecum intervallum, ſed ut ſucceſſio quædam in anima in ipſa formarum diſcurſione antecedat origine mundi motum, ut hic ſit motus ab illo, atque ille ſit ſeculum ſeculorum. Rationales autem animas non ab anima mundi, ſed ab eodem auctore, a quo & illam, & ex generibus

bus consimilibus asserit constitutam. Dicit quoque intellectum in nullo unquam alio præterquam in anima fieri. Objecta autem intellectus præstantiora verioraque esse, quam objecta sensus. Timæus, ait Plutarchus libro tertio de placitis philosophorum & Galenus in libro de historia philosophica, complures fluvios e Celtarum montibus in Atlanticum pelagus labi putat, horum incursu pertundi, & inundare mare credit, defectu revocare & subsistere. Infantes eodem Plutarcho eodem in libro referente, in utero novem menses permanere existimat, cum alii decem putent. Timæus, & Neocles Crotoniata apud Ælianum libro octavo de historia animalium, ajunt rubetas dua jecora habere, & alterum quidem occidere, alterum alteri adversantem salutem afferre. Scripsit etiam Timæus, ut Plinius libro primo tradit, de medicina metallica. Et libro secundo ait: *Timæus millia de medicina scripsit*. Et rursus: *Signiferi autem ambitum peragit in certis & duo quinquagenis diebus ab Sole nunquam absistens partibus sex atque quadraginta longius, ut Timæo placet*. Et libro quinto: *Timæus mathematicus Syris Asiæ fluminis incrementi occultam protulit rationem phialem appellari*. Et libro quintodecimo: *Folia decidere Timæus mathematicus Sole Scorpionem transeunte syderis vi, ut quodam veneno aeris putat*.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Oportet Regem sapientem esse.* Agapitus Diaconus in epistola Parænetica ad Justinianum Imperatorem simile quoddam inculcat, & tunc ait prosperæ vitæ tempus adesse ὅταν ἢ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, ἢ Βασιλεῖς φιλοσοφύσωσι, *cum vel Philosophi regnabunt, vel Reges philosophabuntur*.

2. *Timæus*. Vide *Thomam Stanlejum, histor. Philosoph.*

3. *A quibus Plato plura didicit.* Hæc de Platone S. Hieronymus refert to. 4. ep. 1. ad Paulinum: *Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam* Magna *Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit, ut qui Athenis magister erat & potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere*.

# CAPUT XI.

## *De aliis Locrorum Philosophis Pythagoricis, & Athletis, ac præsertim de Euthymo, & Agesidamo.*

FUerunt (1) & alii philosophi Pythagoræ discipuli, ut Jamblicus scribit, ut *Adicus*, *Euetes*, *Euthemus*, *Gyptius*, *Philodamus*, *Sosistratus*, *Stenonides*, & *Xenon*. Fuit & *Eurytus*, ait Constantinus Lascaris, vir doctus, & citharœdus eximius. De quo Strabo sic ait: *Eurytus philosophus*

*phus, quem vidit Plato*. Fuit & *Xenocrates* poeta heroicus perilluſtris, & muſicus excellentiſſimus, qui, ut Heraclides tradit, ex nativitate cæcus fuit. De quo Plutarchus in muſica ait: *De Xenocrate Locrenſe ex Locris urbe Italiæ dubitari video utrum poeta Pæanus fuerit. Argumenta heroica geſta continentia condiſſe proditum eſt memoriæ, ac propterea nonnulla argumenta dithyrambos vocitaſſe*. De hoc etiam meminit Plinius libro primo. " Fuit & *Charita* poeta, qui Athenis fabulam docuit anno primo CXIII. Olympiadis, Euthycrito Archonte". Fuit & *Heraſippus*, ut ſcribit Heraclides: Fuit & *Glaucus*, qui ut Julius Pollux, & Athenæus libro nono produnt, ſcripſit de obſoniis ac re coquinaria. Fuit & *Teano* mulier vates poetrix lyrica nobilis. Scripſit cantica lyrica, & cantus permultos, ait Suidas, ſcripſit lyricis verſibus de patria ſua multa. Vivit modo *Fabius Monteleonius*, juriſconſultus, qui tractatum de privilegiis ſenectutis, & de arbitralibus, & Commentarios ſuper Pragmaticis Caroli V. ſcripſit. Fuit & *Eunomus*, citharœdus clarus, de quo ſic Strabo lib. vi. *Locris Eunomi Locrenſis citharœdi ſtatua oſtenditur, quæ inſidentem cicadam habet. Timæus tradit in Pythiorum quodam certamine Eunomum Locrenſem & Ariſtonem Rheginum citharœdos aliquando in contentionem veniſſe uter præmium ſortiretur. Ariſtonem fuſis precibus Apollinem invocaſſe Delphicum, ut ſibi adjutor afforet. Eunomum dixiſſe Rheginis nunquam de muſica ab eorum primordio fuiſſe certamen. Cum quidem apud eos cicadæ, cunctorum animalium cantu ſuaviſſimæ, omni ſono deſtitutæ ſint; nihilominus Eunomum victorem declaratum. Statuam in patria poſuiſſe, quæ cicadam inſidentem habet. Nam cum inter cantandum chorda una fracta defeciſſet, cicada ſupervolans aſtitit, quæ vocis ſupplementa faceret*. Fuit & *Euthymus* athleta ſane quam fortiſſimus, qui, ut Plinius libro ſeptimo tradit, *ſolus vivus conſecratus eſt, ſentienſque oraculi ejuſdem juſſu, & Jovis deorum ſummi aſtipulatu: Euthymus Pytha ſemper Olympiæ victor, & ſemel victus. Patria ei Locri in Italia, ubi imaginem ejus eſſe, & Olympiæ alteram eodem die tactam fulmine, Callimachum, ut nihil aliud miratum video, eumque juſſiſſe ſacrificari, & quod vivo factitatum & mortuo, nihil adeo mirum quam hoc placuiſſe diis*. Et Ælianus de varia hiſtoria libro ſeptimo: *Euthymus Locrus ex Italia Pytha inclytus & robore incredibili inſignis fuit. Lapidem geſtabat ingenti magnitudine, qui Locris ante fores oſtenditur, & Temeſæum heroa, quod cuique per vim abſtulerat, reddere coegit etiam cum fœnore, ut inde natum ſit adagium iis, qui & injuſtos quæſtus faciunt, Affore Temeſæ genium*. Euthymus autem ad Cæcinum amnem oculis hominum apparere deſiit. De hoc Pauſanias in Æliacis ita ſcribit: „ Quæ autem ad victorias & reliquam Euthymi „ gloriam pertinent præteriri minime decet. Fuit quidem Euthymus „ ex Locris Italiæ patre Aſtycleo, vel, ut indigenis perſuaſum eſt, e „ Cæcino amne. Vicit in Olympia quarta & ſeptuageſima Olympiade. Hic, inſequente Olympiade, ſemel a Theagine Thaſio vi„ ctus, non tamen quidem juſto certamine, ſed ab eo circumventus „ dolo. Unde nec a Græcis judicibus Theagini decretus honor. Inſu„ per damnatus Theagenes & multæ nomine talentum ſacrum dandum

„ dum deo, & aliud Euthymo ob injuriam folveret. Sexta autem & „ feptuagefima Olympiade argentum debitum deo folvit, & nec in „ certamen eadem Olympiade, neque infequenti prodire fibi conceffum „ eft. Euthymus autem coronam fufcepit. Ejus ftatuam fecit Pythagoras celeberrimam. Cum poftea rediiffet in Italiam pugnavit adverfus heroem. Nam Ulyffem erroribus actum poft captam Trojam „ & ventis in Italiam delatum fuiffe, atque cum ad alias Italiæ urbes, tum etiam ad Temefam cum navibus applicuiffe memoriæ „ proditum eft, unumque e nautis temulentum virginem violaffe, ob „ quam injuriam ab incolis lapidibus obrutum fuiffe. Ulyffem autem „ hominis interitu nihil prorfus commotum naves confcendiffe atque „ abiiffe. Dæmon vero interfecti hominis numquam poftea deftitit „ in omne tempus Temefenfes exturbare. Pythia eos ex Italia omnino fugere decernentes nec Temefam relinquere permifit. Verum „ heroem placare juffit, fuafitque templum dæmoni ædificari, atque „ ut quotoquoque anno virginem pulcherrimam ex Temefa illi exponerent. Itaque Pythiæ parentes dæmoni omnia, quæ juffi fuerant, „ fedulo curarunt, nihilque amplius incommodi a dæmone perpeffi „ funt. Cum autem Euthymus poft octavam & feptuagefimam Olympiadem patriam repetiffet, ad Temefamque forte fortuna pervenif„ fet, ad conftitutam illius celebritatis diem, rem ut erat edoctus, „ & templum illud ingredi & virginem expofitam videre concupivit; „ Quam cum confpexiffet pietate primum motus, mox etiam ejus amore incenfus, fide prius ab ea accepta, fi eam fervaffet, non alium, quam „ fe virum habituram, accinxit fe ceu cum dæmone pugnaturus. Qui „ adventantis dæmonis impetum fuftinuit facile, & eum demum luctando fuperavit in folum profternens. Quare dæmon ipfe Temefam deftituit, & vicinum mare cum ftrepitu fubintravit. Nuptiafque Euthymo & Virgini celebres regio univerfa a dæmone liberata celebravit, vixitque cum ea Temefæ perquandiu: alioque, quam ceteri mortales folent, modo exceffit. Audivi ego hæc ab homine ad me ad „ emporium veniente. Vidique talem perlegens fcripturam. Erat in „ quadam tabula vetuftiffima juvenili effigie (*a*) Sybaris & Calaber fluvius fimul cum fonte Calyeo, aderat Juno, & Temefa civitas, & „ inter has dæmon ille, quem e regione Temefæa expulerat Euthymus, „ colore plane admodum niger, forma vero terribili, quæ plurimum „ infpectantes perterrere poffet: lupi autem pellem indutus videbatur. „ Nomen appofitum erat dæmoni Lybantes. Inde ftatuam Euthymi „ Pytharchus pofuit Mantinæus.

Fuit & *Agefidamus* Archeftrati filius Athleta Olympionicus valdequam fortiffimus Pyndari tempeftate. Qui in Agefidami laudem fcripfit hymnum. Unde ode decima mufas omnes & inter alias, veritatem cum filia Jovis in Agefidami laudem invocat. Ubi etiam Locrum urbem a loci amœnitate, a veritate, a poefi, & a rebus bellicis commendans ait:

*Olympiorum victorem ad memoriam revocate*
*Mihi Archeftrati filium, quo Locrorum*
*Mentis meæ fcriptus fit.*

Dul.

*Dulce nanque ipsi melos debens,*
*Ejus oblitus sum o Musæ.*
*Atque tu una veritate Jovis filia;*
*Recta manu arcete mendaciorum in inimicos delinquentem sermonem.*
*A longe nanque adveniens futurum tempus meum pudefacit ingens debitum.*
*Attamen dilationem tardam fœnus persolvere potest.*
*Nunc ubi præeffluens fluctus submergit volutatum in littore calculum,*
*Et ubi jam communem ad charam jam oblectationem sermonem exolvemus.*
*Porro sinceritas urbem* Locrorum *administrat Zephyriorum,*
*Illisque curæ est Calliope, & ferreus Mars.*
*Convertit autem in fugam cycnea pugna & juribus præstantem Herculem.*
*At pugil Agesidamus Olympiade vincens Hylæ referat gratiam.*
*Quemadmodum Achilli Patroclus, sic alium virtute magnum virum alius exercens,*
*Ad sublimem evexit gloriam dei numine.* Et post pauca;
*Sic est quando is, qui egregia facinora peregit,*
*Sine hymno Agesidamus ad Ditis ædes accesserit.*
*Inaniter enim spirans labore suo breviter admodum delectatus est.*
*Tibi vero suavissima lyra, dulcisque tibi gratiam parit ac variat.*
*Sed & Pierides Jovis filiæ longe lateque tuam adaugeant famam.*
*Et ego adjunctus musis in inclitam* Locrorum *gentem*
*Incidi, melleque fortem irrigans amabilem Archestrati filium laudavi.*
*Quem vidi manus robore, ad aram Olympiam præstantem*
*Eo quidem tempore forma pulcrum, ætate temperatum,*
*Quæ impudentem a Ganymede mortem una cum Venere prohibuit.*

Et ode undecima laudans eum a pugilatu, a corona victoriæ, a liberalitate tum ipsum, tum Locros, a sapientia, & a fortitudine, & hospitalitate ait:

*Abundans autem laus Olympiorum victoribus constituta est.*
*O noster, quam & lingua nostra dispensare gestit;*
*Dei enim providentia sapientibus aliquis perpetuo curis floret;*
*Noveris itaque nunc Archestrati fili Agesidame tuæ pugilatoriæ causa,*
*Qua aurea olea corona coronatus es;*
*Hunc suavisonum ornatum resonabo.*
*Locrorum Epizephyriorum genus magni ducens;*
*Illic & vos una mecum o musæ chorum ducite;*
*Spondeo enim vos aversantem hospite exercitum, neque honesti inexpertum;* Cete-

*Ceterum ad sapientissima belligeratores accessuras;*
*Natura nanque insitum mare, neque astuta vulpecula, neque terribiles leones facile permutarint.*

Hylas autem fuit aliptes Agesidami, qui cum videret fere succubentem primo Agesidamum: ita ei animum addidit, ut protinus suum adversarium vinceret.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Fuerunt.* Præter a Barrio allatos fuerunt etiam a Locrorum civitate, nunc Hieracio, viri in omni virtutum genere celeberrimi. *Cetus* Philosophus Pythagoreus, quem Plato invisit. Ait enim Valerius Maximus lib. VIII. cap. VII. *Quo minus miror in Italiam transgressum, ut ab Archita Tarenti, a Timæo, & Arione, & Ceto Locris Pythagoræ præcepta, & instituta acciperet.* Fuit & *Diophines*, qui, teste Athenæo lib. 1. Thebas profectus vesicas lacte vinoque plenas succinctus, compressis illis ex ore manare simulabat. *Parmenides* Locris natus, sed incola Eleæ urbis, nonnullis vulgo *la Scalea*, aliquibus *Bonifati*. Vide adnotat. lib. 2. cap. 4. num. 3. Fuit amicus Xenophanis, scripsitque metro Physiologiam; Luciferumque Sidus idem esse cum Hespero primus agnovit. *Laert. lib. 9.* Vide *Suid.*

## SERTORII QUATTRIM. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Sybaris & Calaber fluvius.* Legendum in Pausania, *Sybaris & Crathis.* Barrius in corruptum Pausaniæ codicem incidens, erravit una cum aliis.

## CAPUT XII.

### *De Numismatibus Locrorum, sacris Lipsanis, & Viris sanctitate conspicuis.*

(1) SCulpebant Locrenses in numo Jovem, & ex postico asteriam alitem pedibus leporem habentem, quam Græci jeracum vocant, a qua urbs nomen est mutuata inscriptione Græca ΛΟΚΡΩΝ. Interdum ex postico signabant fulgur & caduceum, & Amaltheæ cornu, aliquando cancrum. Interim imprimebant Bellonam idest Minervam galeatam, & ex postico Pegaseum equum & fulgur, & ex altera facie etiam Cererem & stellam cum Amaltheæ cornu stantem. Aliquando signabant Minervam & ex altera parte mulierem sedentem altera manu crepitaculum, altera crateram habentem. Nonnunquam sculpebant Minervam & ex postico Pegaseum, aliquando ex postico fulgur. Quandoque Apollinem & ex postico aquilam fulgur pedibus habentem, & post tergus palmam. Aliquando signabant Jovem habentem fulgur & campum plenum

fructibus, & ex postico Castorem & Pollucem. Interim signabant Martem gladio & scuto pugnantem, & ex adverso Minervam galeatam, quam sapientiæ deam significare volebant, quod arma, prævia sapientia, quæ ex scientia comparatur, sumi debent.

Est Hieracium sedes Episcopalis antiquissima *Petrus* Episcopus Locrensis interfuit Synodo Romanæ sub Felice tertio. Et *Stephanus* Episcopus Locrensis interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ sub Agathone Papa. In æde Episcopali asservantur frustula crucis dominicæ, Thomæ & Simonis Apostolorum, Stephani Prot. Petronillæ, Mariæ Ægyptiacæ, Judithis Virg. & martyris, Agathæ, capitis Joannis Bapt. Gervasii, Felicis, Hippolyti, Moysis, & vestis Beatæ Mariæ Virginis. Est & arcula multorum aliorum sanctorum frustulis referta. Est & beatæ Mariæ Virginis imago quæ in magna religione & pietate ab oppidanis & circumvicinis populis veneratur. (2) Ex hac urbe fuit beatus *Antonius* divi Basilii monachus, ejus festum agitur decimo Cal. Sept. Et beatus *Jejunius* itidem divi Basilii monachus, cujus festum agitur octavo Cal. Junii. Et beatus *Nicodemus* etiam divi Basilii monachus. Et (3) beata *Venera* Virgo, ejus festum agitur quinto Cal. Aug. Exuberat urbs hæc aquarum scaturiginibus, & iis optimis. Est & fons Francia dictus, cujus aqua est bonitate præcipua. Extant & balnea clara, sunt enim sulfureæ aquæ & salsæ multis morbis utiles, conferunt & mulierum sterilitati. Fiunt Locris figlina opera nobilia, patinæ, gutti, capsaces, amphoræ, lances, disci, cannæ, & alia id genus. Fit & sericum & oleum nobile, legitur manna, oriuntur cappares: nascitur rubrica fabrilis, & lapis molaris frumentarius & olearius, item magnesia, silex, & lapis gilvus, quo figuli utuntur, provenit reuponticum, fit gossipium & sesama. In hoc agro pagi sunt *Nicolaum*, (4) *Ardurium* ab ardo verbo Græco quod irrigo significat, *Bombilium*, *Cannabum*, *Partileola*, & *Antonimina*. In hac ora ab agro hoc usque Cocinthum promontorium & alibi novilunio terra evomitur, *Maramuscam* vocant, ceu a talpis mota assurgit, quæ sine aqua cocta rubrica fabrilis fit optima. Ab urbe m. pas. duobus *Novitum* flumen navigabile excurrit, (*a*) *Buthrotus* olim dictum, cujus meminit Livius belli Pun. libro nono, quod haud procul ab urbe Locris abesse dicit. Inde est (5) *Sideronum* vicus. Postea *Proteriatum* flumen navigabile anguillis & torentinis uber labitur, (*b*) *Locanus* olim dictus, cujus meminit Plinius. Qui ait: *In hac ora flumina innumera, sed memoratu digna Locanus, Sagra*.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Sculpebant Locrenses* Vide Goltium de Numismatibus Magnæ Græciæ.

2. *Ex hac urbe fuit*. Temporibus gratiæ, præter a Barrio allatos, fuerunt Sancti Martyres *Florentinus*, & *Flavianus* a S. Modestino Episcopo Antiocheno ad fidem conversi, qui sub Diocletiano, & Maximiano varie torti atque mirabiliter servati, tandem cum Dei nutu ad locum in radicibus Montis Virginis *Præturum* appellatum secessissent, in sancta confessione quieverunt; quorum corpora sub Guil-

Guillelmo II. ibidem reperta sunt cum Epigraphe:

MO. FL. FLI.
MO. FL. FLIO. M.

Ideſt *Modeſtini*, *Florentini Flavii*. *Modeſtino*, *Florentino Flavio Martyribus*. Vide Ughellium in Diœceſi Avellin. Paul. Reg. Bolland. 14. Febr. alioſque.

Epiſcopi & Cives Locrenſes. *Baſilius* an. 451. *Baſilius* II. ann. 504. *Creſcentius* ann. 649. Epiſc. & Cives Hieracenſes *Gregorius* ann. 709. ut ex catalogo Martyrenſi. *Leontius* ann. 1119. Ughell. *Euſtaſius* ex Theſaurario electus Epiſcopus ann. 1178. obiit 1194. Ughell. *Nicolaus* I. *Droſipater* ann. 1194. Ughell. *Baſilius* III. ex Canonico Epiſcopus ann. 1204. *Niphus* ann. 1219. Synod. Hierac. *Joannes Triſeus* ſeu *Tirſeus* ex Monacho Baſiliano & Abbate S. Philippi de Argirò Epiſcopus ann. 1312. Hujus precibus Robertus Rex multa privilegia illi Eccleſiæ conceſſit. Obiit ann. 1342. Ughell. *Nicolaus* II. ex Epiſcopo Bovenſi in hanc ſedem tranſlatus ann. 1342. Ughell. *Nicolaus* III. *Mele* ex Archidiacono electus Epiſcopus ann. 1366. Sed quia Clementis VII. Antipapæ partes fovit Epiſcopatu privatus eſt. Ughell. *Ammonius* ſeu aliquibus *Amerigus* ex Cantore Biſidianenſi electus Epiſcopus Hieracenſis ann. 1429. Obiit ann. 1444. Ughell. *Gregorius* II. *Droſitanus* ex Primicerio Epiſcopus ann. 1444. Eccleſiam rexit ſumma vigilantia & morum integritate. Obiit ann. 1461. & in eadem Cathedrali ad altare S. Chryſanthæ ſepultus. Ughell. Hujus corpus *Didacus Curtalis* Canonicus Pœnitentiarius ſcripſit poſt ducentos annos incorruptum, veſteſque integras reperiſſe. M.S. Mart.

*Gregorius* ex Cantore Hieracenſi Epiſcopus Oppidenſis ann. 1338. Ughell. *Andreas* ex Primicerio Hieracenſi Epiſcopus Bovenſis ann. 1342. Ughell. *Benedictus Hieracius* in utraque lingua doctiſſimus, Parochus in Eccleſia S. Mariæ ad Campum Carlæum de Urbe, mox ab Innocentio X. ann. 1650. Epiſcopus Liparitanus renuntiatus eſt. Cum autem ad ſacra Limina Romam acceſſiſſet, obiit XV. Kal. Septembr. ann. 1660. ſepultuſque in Eccleſia S. Agathæ ad radices Montis Quirinalis, ubi adeſt inſcriptio:

D. O. M.
BENEDICTVS HIERACIUS CIVITATIS
HIERACEN. ORIUNDUS
LIPARENSIVM EPISCOPVS
DIVINARVM ATQVE HVMANARVM
LITERARVM INCOMPARABILIS,
INSIMVL ANIMI PROBITATE
ET RELIGIONE ADJVNCTA VIR
ORNATISSIMUS HIC IACET
SACRA APOSTOLORVM LIMINA DE
MORE VENERATVS DIE XVIII.
AVGVSTI MDCLX. ÆTATIS
ANNORVM LXXI. ROMÆ OBIIT.
TERENTIVS TORNATORIVS
AMICO MERITISSIMO FACIENDVM
CVRAVIT.

Vide Ughell. in append. to. 6. & Topp.

*Bonaventura Perna* Conventualis, pœnitentia, vitæ ſanctitate, & miraculis clarus. Obiit Meſſanæ III. Nonas Januarias 1668. magna ſanctitatis fama MS. Mart. *Ambroſius* inſtituti Capuccinorum laicus ſanctæ vitæ vir. Obiit Caſſani ann. 1579. Chron. *Franciſcus* & *Manſuetus* ejuſdem inſtituti laici morum integritate & prophetiæ dono mirabiles. Gualt. in MS. *Accurſius Muſculus* Aſtronomus & Poeta, ſcripſit quædam MS. Mart. *Bernardus Barbatanus* minorita Philoſophus & Theologus celebris Gonzag. & MS. Gualt. *Tiberius*

*Alpharanus* nostræ Vaticanæ Basilicæ Clericus, Architectus celebris sub Sixto V. Edidit ichnographiam veteris Basilicæ S. Petri, Cardinali Euangelistæ Pallotto Archipresbytero dicatam ann. 1590. unde apparet Hieracensem fuisse. *Fabius Bova* eruditione clarissimus edidit opusculum *Gli effetti della Gioventù* Neap. 1647. MS. Mart. *Felix* & *Marcellus Drogus* musicæ peritissimi. MS.Gualt. *Thomas Galliardus* instituti Capuccinorum, quædam edidit. Topp. *Hieronymus* Dominicanæ familiæ sanctitate clarus cujus corpus integrum asservatur in Conventu Tabernarum. Amat. *Magdalena Galliarda*, *Catharina* & *Maria Malarbi* ejusdem Dominicanæ familiæ, morum integritate conspicuæ. Idem.

Nostris autem temporibus *Franciscus Nicolai* Presbyter eruditione conspicuus, amicus noster: *Franciscus Malarbi* Presbyter eruditissimus. *Dominicus Migliaccius* Presbyter doctrina conspicuus. *N. Calauctus* ex Minimorum familia sanctæ vitæ vir. *N. Paladinus* Conventualis orator celebris aliique quamplurimi.

3. *Beata Venera virgo*. Aliis *Parasceve*, quod hac die nata sit; aliis *Veneranda*: sed hujus nominis Sanctæ, ut par est conjicere, multæ fuerunt; Siculi enim, Galli, Latini suam habere contendunt: ni dicere velimus *S. Veneram Hieracensem* divino spiritu afflatam, in Siciliam, in Latium, & tandem in Galliam ubi martyrio coronata est concessisse: Vide Breviarium Gallicanum, Bolland. aliosque.

4. *Ardurium*. Oppidum præterito sæculo a Turcis captum depopulatumque: nunc satis habitatorum habet. Vide lib.II.cap.XVIII.num.10. In Diœcesi Hieracensi:

5. *Sideronum vicus*. Nunc oppidum nobile, civitati par, vulgo *Siderno* a ferro ducto cognomine; Σίδηρος *Sideros* enim *ferrum* sonat. Ex hoc loco fuerunt *Joannes Baptista Correalius* Episcopus Neocastrensis. Amat. *Donatus Pollienus* Congregationis Cælestinorum Philosophus, Theologus, atque orator celebris: scripsit *de Pace componenda*, *Chronicon Ecclesiæ S. Stephani Bononiæ* ibidem impressum ann. 1610. in 8. *Rhetoricam Prædicatorum*, *Historiam Monasterii de Casaluce*, *de Numismatibus*, aliaque. MS. Gualt. *Joannes* instituti Capuccinorum edidit Apologiam adversus errores Armenorum, Messanæ 1645. Vvading.

*Paulus Pyromallus* Domicanæ familiæ doctissimus, Missionarius Apostolicus, in Armenia & Perside per annos duos supra viginti pro fide catholica enixe laboravit. Cum Romam rediret a piratis captus, & a Religione redemtus ann. 1654. Archiepiscopus Nacheivanensis renuntiatus est: variis pro Ecclesia Dei exantlatis laboribus ad sedem Besidianensem translatus ann. 1664. ubi post triennium obiit. Multa scripsit, quæ sunt: *Apologia de duplici Christi natura contra Simonem Armenum*. Viennæ in Austria 1656. *Theandropologia*, *seu Oeconomia Salvatoris nostri*, *sive explicatio mysterii Incarnationis ad Sciabas Regem Persarum*. Viennæ in Austria 1656. *De unitate Ecclesiæ Christi*. *De ejus Capite*. *De casu ecclesiæ Armenæ*. *De Concilio Chalcedonensi & S. Leone*. *De festo Nativitatis Christi*. *De Inferno*, *Paradiso*, *& Purgatorio*. *De cibis comedendis*. *Titulationes*. *Quæstio magna de duabus naturis in Christo*. *Apologia contra Stephanum & Nier-*

*& Nierſem ſacerdotes. Traductio aliquarum Epiſtolarum* S. Leonis *Papæ in lingua Armena. Reſponſiones ad dubia Armenorum. Vocabularium Armeno-Latinum. Grammatica Armeno-Latina. Opuſculum ad Regem Perſarum de Fide Euangelica in lingua Perſica. Vocabularium literale Perſarum. Aliud Vocabularium vulgare Perſo-Latinum. De converſione P. Cyriaci Vartabi, & Patriarchæ Conſtantinopolitani pro natione Armenorum*, aliaque, Vide Fontan. in monum. par. 5. cap. 3. Amat. Alioſq. In Diœc. Hieracenſi.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Buthrotus de quo Livius.* Nunc *Novitum*, apud quem, ut Solinus auctor eſt, ſepultam ferunt ab Jaſone, vel, ut alii, a Theſeo Medeam.

(*b*) Locanus olim. Sunt qui *Locranum* putent vel *Alocrim*, ut Plinii verbis utar. Nec deſunt qui cenſeant eſſe *Turbidum*.

# CAPUT XIII.

## *De Crypteria & Geolioſa Oppidis, ubi de Sagra fluvio, ad quem Locrenſes inter & Crotoniatas dirum conflatum eſt bellum.*

SUpra eſt (1) (*a*) *Crypteria* oppidum edito ac penſili loco ſuper ſaxum conditum, orientem ſolem ſpectans. Diſtat a freto m. p. ſex, a Locris decem, olim, "ut opinor", *Caſtrum Minervæ* dictum, quod condidit Idomeneus Cretenſium rex eruta Troja" quod Vellejus *Minervium* vocat, Coloniamque Romanorum fuiſſe refert." Jam vero, Varro, ut oſtendi, Idomeneum aliquot oppida juxta Locros condidiſſe ſcribit: in queis eſt *Uria & Caſtrum Minervæ* nobiliſſimum." Et Maro Idomoneum inter Locrum & Petiliam, urbes cepiſſe ſcribit". Hic emporium in annos ſingulos celebratur. Fiunt vina, olea, mella, & ſerica clara, & fructus optimi, & amygdalarum copia, extant & horti nemoroſi limonum, citrorum, & malorum aureorum arboribus inſtructi. Extant & ſilvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ, naſcitur marmor, & plumbum, & aurum, "eſt argentum". Provenit terebinthus, & ſiliqua ſilveſtris. In hoc agro pagi ſunt (2) *Mammola*, ubi pars calvitii beati Nicodemi monachi Sancti Baſilii, de quo ſupra mentio facta eſt, aſſervatur. Fiunt hic figlina opera, hoc eſt pilæ & hujuſmodi e terra ſubruſſa; item *Joannum* pagus cum fluvio, & (3) *Martonum*. Hujus oppidi regulus ob multa in oppidanos flagitia Melitæ in perpetuum damnatus exulat. Poſt Crypteriam (4) (*b*) *Geolioſa* oppidum exiſtit edito ac penſili loco ſitum, orientem ſolem ſpectans, quod *Galitium* flumen præterfluit, abeſt a freto m p. trib. *Miſtra* olim dictum, cuius meminere Stephanus, & Plinius, & Mela: licet in Mela mendoſe in ſinu Scylatico ſcribatur. Hic ſerica, vina, & olea

olea laudabilia fiunt. Fit & goſſipium & Seſama. Eſt & nativum ſal, naſcitur lapis, quo pictores imagines inumbrant, tener eſt & ſubater: naſcuntur cappares. Extant horti nemoroſi citrorum, limonum, & malorum aureorum.

Ad mare (5)(c) *Arocella* oppidum eſt edito loco, eoque natura munito, diſtat a Locris m. p. xii. *Amphisſia* olim dictum" ab Amphiſſa urbe Locrorum Ozolorum" cujus meminit Ov. Meth. l. xv. ubi de hujus oræ oppidis loquens ait: *Levibuſque Amphisſia remis Saxa fugit.* Eſt enim mare hoc aliquibus locis ſaxoſum. Ubi coralium capitur. Fit in hoc agro xilon & ſeſama, proveniunt cappares. Secundum flumen aurum naſcitur. Dehinc (6)(d) *Alarus* fluvius navigabilis, cadit in mare, *Sagra* olim dictus, Crotoniatarum ſtrage & auctorum ſcriptis celebris. Quem Strabo inter Locros & Cauloniam ponit, qui ſic ſcribit: „ Poſt Locros Sagra fluvius labitur, „ quem feminine vocant, in cujus ripa Caſtoris & Pollucis aræ ſitæ erant. „ Apud quem decem Locrorum millia una cum Rheginis adverſus Crotoniatas numero cxxx millia Marte collato victores evaſerunt. Quo „ ex negotio ortum eſt adverſus incredulos proverbium. Hoc re apud „ Sagram geſta verius eſt. Qua die certamen initum eſt ad Olympia „ exiſtentibus ille nunciatus eſt belli exitus, & tanta celeritate nunciatæ pugnæ veritas comperta eſt. Hanc ipſam vero cladem Crotoniatis, ne magno ulterius perdurarent tempore, cauſam extitiſſe „ memoriæ proditum eſt. Tanta quidem mortalium occiſorum fuerat multitudo „. De hac parœmia mentionem facit Menander, ut ait Apoſtolus Bizantius proverbiorum ſcriptor. Trogus vero Pompejus libro vigeſimo, Juſtino referente, belli cauſam ſcribens de numero diſſentit a Strabone, ni horum alterius textus depravatus ſit. Ait itaque: „ Crotonienſes cum Sybaritanis & Metapontinis pellere ceteros „ Græcos Italia ſtatuerunt. Cum primam urbem Syrim cepiſſent in expugnatione ejus quinquaginta juvenes amplexos Minervæ ſimulacrum, ſacerdotemque deæ velatum ornamentis inter ipſa altaria trucidarunt. Ob hoc cum peſte & ſeditionibus vexarentur, priores „ Crotonienſes Delphicum oraculum adierunt. Reſponſum his eſt, „ finem mali fore, ſi violatum Minervæ numen, & interfectos manes „ placaſſent, itemque cum ſtatuas juvenibus juſtæ magnitudinis, & „ in primis Minervæ fabricare cœpiſſent. Metapontini cognito oraculo deorum occupandam manum & pacem deæ rati juvenum modica „ & lapidea ſimulacra ponunt, & deam panificiis placant. Atque ita „ peſtis atra ibi ſedata eſt: cum alteri magnificentia, alteri velocitate certaſſent. Recuperata ſanitate non diu Crotonienſes quievere. „ Itaque indignantes in oppugnatione Syris auxilium contra ſe a Locrenſibus latum, bellum his intulerunt. Quo motu territi Locrenſes ad Spartanos decurrunt, auxilium ſupplices deprecantes. Illi longinqua militia gravati auxilium a Caſtore & Polluce petere eos jubent. Neque legati ſociæ urbis reſponſum ſpreverunt, profectique „ in proximum templum, facto ſacrificio, auxilium deorum implorant, litatis hoſtiis, obtentoque, ut rebantur quod petebant, haud „ ſecus læti, quam ſi deos ſecum advecturi eſſent, pulvinaria iis in „ navi componunt, fauſtis profectionibus ſolatia ſuis pro auxiliis depor-

„ portant. Iis cognitis Crotonienses & ipsi legatos ad oraculum mittunt, victoriæ facultatem, bellique prosperos eventus deprecantes. „ Responsum, prius votis hostes, quam armis vincendos. Cum vovissent Apollini decimas prædæ, Locrenses & voto hostium, & „ responso dei cognito, nonas voverunt, tacitamque eam rem habuerunt, ne votis vincerentur. Itaque cum in aciem processissent, „ & Crotoniensium centum vigintiquinque millia armatorum constituissent, Locrenses paucitatem suam circumspicientes (nam quindecim millia militum habebant) omissa spe victoriæ in destinatam „ mortem conspirant. Tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non multi morerentur. Sed dum mori honeste quærunt, felicius vicerunt. Nec alia causa victoriæ fuit „ quam quod desperarunt. Pugnantibus Locris aquila ab acie nunquam recessit, eosque tandiu circumvolvit, quoad vincerent. In „ cornibus quoque duo juvenes diverso a ceteris armorum habitu, „ eximia magnitudine, & albis equis & coccineis paludamentis pugnare visi sunt: nec ultra apparuerunt, quam pugnatum est. Hanc „ admirationem auxit incredibilis famæ velocitas: nam ea die, qua „ in Italia pugnatum est, Corintho, & Athenis, & Lacedæmone „ nunciata est victoria. Olympiæ etiam belli eventus nunciatus est. „ Cicero quoque de Nat. deorum libro secundo infit: „ Atque etiam „ cum ad fluitium Sagram Crotoniatas Locri maximo bello devicissent, „ eo ipso die auditam esse pugnam ludis Olympiæ memoriæ proditum „ est. „ Et libro tertio: „ De Sagra Græcorum est vulgare proverbium. Qui, quæ affirmant, certiora esse dicunt, quam illa, quæ „ apud Sagram „. Id etiam scribit Plinius.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Crypteria.* Aliis *Crypta aurea* ab aurifodinis quæ circum sunt ducto nomine, quod postea corruptum fuit. Vide Flor. Hinc fuit *Nicolaus* Philosophus & Medicus celeberrimus, qui antidotum contra pestem invenit. Floravant. & Gualt. in MS.

2. *Mammola.* Ex hoc loco fuit *Apollinaris Agresta* Basiliani instituti quater Generalis vigilantissimus, sapientia & pietate clarus, Grææ linguæ doctissimus. Hic libros Græcos Ecclesiasticos manu exaratos ab innumeris erroribus expurgatos typis donavit anno 1676. quamobrem summam sibi instituto que suo laudem comparavit. Edidit quoque Romæ Vitam S. Basilii Magni variis adnotationibus illustratam, quam recudit Messanæ: item SS. Joannis & Nicodemi ejusdem Basiliani instituti. Obiit Messanæ die 24. Decembris 1695. septuagenario major. Vide Topp. Nostris vero temporibus *Jo: Chrysostomus Scarpho*, Monachus Basilianus eruditione clarus, multa scripsit.

3. *Martonum.* Vulgo *li Martoni.* Patria *Cajetani Antonii Gentili* eruditione clarissimi ad nostram memoriam usque. In ead. Diœcesi.

4. *Geoliosa.* Vide Itinerarium Antonini. Nunc vulgo *Giojosa*, aliis *Motta Giojosa.* Ad mare antiquitus erat; sed barbarorum incursionibus exagitati incolæ tertio ab hinc sæculo ad radices montis, ubi nunc est, oppidum

dum transtulere. Hic mirabile quoddam invisitur. Per cochleam descendentibus ædes satis amplæ apparent, quæ ad plura milliaria subtus terram protenduntur. Locus iste Νηνήλιον *Nenilium*, idest *sine sole* appellatur. In Ecclesia S. Mariæ Gratiarum icon inest Deiparæ celeberrima, quæ summa fidelium veneratione colitur cum emporio nobili VI. Nonas Julias *MS. Mart.* Patria *Victoriæ Theotino* tertii Ordinis S. Dominici Sanctitate conspicuæ. Amat. Et *Felicis Amatorii* Philosophi & Medici celeberrimi, ad nostram memoriam usque: scripsit quædam. In Diœcesi Hieracensi.

5. *Arocella*. Incolæ Civitatem dicunt, Caroli V. quodam diplomate freti. Extat Ecclesia S. Victorio sacra, quæ miraculose uno mane absoluta apparuit, ut constans traditio est: MS. Mart. Ex hoc loco fuit *Franciscus* Franciscanæ reformatæ familiæ laicus sanctæ vitæ vir. Chron. MS. *Jo: Antonius Martellinus* Philosophus & Medicus illustris, librum scripsit *de nutriendis bombycibus*, ut ait Gualt. in MS. *Joseph Martellinus* Presbyter Jurisconsultus librum edidit: *Il trionfo della fede Cattolica contro la setta Maumettana*. Neap. 1681. in 4. *MS.* Mart. *Ignatius* Augustinianæ familiæ doctrina & pietate clarus Amat.

6. *Alarus*. Aliquando *Hilarus* nuncupatus, a S. *Hilarione* ducto cognomine, qui pœnitentiæ ac cælestibus meditationibus vacans hunc tractum incoluit, ut qui Castoris & Pollucis aris, teste Strabone lib. VI. pollutus fuerat, tanti viri pœnitentia ac sanctitate expiaretur; ut constans traditio est. Vide Flor.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Crypteria*. Nostri Annales *Crypterium* appellant, & *Cryptariam* penultima correpta. Sunt qui credant olim dictum *Castrum Minervæ*, quod mihi probatur.

(*b*) *Geoliosa*. Nunc *Mottagiojosa*. A nostris annalibus *Geolosia* pen. corr. appellata. *Mistri* olim dicta a quibusdam, quod nec recipio, nec reprobo.

(*c*) *Arocella Oppidum*, *olim Amphisia*. Qui potest videri? cum *Oricella* sit in sinu Locrensi, *Amphisia* vero *saxa* in sinu Scylaceo, ut habetur ex Ovid. lib. xv. Metam. ubi de navigatione Æsculapii ex Epidauro in Italiam sermo habetur. Nec est Oppidum illud quod nunc *Oricella* appellatur: nam *Palæpolis* dicebatur. Amicus quidam meus censet Oricellam hanc esse antiquorum *Romechium*, quod non recipio, cum *Romechium* Oppidum eo positum esset loco, qui nunc *Romechius* ab incolis appellatur.

(*d*) *Alarus fluvius Sagra*. Male a Barrio putatur *Sagra* cum locetur inter Locros & Cauloniam, & Scylaceum.

CA-

# CAPUT XIV.

## *De Castroveto, olim Caulonia, ejusque Philosophis, Athletis, & Numismatibus.*

INde est (1) *Castrovetum* oppidum edito salubrique loco situm inter *Alarum* & *Musam* amnes torentinis & anguillis fœcundos, undique rupibus septum, distat a mari m. p. tribus, a Locris duodeviginti, (2)(*a*) CAULONIA olim dicta, a qua abest Lacinium lxx. m. p. ut apud Plinium prodidit Agrippa. Fuit quidem Caulonia urbs nobilissima. Hanc, & Rhegium, & Locrum & Crotonem clarissimas urbes fuisse Polybius lib. decimo tradit, ad quam oppugnandam Fabius Consul, ait Livius bel. Pun. Libro septimo, octo millia hominum misit, quibus additi sunt Brettiorum perfugæ. Qui hunc sub adventum Annibalis ne opprimerentur in tumulum a præsenti impetu tutum, ad cetera inopem, se recepere, quos Annibal in deditionem accepit. De hac urbe Strabo sic scribit: „ Post Sagram Caulonia extat prius „ Aulonia quasi Vallonia a vicina valle denominata, ab Achivis con- „ dita. „ Solinus vero a Crotoniensibus conditam scribit. " De qua Stephanus sic scribit: „ Aulon est quam Coloniam deduxerunt Cro- „ toniatæ, quæ appellatur Caulonia " „. Aulon quidem vallem planitiemque ac florida loca significat, Caulonia vero jactantiam, quod ob loci salubritatem rerumque opulentiam præcellat, monsque Aulon & Caulon est appellatus Maronis & Flacci præconio decantatus. Ait enim ille tertio Æneid. Caulonisque arces. Hic vero secundo Car. libro " ad Septimium scribens, arces has idest colles ob aeris beatam temperiem, & vini præcipuam bonitatem, beatas appellat, ubi & villam habebat, in qua Septimium amicum secum vitam agere avebat; ait enim ":

*..... Et amicus Aulon,*
*Fertilis Baccho, minimum Falernis*
*Invidet uvis.*
*Ille te mecum locus & beatæ*
*Postulant arces. Ibi tu calentem*
*Debita sparges lacrima favillam*
*Vatis amici.*

Et Martialis libro tertiodecimo.

*Nobilis & lanis, & felix vitibus Aulon*
*Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.*

Servius autem in Virgilium Horatium Caulon scripsisse dicit. " „ Caulon „ inquit mons est Calabriæ, ut Horatius, & amicus Caulon fertilis „ baccho " „. Sed & Aulon & Caulon dici potest. " Sicut oppidum Aulonia, & Caulonia dictum est. Acrion etiam Auloniæ Calabriæ montem, ut est quidem, esse asserit. Phormio quoque Caulonem, sive Aulonem montem contra Tarentinam regionem esse dicit. Quod

autem Maro primo Caulonis colles, inde Scylaceum scribat, id aut metri causa egit, aut quia ab Epiro Rhegium versus navigantium aspectui Lacinium promontorium & Caulonis colles, a longe offeruntur. Scylaceum vero, quia in sinu est, & in secessu, nonnisi e conspectu cerni potest". Opinandum est hic Horatium Villam habuisse. Hanc & Rhegium diripuit infida & scelerata Campana legio, quam Romani Rhegium & in hanc urbem præsidium miserant Pyrhi bello, ut alibi diximus. De hac urbe Pausanias in Æliacis ait:,, Caulonia, quam Au-
,, loniam Hecateus appellavit propterea quia juxta vallem sit, inde
,, Achæorum Colonia. Cujus etiam colonus fuit Typhon Æginensis.
,, Hæc direpta fuit a Campanis Romanorum militibus, qui in præsidio
,, erant, eo tempore, quo Pyrrhus cum Tarentinis adversus Romanos
,, bellum conflarunt,,. Et Arist. Pol. libro secundo:,, Quo tempore ea
,, in regione Italiæ, quæ tunc magna Græcia appellabatur, cœtus
,, Pythagoreorum ob clandestinam conjurationem concrematus fuit,
,, magna rerum publicarum mutatio facta, utpote principibus uniuscujusque
,, civitatis temere interfectis accidit ea loca, easque urbes
,, maximis cædibus seditionibusque vexari. Quocirca variæ ad eos
,, undecunque legationes componendarum rerum gratia confluxere.
,, At illi ceteris posthabitis Achæorum duntaxat fidei res suas com-
,, miserunt. Qui etiam non multo interjecto tempore omnino insti-
,, tuta illorum imitari, atque eam rempublicam effingere decreve-
,, runt. Siquidem Crotoniatæ, Sybaritæ, Cauloniatæ compositis in-
,, ter se unanimiter rebus primo Omenii Jovis templum publice con-
,, stituerunt, ubi & conciones fieri, & cum populo agi possit. Præ-
,, terea acceptis ab Achæis institutis & legibus, iis duntaxat uti,
,, suamque rempublicam componere volebant, sed a Dionysio Syra-
,, cusanorum tyranno & vagantibus per id tempus circum ea loca Gal-
,, lis desistere ab incepto coacti sunt,,. Cauloniæ materia ad fabricandas naves idonea, quæ Atheniensibus præparata erat, a Syracusanis concremata est, ut ait Thucidides libro septimo. Quo tempore Dion Syracusanus patriam in libertatem vendicare simulabat, arma adversus Dionysium suscipiens, Dionysius ipse ad Cauloniam agebat, ut Diodorus Siculus in Philippo tradit.

Ex (3) hac urbe fuere, ut Jamblicus ait, *Callibratus*, *Drymon*, & *Dicon* philosophi Pythagoræ discipuli. Dicon autem Callibrati filius, ait Pausanias in Æliacis, quinque in Pythicis ludis cursu victorias reportavit, tres autem ab isthmicis, quatuor ex Hemeis, Olympicam unam dum esset puer inter pueros, duas alias inter viros, sibique tot statuæ extant in Olympia, quot victoriæ. Hic se Cauloniatam, ut erat, dicebat, postea vero propter pecunias, quas a Syracusanis accepit, Syracusanum. (4) Signabant Cauloniatæ in numo cervum cum vase, & ex altera facie, Cresum Cauloniatam manu olivæ ramum habentem, qui cum cervum fugaret in fluvium cadens suffocatus est, inscriptione Græca ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΩΝ. Fiunt Cauloniæ vina bonitate mirifica, item olea & mella clara, & caseus, & hippaces laudatissimi, & figlina opera non vulgaria. Fit gossipium, & sesama, nascuntur cappares, provenit terebinthus, nascitur gypsum, & magne-

gnesia lapis, & rubrica fabrilis, item sal nativum, plumbum & aurum. Extant & silvæ ad domorum tigna & ad navigiorum fabricam aptæ: item silvæ glandiferæ & castaneta porcis alendis & pabulis opportunæ. Fiunt & venationes uberes aprorum, cervorum, & aliorum silvestrium animalium. Sunt & testudines & herinacei. In fano (5) divi Hilarionis brachium ejus præservatur. Hujus oppidi regulus ob plurima in oppidanos patrata scelera Neapoli capitali sententia damnatus obtruncatus fuit.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Castrovetum*. Baudrando & Ferrario Civitas olim Episcopalis Rhegino Antistiti suffraganea. Nunc vulgo *Castel vetero*, & *Castel vetere* Habebat quatuordecim vicos qui interierunt. Vide *Flor.*

2. *Caulonia*. Aliis *Aulonia* Teste Strabone lib. VI. Notum est autem *L* & *R* literas maxime permutabiles esse: sic in Hispania *Tabila* Arabice est טבירה *Tabira*. In Corsica *Alalia* & *Alaria*. In Sardinia *Caralis* & *Calaris*. In Bœotia *Aliartus* & *Ariarthus*. In Judæa montes *Bether* & *Bethel*. Adde etiam in Sinis *Mogol* & *Mogor*. Quapropter *Aulonia* fortasse *Auronia* aliquando appellata est, ab *Auruncis* ducto cognomine: præsertim quod αὐλὴ, unde secundum Græcos Αὐλόνια idem fere sonet ac *Aurunci*. Consentaneum quippe putamus Cauloniam ad priscos Aschenazæos pertinere: ideoque Græci scriptores nescientes ubi calculum figerent, a Crotoniatis, alii a Locrensibus, alii ab Achæis ædificatam tradiderunt: sed verosimilius ab his restauratam esse conjicimus. Vide Dissertat. *de Ausonia*.

3. *Ex hac urbe*. Fuerunt præterea *Alibertus Asciuttus*, qui circa annum 1087. ex peregrinatione Hierosolymitana rediens cum aliquot Barensibus, corpus S. Nicolai Episcopi Mirensis Barium advexit; ac tandem in patriam reversus, Ecclesiam eidem Sancto sacram construxit. M.S. Mart. Vide Flor. Ibidem natus est *Carolus Maria Carafa* ex Marchionibus ejusdem urbis, vir singulari eruditione ac prudentia præditus: edidit librum *de Horologiis solaribus* Mazareni 1689. in fol. & *de Politica Christiana* ibidem 1692. in fol. *Jacobus Carafa* Archiepiscopus Rossanensis. Flor.

*Carolus Pancalus* eruditissimus Clementis IX. Pontificis Max. a secretis varias dignitates & munia oblata singulari animi moderatione recusavit. M.S. Mart. & Flor. *Dominicus Asciuttus* Dux militum Flor. *Hyacinthus Alcadus Fillettus* Regius Consiliarius ad nostram memoriam usque. *Joannes Baptista de Sancto Blasio* Philosophus & Juris consultus celebris in Patavina Universitate, a Philippo Bergomate anno 1490. Patavinus appellatus, fortasse ex longo incolatu. Vide Flor. *Vincentius Protospatarus* Archiater, & *Joseph Protospatarus* Episcopus Bojanen. Amat. *Michael Sergius* Carthusianus sanctæ vitæ vir. Tutin. *Petrus Franciscus*, & *Cosmas* instituti Capuccinorum morum sanctitate conspicui. Chron. *Faustinus Salernus* Carthusianus, doctis-

ctissimus, scripsit *de præstantia B.M. Virginis*, & *super Psalmos* Flor.

Nostris vero temporibus *Joseph Rossi* presbyter Congregationis S. Hieronymi Charitatis de Urbe vir probus & doctus, amicus noster. *Felix Cancellarius* Jurisconsultus. *Paulus Fini* presbyter & Parochus Ecclesiæ S Joannis in Ayno de Urbe eruditione clarus. *Jo: Baptista Argirò* Jurisconsultus in suo *Theatro Universi Juris* clarus, aliique non pauci.

4. *Signabant*. Vide Goltium de Numismatibus Magnæ Græciæ.

5. *Divi Hilarionis*. Constans traditio est S. Hilarionem locum quemdam circa Alarum fluvium incoluisse, ut supra diximus Cap. XIII. num. 5. nec improbabilis conjectura; nam ex Pachino Siciliæ monte ubi teste S. Hieronymo in ejus vita diu delituit, facile hæc loca non longe a Pachino dissita potuit penetrare.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADV.

(*a*) *Caulonia*. Nunc *Castello vetere*. Sic omnes.

# CAPUT XV.

## *De Pacanica, & Stylo Oppidis, eorumque Castellis, ubi de Guilelmo Sirleto Cardinali, ac de Æsculapii navigatione.*

A Caulonia ad quatuor lapides (1) *Pacanica* oppidum existit edito loco, quasi panaca, idest salutaris, quod *Pacanitum* flumen navigabile & pisculentum adlabitur, distat a freto m. p. quinque. Hic etiam vina, olea, mella, & serica clara fiunt. Fit xilon & sesama, nascuntur cappares. Nascitur hematites. Inde est (2) *Monasteracum* tenue castellum inter *Stilarum* & *Assam* fluvios milliario a mari semotum, a Pacanica m. p. quinque. Hic etiam caseus probatissimus fit, & lina clara, fit & gossipium & sesama, nascuntur cappares. Supra est (3) *Stylum* oppidum nobile cum annuo emporio edito loco super saxum a stylon, hoc est columna dictum, quod *Stylarum* flumen adlabitur, a quo oppidum nomen sumpsit. Cui mons saxeus imminet celsus, distat a freto m. p quinque, *Consulinum* olim dictum, cujus meminit Mela, itemque Plinius, qui illud in hoc Locrensi sinu ponunt inter *Cocinthum* & *Zephyrium* promontoria. " In quadam scriptura Græca, quæ est in monasterio Divæ Mariæ e Pesaca epistola extat Gregorii Papæ ad Joannem Episcopum Scylaticum, qua ei Tabernensem Episcopalem Ecclesiam regendam committit. Extat & Epistola Calisti Papæ ad populum Tabernensem, qua Joannem Episcopum Tabernensem consecrasse scribit ". In hoc agro fit gossipium & sesama, fiunt & lina clara: Nascuntur cappares, provenit Crocus, & siliqua silvestris, & terebinthus, nascuntur & herbæ medicinales, ut

ut panax trigena, ariſtolochia, centaureum, chameleon, daucus, ſticas, ciſtus, hypociſtus, turbit, peucedamum, pyretrum, hypericon, chametreos, ameos, cyperus, ſtaphiſagria & aliæ multæ. Naſcitur æs, & chalcalthum, rubrica fabrilis, & lapis ophites optimus ejus generis, quo columnæ, quæ in Romano Panteon extant. Naſcitur argentum, & ferrum tribus locis, conflatur & nunc hic ferrum. Non longe ab oppido *Joannis* Abbatis divi Baſilii monachi cognomine (4) *Theriſti* ideſt meſſoris templum exiſtit, ubi ipſius corpus quieſcit, qui beati Nili coævus & amicus fuit, de quo alibi fati ſumus, ejus feſtum agitur ſexto Cal. Martias. Hic etiam & beatorum Bartholomæi & Nicolai divi Baſilii monachorum corpora jacere dicuntur. In hoc agro pagi ſunt *Patianum*, ubi aurum & argentum & cyaneus color naſcitur, ſunt & ferrifodinæ: *Camenum* ubi tubera naſcuntur: (5) *Stenianum*, ubi lapis molaris frumentarius & olearius naſcitur. (6) *Reatium* oppido par, & (7) *Virdivallis* (8) GUILELMO SIRLETO nobilis. Hic Latinis, Græcis, & Hebraicis literis, divinæque Scripturæ ſcientia apprime eruditus eſt, & a Pio Romano Pontifice hujus nominis quarto S. R. E. Cardinalium ordini eſt addictus.

Inde eſt (9) *Cocinthum* promontorium Locrenſem ſinum efficiens. Quod, ait Plinius, longiſſimum Italiæ promontorium eſſe aliqui exiſtimant. Id, ait Polybius libro ſecundo, unus eſt Italiæ angulus meridianam plagam ſpectans, Ionium ac Siculum dividit mare. A freto enim hucuſque Siculum Auſoniumque mare dicitur, a Cocintho vero uſque Hydruntum Ionium mare nuncupatur, inde Adriaticum. Hydruntum, ait Plinius, ad diſcrimen Ionii & Adriaci maris. Diſtat Cocinthum a Zephyrio promontorio m. p. circiter x. A Cocintho rurſus Scylaticus ſinus incipit, & Lacinio promontorio terminatur. Ovidius Meth. libro xv. in navigatione Æſculapii meminit Lacinii & Scylacei, inde Cocinthi & Zephyrii promontoriorum, & Amphiſſæ, & Cauloniæ, & Naritiæ, ideſt Locri, licet metri cauſa locorum ordinem minime ſervet. Ait enim de Æſculapio loquens:

*Italiam tenuit, præterque Lacinia templa*
*Nobilitata dea, Scylaciaque littora fertur.*
*Linquit Iapygiam, levibuſque Amphiſia remis*
*Saxa fugit, dextra prærupta Cocinthia parte*
*Zephyriumque legit, Cauloniam, Naritiamque,*
*Evincitque fretum, Siculique anguſta Pelori.*

Jam vero oſtendimus inter Lacinium templum & Scylaceum tria Japygum promontoria eſſe. Sed quidam codices depravatos accipientes magis depravant. Sunt enim qui pro Scylacia legunt Scyllæa, cum Scyllæum poſt Euripum contra Pelorum ſit, pro Amphiſia legunt Amphryſia, cum Amphryſus fluvius ſit in Theſſalia; pro Cocinthea legunt Ceraunia, cum Cerauni montes ſint in Epiro, pro Zephyrio neſcio quod Romechium ſomniant. Non animadvertentes, quod Ovidius Æſculapium ex Epidauro Romam navigantem Italiam attigiſſe navigio aperte ſcribat. Et nunc orientalis Calabriæ

oræ

oræ loca, per quæ erat Æsculapius transiturus describit, inde reliqua Romam usque, non Epiri, aut alterius alicujus regionis. Levis, inquit, remis fugit saxa Amphisia, nam contra Amphisiam saxa sunt, inter quæ, & urbem navigabat: aut levibus remis, quod mare illud, ut dixi, saxosum sit.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Pacanica*. Nunc vulgo *Motta Placanica*. Hinc fuere *Aloysius* instituti Capuccinorum, ac *Dionysius* Dominicanæ familiæ, doctrina & pietate conspicui. Amat. In Diœcesi Scylacensi.

2. *Monasteracum*. A Monasterio Equitum Rhodiorum nunc Hierosolymitanorum ibidem extructo, quod interiit. Aliquibus *Rhodianum* & *Rubianum*. In eadem Diœcesi.

3. *Stylum*. Ab Ausoniis, ut credere par est, & ex iis quæ infra dicemus liquebit, constructum ad radices Cocinthi promontorii eodem fortasse nomine insignitum, unde a Græcis translatum ubi nunc est, mutatoque nomine a promontorio columnæ figura donato *Stylum* appellatum, a quo flumen etiam nomen sumpsit potius quam a flumine Oppidum, ut vult Barrius. Στύλος quippe columnam sonat. Nunc civitas nobilis, quam aliqui Episcopalem fuisse contendunt. Vide Ughell. Extat ibi imago B. Mariæ Virginis *de Stella* nuncupatæ, quæ summa veneratione colitur, signisque præfulget.

Fuerunt ex hac civitate viri celebres. *Antonius Sabinus* Carthusiensis monachus, sanctæ vitæ vir, cui Deus locum ubi corpus S. Brunonis requiesceret post tot sæcula revelavit. Tutin. fol. 135. & MS. Mart. *Camillus Carnevalius* Episcopus Auriensis MS. Mart. *Claudius* Carthusianus, morum integritate conspicuus. Tutin. *Dominicus Carnevalius*, Latine, Græce, & Hebraice doctissimus, Urbano VIII. apprime charus, ab Innocentio X. Episcopus Isulanus renunciatus anno 1645. Ughell. & Topp. *Dominicus Vigliarolus* Regius Cosmographus celeberrimus. Marafiot. *Joannellus Lazarus* Regis Roberti familiaris MS. Gualt. *Joannes Baptista Carnevalius* Medicus celebris edidit librum *De epidemico strangulatorio affectu* Neapoli 1620. in 4. Vander & Topp. *Joannes Baptista Gregoracius* Poeta tragicus edidit quasdam Tragoedias Topp. *Joseph Comestabilis*, Dux militum in Belgio. MS. Mart. *Ludovicus Franciscus Carnevalius* Regius Auditor. MS. Mart. *Marcus Antonius Comestabilis* Episcopus Bovensis ann. 1669. Obiit anno 1699. MS. Mart. Vide Agrest. in initio vitæ S. Joann.

*Michael Angelus Politus*, Medicus celeberrimus, Neapoli publice docuit. MS. Gualt. *Nicolaus Carnevalius*, Roberto Regi acceptissimus & a Regina Joanna Ciambellanus renuntiatus, ut ex inscriptione quæ extat in Ecclesia SS. Annuntiationis, & MS. Mart. *S.S. Ambrosius* & *Nicolaus* instituti Basiliani. Vide Agrest. in vita S. Joann. *Nicolaus Maria Carnevalius*, Dux militum, Carolo V. & Philippo II. acceptissimus, ut ex inscriptione quæ ex-

extat in gentilitia Capella, &c. MS. Mart. *Nicolaus Petrus de Cæsare* Neapoli Locumtenens, ex quo prodierunt viri celeberrimi, Scipio sub Carolo V. Dux militum, *Octavius* Regius Consiliarius sub Philippo II. & *Camillus* Coronellus sub Joanne de Austria. MS. Mart.. *Petrus Bonus* ex Minimorum familia ab hæreticis in Gallia ann. 1511. trucidatus Flor. & MS. Mart. *Petrus Villaroel* Franciscanæ reformatæ familiæ doctissimus, sanctæ vitæ vir, edidit poema super Joanne de Austria Neapoli 1614. aliaque. Chron. MS. *Stephanus Bardarus* Conventualis in utraque lingua doctissimus, ex Græco in Latinum sermonem transtulit vitam S. Joannis Theristi Bolland. to: 3. 24. Febr. *N. Telesianus* Philosophus multa scripsit pro Telesio Philosopho Consentino contra Peripateticos ann. 1590. MS. P. Oldoini apud Mandosium. *Thomas de Rinaldis* in bello clarissimus sub Carolo V. Imperatore a quo privilegiis auctus est & muneribus, ut ex diplomate die 2. Octobris 1540. In Diœcesi Sylacensi.

4. *Theristi*. A verbo Græco θερίζω *meto* quod hic *Sanctus* segetes plurimas subito ac mirabiliter messuerit. Vide Agrest. in ejus vita.

5. *Stenianum*. Vulgo *Stegnano*. In Diœcesi Scylacensi. Ex hoc loco fuit celeberrimus ille vir THOMAS CAMPANELLA, ingeniorum portentum, Philosophus Telesianus acerrimus. Hic Telesii scripta avide devorans ad totius philosophiæ apicem pervenit. Anno ætatis suæ decimo tertio Dominicanæ familiæ adscribi voluit, ac Theologiæ absoluto curriculo decimo septimo ætatis suæ anno alios docere cœpit. Anno 1593. Neapolim, Romam, ac Pisas docendo percurrit. Anno 1594. S. Inquisitionis jussu Patavii carceribus mancipatus doctrinæ suæ reddita ratione absolvitur, ac libertate donatur. Anno 1598. Calabriam repetit, ubi per biennium spe futuræ libertatis Regno captivitatem molitur. Sed anno 1600. quem Regno fatalem prædixerat, sibi funestum expertus est; cumque alienam libertatem aucuparetur, perdidit suam: nam ann. 1599. per duellionis & hæreseos crimine insimulatus Neapolim ducitur, atque in carcerem conjicitur, ubi vigintiquinque annorum spatio detentus varia opera scripsit. Verum enim vero, cum nec satis crimina probarentur, Pontificem appellavit. Romam translatus post aliquot annos a tribunali sacræ Inquisitionis absolutus fuit ann. 1629. Tum in Galliam Ludovico XIII. acceptissimus se recepit anno 1634. ubi docuit, ac tandem VIII. Kal. Decembris anno 1639. ætatis suæ 71. diem clausit extremum, regiaque pompa sepultus est. Vide Leon. Allat. in Ap. Barberin. Topp. Nicod. Laurent. Crass. Wander de scriptor. medic. Gabriel. Nauder. Nic. Erythr. Thom. Const-Morer. aliosque.

Fuit *Campanella* staturæ proceræ, optimique temperamenti: caput habebat Æsopium, peponis instar variis segmentis distinctum, capillos hispidos, oculosque castaneos. Ejus effigies a celebri artifice Francisco Cozza cive suo ac consanguineo depicta Romæ in Cajetana pinacotheca asservatur. MS. Mart.

Opera ejus impressa sunt hæc: Tomus I. *Philosophia rationalis*, *Grammaticam*, *Dialecticam*, *Rhetoricam*, *Poe-*

*Poeticam & Historiam continens.* Tomus II. *Philosophia realis Physiologiam, Ethicam, Politicam, & Oeconomicam complectens.* Ibidem tractatus est *Civitas solis* nuncupatus, & liber *De Regno Dei*. Item *Politica Ecclesiastica*, atque *Octo Dissertationes pro Telesio adversus Peripateticos*. Tomus III. *Philosophia practica, De sensu rerum, Magia, Astrologia, & Fato*. Tomus IV. *Philosophia communis, Metaphysicam complectens*. Tomus V. *Philosophia Divina, ubi de Theologia, ac de omnibus nationibus triginta libris disseritur*. Tomus VI. *Theologia practica. De conversione Gentium, Judæorum, Maomethanorum, Hæreticorum, Atheistarum, &c.* Tomus VII. *Politica practica. De Monarchia Messiæ &c.* Tomus VIII. *De arcanis astronomicis. De symptomatibus mundi &c.* Tomus IX. *Poemata*. Tomus X. *Miscellanea*. Multa alia opera Campanellæ appinguntur quæ nec ipse somniavit. Vide Topp. & Nicodem.

*Franciscus Cozza* celebris pictor, Campanellæ consanguineus, Romæ varias tabulas depinxit plausu incredibili, quas videre poteris apud Philippum Titum in libro cui titulus *Studio di pittura.* Obiit septuagenario major idibus Januarii ann. 1682. atque in Ecclesia S. Augustini sepultus est. Duæ tabulæ celeberrimæ nempe *S. Mariæ Magdalenæ*, ac *Vulcani* typis consignatæ fuerunt. Nostris vero temporibus *Marcus Antonius Attaffius* Episcopus Scylacensis ann. 1718. *Carolus Consentia* Episcopus Vici Æquensis anno 1732.

6 *Reatium*. Vulgo *Reace*. In eadem Diœcesi.

7. *Virdivallis*, Vulgo *Guardavalle*. Cardinalis Guilelmi Sirleti (de quo mox) opera a Rege Catholico per decennium vectigalibus publicis immunis redditur. MS. Mart. In Diœcesi Scylacensi.

8. *Guilelmo Sirleto*. Paulo latiori calamo de Sirleto jure merito peragendum. Hic inter septem Thomę (qui vixit centum & quinque annos) filios quintus anno 1514. natus est Virdivalle, ut ipsemet in epistola ad Scylacenses infra adducenda testatur. Quare corrigendus Ciaconius qui Styli & Spondanus qui Scylacei natum scribunt. Nec sine prodigio nativitas, in incunabulis enim aspergillum aquæ lustralis mirabiliter nescio quomodo apparuit, quod futuram Sirleti in Ecclesia dignitatem præmonstrabat. Adolescens liberalibus disciplinis, præsertim Græca, atque Hebraica lingua instructus miro quo pollebat ingenio ceteros antecelluit. Neapoli in illustri Equitum Piscitellorum domo, ut ait Spera, aliquando versatus fuit: inde Romam solis sacris Bibliis contentus se recepit, & a Cardinali Cervino Sanctæ Crucis nuncupato, viro doctissimo ac literatorum Mæcenati, qui postea Marcellus secundus summus Pontifex fuit, benigne exceptus, *Sapientissimus Calaber* per Antonomasiam appellabatur. A Paulo III. Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus renuntiatus, ea qua pollebat rerum agnitione quosdam qui Persiæ Regis nuntios se jactabant, literarum patentium ac signorum vitio detecto solus summo Pontifici, ac sacro Collegio aperuit. Domum Cl. Reg. Theatinorum S. Silvestri ad Quirinalem dicti, eisdem acceptissimus, frequentabat. Sancto Caro-

rolo Borromæo, ut ex literis infra adducendis, summa familiaritate conjunctus, in ædibus Vaticanis literaria comitia doctissimorum virorum, quæ *Noctes Vaticanæ* nuncupabantur, instituit. Concilii Tridentini Patribus vel absens summo adjumento fuit, ut videre est ex Epistolis in Vaticana Bibliotheca asservatis. A Pio IV. Protonotarius Apostolicus, & sacro Collegio instante inter S.R.E. Cardinales cooptatus, mox a S. Pio V: anno 1566. S: Marci, quam Ecclesiam invisit, postmodum ann. 1568. Episcopus Scylacensis creatus fuit. Anno 1572. S. R. E. Bibliothecarius, Decreto Gratiani ac sacris libris emendandis, præsertim Catechismi Romani editioni ac Calendarii emendationi summam navavit operam. Templum Neophytorum S: Mariæ ad Montes dictæ ex eleemosynis fidelium ac proprio ære erexit, ut ex inscriptione, quæ ibi extat:

*GREGORIUS XIII. PONT. MAX.*
*TEMPLUM HOC EX ELEEMOSYNIS*
*A POPULO COLLATIS*
*ÆDIFICATUM PRIVILEGIIS*
*EXORNAVIT*
*ET CATECHUMENORUM*
*FAMILIÆ ATTRIBUIT*
*PONTIFICATUS SUI*
*ANNO OCTAVO*
*SAL. HUM. MDLXXX.*
*AUCTORE GUILELMO SIRLETO*
*CARDINALE*
*PIÆ DOMUS PATRONO*
*AC PROTECTORE.*

Tandem tot tantisque laboribus pro Ecclesia Dei exantlatis in febrem incidit; cumque ejus vitæ finis instaret, sacramentis Ecclesiæ rite susceptis, variis orationibus quas jaculatorias appellant ante imaginem Jesu Christi e cruce pendentis se ad ultimum certamen disposuit, dicens: *Cupio dissolvi & esse cum Christo: Quam dilecta tabernacula tua Domine. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit quæ præparavit Dominus diligentibus se. Domine miserere mei sicut scis & vis. Gratias tibi ago Domine, qui ad optatum hoc iter me adduxisti, nec deseruisti in ultimo certamine. In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Atque ita in osculo Domini animam exalavit VI. Idus Octobris 1585. ætatis suæ septuagesimo primo, magna sanctitatis fama. Corpus triduo insepultum mansit, ut confluentibus fieret satis, quod postea in Ecclesia S. Laurentii in Pane & Perna sui Tituli conditum est, ubi inscriptio extat:

*GULIELMO SIRLETO*
*CARDINALI STILII IN CALABRIA*
*NATO HUJUS ECCLESIÆ*
*TITULARI SEDIS APOSTOLICÆ*
*BIBLIOTHECARIO HEBRAICÆ*
*GRÆCÆ LATINÆQUE LINGUÆ*
*PERITISSIMO HUMANARUM*
*DIVINARUMQUE*
*DISCIPLINARUM*
*SCIENTIA CLARO*
*ERUDITORUM AC PAUPERUM*
*PATRONO AC PARENTI*
*BENEFICENTISSIMO*
*OB PROBITATEM EJUS*
*PIETATEMQUE*
*A PIO IV. PONTIFICE MAXIMO*
*SACRO INSTANTE COLLEGIO*
*CARDINALI CREATO*
*VIXIT ANNOS LXXI.*
*OBIIT ANNO MDLXXXV.*

Plurima extant ingenii sui monumenta in Bibliotheca Vaticana, sunt autem hæc: *Variæ lectiones in sacram scripturam. Adnotationes in quatuor Euangelia. Adnotationes in Isaiam. Adnotationes in Apocalypsim S. Joannis. Correctio passionum aliquot Sanctorum. Interpretatio Synodi Constantinopolitanæ. Interpreta-*

*tatio Basilii in Isaiam*. *Interpretatio Orationis Amphilichii*. *Collectio de Oratione Dominica*. *De Symbolo Apostolorum*. *Discursus super Bulla Breviarii*. *Alia de Missali*, & *Breviario*. *Attestationes de officiis Ecclesiæ Conimbricensis & Rituum Capellæ Regis Lusitani*. *Responsio de reform. in Summo Pontifice & Sede Apostolica*. *Excerpta de gestis Polonorum*. *Variæ Collectiones*. *De S. Thoma Apostolo ex Græco*. *De præstantia Basilicæ S. Petri*. *Super Senecam*. *Adnotationes in Psalterium*. *Bibliorum apparatus* ( Hi duo tractatus in lucem prodierunt in Peplo Italiæ lib. 4. sed sub nomine Gabrielis Sirleti) *Correctiones & additiones in Jus Civile*. *Epistolæ tempore Sac. Concilii Tridentini*. *De Monarchia Ecclesiastica*. *Variantes lectiones in Bibliis Regiis Antverpiæ impressis*. *Menologium Græcum* in Latinum versum, a Cardinali Baronio Sirleti in Græcis institutionibus discipulo sæpius laudatum, ut in additionibus ad Martyrologium 3. Januar. aliaque plura. Hujus opera usus est Marianus Victorius in corrigendis restituendisque S. Hieronymi scriptis. Sic enim ait ad Pium IV. in Epistola nuncupatoria: *Adhibuimus præterea in restituendis locis Illustrissimi Cardinalis Gulielmi Sirleti judicium, cui Erasmi vafrities, & imperitia præsertim literarum Græcarum jamdiu compertissimæ erant, ex locis quæ in Testamento novo Erasmum vitiasse, longo labore ipse deprehendit, sicut opus cum vulgatum fuerit, omnibus ostendet*. Ejus bibliothecam, quæ selectioribus codicibus inter alias Europæ celeberrima erat, Ascanius Cardinalis Columna quatuordecim aureorum numorum millibus emit, quæ postea Duci Altemptio, ut Ghilinus fert; inde MS. Petro Cardinali Otthobono, impressi codices variis emptoribus cessere. De Sirleto Vide Ciaccon. Oldoin. Ughell. Moret. Topp. Nicodem. Nic. Erythr. in pinacoth. Ludovic. Don. in ejus vita. Christophor. Ranzov. in epist. ad Georg. Calist. aliosque.

Ut autem tanti Viri virtutes dignis laudibus extolleremus, non abs re putavimus quodammodo ostendere quid ille de suis, quidve alii de illo sentirent, relictisque tot doctissimorum virorum ac Principum elogiis, pauca selegimus omnium præstantissima. Hic itaque subnectimus Epistolam suam qua Scylacenses uti Episcopus complectitur, nunnullasque S. Caroli Borromæi ad Sirletum datas quibus ejus virtutes commendat: quæque in bibliotheca Vaticana asservantur.

## EPISTOLA GUILELMI SIRLETI AD SCYLACENSES.

*Figli, e Fratelli Carissimi. La vostra Lettera delli* 23. *di Giugno in risposta alla nostra mi ha dato grandissima consolatione, e insieme animo di sperare sempre meglio delle RR. VV. che si hanno a portare in quel modo che si conviene a' buoni Sacerdoti, e Chierici, acciò li laici possano regolare con la buona e honesta vita vostra, tutte le attioni loro, pensando che portandosi bene il Clero, può esser causa che il popolo attende alle opere virtuose, & alla salute: come per il contrario è ruina di molti coll'esempio e vita mala. Sicchè le persone clericali hanno a render conto a Dio benedetto in due modi*

di. *Primo della loro vita mala: appresso dello scandalo che danno col loro esempio pessimo. Sicchè mi rallegro di vedervi ben disposti a far quel che l' officio e debito vostro richiede. Spero che la buona opinione che havevo di voi ogni dì si confermerà con li fatti. Quanto al costume che dite essere di dare il caritativo sussidio alli nuovi Prelati, e che per questo desiderate eseguire quanto vi sarà imposto, ringratio assai le RR. VV. dell' offerta, e prontezza di animo; e quanto a questa parte non voglio che in alcun modo si parli: perchè se a quella Chiesa* ( loquitur de Marcopolitana ) *alla quale io ero forastiero, non ho voluto consentire che mi dassero cosa alcuna, quanto meno devo patire che la mia madre non abbia a sentire gravezza della nostra promotione alla sua cura? Ho detto Madre, perchè essendo nato io in Guardavalle, la quale come minima parte della Diocesi di Squillace è mia Padria, e figliuola della detta Diocesi, ragionevolmente son anche io figliuolo. E perche è piaciuto al Signore che da figliuolo sia fatto padre, tanto più devo procurare la utilità de' figliuoli, per far quel che dice l' Apostolo con queste parole:* Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. *Desidero guadagnar voi, non le cose vostre, per dir col medesimo Apostolo:* Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. *Prego la Maestà Divina che mantenghi che possa dire:* Ego autem libentissime impendam, & superimpendam ipse pro animabus vestris. *Il sussidio adunque caritativo sarà che siate ubbidienti alli canoni e decreti de' sacri* Concilj, *e specialmente a quello di Trento, attendendo alla honestà clericale, la quale non solo si mostra coll' habito conveniente, ma ancora colle parole, con l' atti, e gesti, e sopratutto con la vita buona, acciò i laici vedendo le nostre buone opere glorifichino il* Signore. *Mi persuado che in* Squillace *il Clero non sia come hoggidì in molti altri luoghi disordinato circa il mangiare, lussuriare, circa i giuochi, false comedie, & altre brutte usanze. Quando questo fosse bisogna lasciare tutte queste dishonestà, e simili opere vane: perchè altrimenti saremo forzati metter mani alli rimedj, che sono necessarj, e pensiamo di dare ancor noi il caritativo sussidio per la salute dell' anime. Ma spero non bisognerà, essendo tanto ben disposte da se stesse le* RR. VV. *all' esecutione dell' ufficio loro, e la misericordia Divina le concederà che possano essere buoni figliuoli, e a me buon padre a lode e gloria sua, e salute nostra. Da Roma* 10. *di Luglio* 1568. *Il vostro Vescovo e Pastore.* Il Cardinal Sirleto.

## EPISTOLÆ
## S. CAROLI BORROMÆI
### AD CARDINALEM SIRLETUM

*Illustrissimo e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo. Finchè non ho aperto questo Sinodo Provinciale cominciando a ridurne in prove le cose che io haveva divisate, non ho voluto scrivere a VS.* Illustrissima, *giudicando che mi si convenisse più tosto darle conto di qualche attione che de' miei disegni. Hor le fo sapere che a* 15. *ho dato principio al Sinodo con tutte quelle solennità e divotioni, che si richiedevano. E se be-*

*bene io non resto mai di pregare Nostro Signore Dio che voglia drizzare i pensieri, e le opere mie a beneficio della mia Chiesa, e di tutta questa Provincia; non di meno ho eletto di pregare ancor VS. Illustrissima che si contenti di accompagnarmi a questo pio officio, persuadendomi che la sua vita innocentissima & esemplare habbia forza di far non solo udire, ma esaudire le sue orationi. E con questo fine le bacio humilmente le mani. Di Milano alli 17. Ottobre 1565. Di VS. Illustrissima e Reverendissima Humilissim. Serv. Carlo Cardinal Borromeo.*

*Illustrissimo e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo. Le Lettere di VS. Illustrissima m' hanno dato molte cause a conoscere quello che debba considerare in tutti i pensieri le attioni mie, di che la ringratio sommamente. Ho preso gran consolatione intendendo che nel Convento di S. Prassede si trovino Padri di quella bontà e dottrina che mi scrive VS. Illustrissima, e più che la Chiesa habbia quegli Officj, e quel culto si conviene. Ho letto volontieri la essortatione che già fece Monsignor Illustrissimo Contarino di fel. mem. a i Vescovi di Germania, e parmi che sia come una imagine dell' anima di quel Signore pieno di pietà Christiana, e di buon zelo nel servitio di Nostro Signore Dio. Poichè veggo che la Santità di Nostro Signore ha piacer di havere spesso VS. Illustrissima, me ne rallegro seco infinitamente; perchè spero che ogni dì ne habbia a sentir contentezza. E con questo fine le bacio humilmente le mani. Di Milano a 27. Ottobre 1565. Di VS. Illustrissima e Reverendissima. Humilissimo serv. Carlo Cardinal Borromeo.*

*Illustrissimo e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo Ringratio VS. Illustrissima dell' informatione che mi ha dato di quel Prete Calabrese sfratato, il quale ho subito dato ordine che sia rivocato da una Cura dove io l' havevo posto, indotto dalla sufficienza ch' egli mostra, della quale si ha tanto bisogno in questi nostri paesi di quà. Si vedrà di persuaderlo a rientrare nella Religione, e quando non voglia farlo, si manderà per i fatti suoi. Ho poi letto il resto della lettera di VS. Illustrissima con quell' attentione e gusto che si conviene alli pii, dotti, e fruttuosi discorsi suoi: oltrechè l' essere stato molto tempo a digiuno me gli ha fatto gustare tanto più saporitamente. E non è un mese che io havevo a punto nelle mani quella Epistola di S. Bernardo al Clero e popolo Milanese, la quale VS. Illustrissima mi lauda tanto in quel suo poi scritto, sicome veramente è bella, e degna di esser molto ben considerata. Resta che io le renda gratie come fo della memoria che tiene di me nelle orationi sue, nelle quali m' ingegnerò così debole come sono di contracambiarla in qualche parte. Scrivo a Monsignor Illustrissimo di Como, e la lettera sarà qui allegata ed aperta, che faccia cercare quella lettera del Re di Polonia, e ne dia copia a VS. Illustrissima, alla quale con questo fine humilmente mi raccomando, dandole avviso come già un mese mi trovo fuori nella Diocesi in visita verso le parti de' Svizzari e delle montagne di S. Gottardo. Di Clario alli 26. d' Ottobre 1567. Di VS. Illustrissima e Reverendissima Humilissimo serv. C. Card. Borromeo.*

Il-

*Illustrissimo e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo.* Io *farò parte a Monsignor Buonhomini dell' Homilia di* S. *Giovan Grisostomo che VS.* *Illustrissima m' ha mandato in più volte, poichè Ella se ne contenta per la sua lettera di* 26. *del passato.* Il *che non ho voluto far prima havendo in memoria il comandamento di VS.* *Illustrissima, ancorchè io sapessi quanto il predetto Monsignore le sia confidente.* Con *questa occasione le do nuova del mio ben stare per gratia del* Signore, *il simile desiderando che sia lungamente di VS.* *Illustrissima e la supplicarò, che venendole fatta alcun' altra traduttione, si degni al solito farmi favore di mandarmela: e le desidero da Nostro Signore Dio ogni vero contento, e le bacio le mani. Di Milano a* 16. *Marzo del* 69. *Di VS.* *Illustrissima e Reverendissima Humiliss. Serv.* Carlo *Card. Borromeo.*

*Illustriss. e Reverendiss.* Sig. mio *Osservandiss. Questa sarà per visitare VS.* *Illustrissima con occasione della venuta di Monsignor* Jeoponto *nostro, al quale ho commesso quest' officio. Però da lui potrà intendere del stato mio, e di haver un lungo ragguaglio delle cose di quà, massime dell' accidente mio ultimo, e della protettione che Dio Nostro Signore ha tenuto di me in quell' occasione.* On*de invito* VS. *Illustrissima a darne meco laude a sua Divina Maestà sicome so che le orationi sue hanno havuto parte nell' impetratione di questa gratia; e humilmente me le raccomando, e bacio le mani. Di Milano a* 3. *Decembre del* 69. *Di* VS. *Illustrissima, e Reverendissima Humilissimo serv. Carlo Cardinal Borromeo.*

In relata Epistola S. Carolus De igneo globulo, quo nefariorum opera percussus, ac divina virtute servatus fuit, intelligit: quod accidit VII. Kal. Novembris 1569. ut in ejus vita.

*Illustrissimo e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo. Quel povero Neofito di cui mi scrisse* VS. *Illustrissima fu condannato alla galera dal mio* Vicario *per cinque anni già molti dì sono. E quando non fusse il mal esempio, e scandalo che si darebbe a liberar costui che è andato tanto tempo questuando con Bolle false, e vivuto così notoriamente di simili rubbamenti, veramente la compassione de' molti figli che ha, e delle miserie sue mi havrebbe fatto inclinare ad altra risolutione, massime dopo la ricevuta della lettera di VS.* *Illustrissima. Ma in effetto non havendo costui altr' arte onde sostentar sè, e li figliuoli; ed essendosi così habituato, sarebbe molto da temere che oltre il mal esempio sopradetto non havesse da ammaestrare anco li figliuoli nella medesima arte.* Per *il che non veggo come io possa per giustitia far altra determinatione. E qui facendo fine, a VS.* *Illustriss. humilmente mi raccomando. Di Milano a* 25. *d' Aprile* 1571. *Di VS.* *Illustriss. e Reverendiss. Humiliss. serv. Carlo Card. Borromeo.*

*Illustriss. e Reverendiss. Signor mio Osservandiss. Havendo inteso la morte del Fratello l' ho compatito humanamente, sapendo l' amor singulare che era fra di loro, e la consolatione, che Ella riceveva della compagnia sua. Onde mi sono imaginato a questo caso di vedere VS.* *Illustriss. posta in quella tenerezza che si leg-*

*legge di S. Ambrogio per la morte di S. Satiro suo fratello, e che dall' altra parte s' haveva proposto l' esempio di quel santo Vescovo nel ricevere con molta tranquillità d' animo questo accidente dalla mano di Dio benedetto, servendosi anche di questa occasione per unirsi più vivamente con sua Divina Maestà, dalla quale prego a VS. Illustriss. ogni compita consolatione di spirito, & humilmente me le raccomando. Di Milano il primo di Febraro 1576. Di VS. Illustriss. e Reverendiss. Humiliss. serv. Carlo Card. Borromeo.*

Fuerunt ex Virdivalle & alii viri celebres. *Camillus Salernus* in bello clarissimus sub Carolo V. & Philippo II. Vixit annos centum ac tredecim: obiit mense Martio 1627. MS. Mart. *Marcellus Sirletus* ejusdem Guilelmi fratris filius, Græcis Latinisque literis apprime eruditus, Episcopus Scylacensis, pietate & miraculis clarus. Ughell. & Maraf. *Fabricius Sirletus* ejusdem Cardinalis ex fratre nepos Latine, Græce, & Hebraice instructus Episcopus Scylacensis a Clemente VIII. Cardinale Baronio instante renuntiatus V. Idus Aprilis 1603. Hic Ecclesiam S. Carolo Borromæo, ejus patruo ut adnotavimus familiarissimo, sacram a fundamentis erexit: Ecclesiasticæ libertatis defensor acerrimus fuit. Bibliothecam selectissimorum codicum summo labore sibi comparavit, quæ Romam aliquando allata Francisco Cardinali Barberino cessit. Obiit V. Idus Aprilis 1635. & in eadem Ecclesia S. Caroli sepultus est. Ughell. & MS. Mart. *Scipio Sirletus* Jurisconsultus celebris Urbano VIII. atque Innocentio X. acceptissimus. Obiit Romæ ann. 1635. & in Ecclesia S. Francisci de Paula ad Montes dicti sepultus. MS. Mart. *Thomas Sirletus* Guilelmi itidem ex fratre nepos Latinis & Græcis literis instructus, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, mox Episcopus Scylacensis ann. 1594. sanctæ vitæ vir. Ughell. *Hieronymus Sirletus* Guilelmi frater doctissimus, Bibliothecæ etiam Vaticanæ Præfectus, ubi varia ingenii sui monumenta asservantur. Obiit ann. 1576. ut ex Epistola S. Caroli. *Guilelmus Sirletus* alter, Dux militum in bello Hydruntino S. Francisco Paulitano acceptissimus, quem invisit Paterni cum sacras candelas populo dispensaret. Vide Joan. Vaz in orat. funeb. Card. Sirleti Vincentio Card. Laureo dicat.

*Franciscus Galeotta* Dux militum obiit Tortonæ circa ann. 1640. MS. Mart. *Franciscus Tirotta* Episcopus Scylacensis anno 1665. MS. Mart. *Joannes Bernardinus Galeotta* Dux militum in Belgio ex eod. *Hieronymus de Balzo* pluries Romæ senatoria toga insignitus, nempe ann. 1606. & 1616. ut ex regestu Capitolino fol. 251. & 115. sed sub nomine *Hieronymi Sirleti*, erat quippe Guilelmi sororis filius. Obiit Romæ VI. Id. Junii 1626. & in Ecclesia S. Jacobi sepultus est, ubi hæc inscriptio legitur:

D. O. M.
HIC RECONDITA SVNT OSSA
HIERONYMI DE BALZO DE SIRLETIS
EX SORORE NEPOTIS
GVILIELMI CARDINALIS SIRLETI
AD EXPECTANDAM VOCEM ILLAM
SURGITE MORTUI
ET
VENITE AD JUDICIUM
OBIIT HOC ARCHIHOSPITALI
HEREDE RELICTO
DIE VIII. JUNII MDCXXVI.

Jo.

*Joseph Rossi* Rosarni Abbas; scripsit quædam de lingua Latina MS. Mart. *Ludovicus de Rinaldis* Guilelmi Sirleti sobrinus, Caroli V. Imperatoris a Secretis, muneribus ac diplomate III. Id. Julii 1541. auctus MS. Mart. *Scipio de Rinaldis* Dux militum in Belgio ann. 1603. MS. Mart. *Thomas* Dominicanæ familiæ laicus sanctæ vitæ vir, obiit Soriani in terræmotu cum aliis superius allatis ann. 1659. MS. Mart. Vivit modo Romæ *Guilelmus Sirletus* eruditione conspicuus, amicus noster.

9. *Cocinthum promontorium*. Nunc vulgo *Capo di Stilo*, quasi חק כתים *Choq Citthim*, idest *terminus Cittheorum* ut ait Samuel Bochartus; Veteres appellabant extremum Italiæ promontorium, de quo Polybius lib. 2. Plinius etiam medium ponit Lacinium inter & Leucopetram lib. 3. cap. 5. Ibid. cap. 10. *Cocinthum esse longissimum Italiæ promontorium aliqui existimant*. Et in Antonino *Cocinthum* Oppidum XXII. M. pass. distat a Scylace, vel Scylacio, hodie *Squillaci* חוק *Choq* pro *termino* reperitur Job. 26. 10. Prov. 8. 29. &c. Nec desunt qui Romanos & Latinos asserunt a *Cittis* vel *Cetiis* traxisse originem; atque hanc illis fuisse priscam appellationem. Eusebius Κίτιοι, ἐξ ὧν Λατῖνοι, οἱ καὶ Ῥωμαῖοι. *Citii* populus, *ex quo Latini, qui & Romani*. Chronicon Alexandrinum Κίτιοι ἐξ ὧν Ῥωμᾶιοι, οἱ καὶ Λατῖνοι. Suidas Λατῖνοι, οἱ νῦν Ῥωμαῖοι. Τήλεφος γὰρ υἱὸς Ἡρακλέους ὁ ἐπικληθεὶς Λατῖνος μετωνόμασε πάλαι Κητίους λεγομένους νῦν Λατίνους. *Latini, qui nunc Romani. Telephus enim Herculis filius cognomento* Latinus *eos qui olim Cetii vocabantur, mutato nomine Latinos nominavit, ut nunc vocantur*.

Quinimo in ipsa voce *Chittim* Latinorum nomen latet. Etenim *Latium* a latendo dici plerique consentiunt. Sic Herodianus lib. 1. Saturnum narrat apud Janum κρυπτόμενον λαθεῖν ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα δοθῆναι τῷ χώρῳ τῆς Ἰταλίας *absconditum latuisse, unde & nomen* Italiæ *loco inditum*, nempe Latio ut statim additur. Eutropius lib. 1. *Hic Saturnus quia in Italia latuit, ab ejus latebra* Latium *appellata est*. Ovidius in Fastis lib. 1.

*Et dicta est Latium terra latente Deo*.

Virgil. lib. 8. Æneid.

*Latiumque vocari*
*Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris*.

Varro autem Latium dici putat, quod latet Italia inter præcipitia Alpium & Apennini. Latii autem vox, quæ a latendo deducitur efficta fuit ad instar Hebrææ כתים *Chittim*. Nam Arabica dialecto, quæ Hebrææ ramus est, כתם *Chatema* est *abscondere & Chetim* est *occultus, latens*. Hac voce nihil frequentius in sacris paginis. Prov. 60. & 115. Ps. 50. 74. Luc. 1. 24. & cap. 8. 17. & alibi passim.

*Chettim*, vel *Chittim* veteres scribunt. In Latio occurrit urbs Κέτια *Cetia* apud Halicarnasseum lib. 8. una e septem urbibus a Coriolano captis. Vide Plutarch. in ejus vita. Circa Cumas Κετὸς *Cetus* fluvius, in quo tradit Aristoteles lib. de mirabilibus plantas ἀπολιθοῦσθαι *lapidescere*. Unde Cetum colligas eum esse fluvium, quem alii *Silarum* vocant. Nam de Silaro Campaniæ amne idipsum referunt Strabo in fine lib. 5. Plin. lib. 11. cap. 103. & Silius Italicus lib. 8. vers. 582. Hæc Bochartus.

SER-

(2) *Monasteracum*, Mistra olim, quod non recipio, nec damno.

# CAPUT XVI.

## *De Catharena, & Badolato Oppidis, eorumque Pagis, & Vicis.*

POst Cocinthum promontorium ad sextum lapidem (1) *Catharena* oppidum offertur edito loco, distat a mari m. p. quatuor. In hoc agro sal fossile nascitur, & rubrica fabrilis, nascuntur & cappares, provenit terebinthus, fit gossipium & sesama, fiunt olea, & mella nobilia, oritur cistus & hypocistus, & aliæ nobiles herbæ. Hic panni fiunt ex lana coloria nigri coloris haud ignobiles, fiunt enim multis modis ex stamine sericeo, vel gossipino, vel lineo, & subtegmine laneo: Item panni gossipini tenues, quibus mulieres peplis utuntur. Inde (2) *Badolatum* oppidum sese offert edito loco a vadome verbo Græco, quod diligo significat, quod is locus dilectione dignus sit: secundum oppidum *Bruda* fluvius labitur, abest a Catharena m. p. tribus a mari duobus. In hoc agro gossipium & sesama fiunt, item vina olea & mella, & serica insignia, provenit terebinthus. Fiunt hic & gossipini panni quales Catharenæ. Sunt in hoc agro pagi (3) *Andreas* & *Isca*. Non procul ab oppido *Calipparus* amnis navigabilis fluit. Inde *Alaca* fluvius alter labitur. Dehinc (3) (*a*) *Satrianum* oppidum occurrit edito loco, *Cæcinum* olim dictum, distat a freto m. p. quatuor, a Badolato decem, quod Cæcinus amnis navigabilis adlabitur. De Cæcino oppido meminit Mela, qui ipsum in Scylatico sinu ponit: de Cæcino fluvio meminit Plinius, qui in hoc sinu, inquit, amnes navigabiles sunt Cæcinus, Crotalus, Semiris, Arocha, Targines ' Item Stephanus, Cæcinum inquit, oppidum & fluvius, meminit & Thucidides libro tertio, ubi ait: „ Laches & Atheni- „ enses egressi e navibus nonnulla in loca Locridis juxta Cæcinum „ amnem Locrenses ad arcendam vim occurrentes cum Proxeno Ca- „ patonis filio circiter trecentos ceperunt, detractisque armis abie- „ runt „. Ad Cæcinum amnem, ait Pausanias, Euthymus apparere desiit. Hic mel optimum fit, & gossipium & sesama, nascitur terebinthus, & gypsum e terra foditur. In hac orientali Calabriæ ora, ut semel atque iterum ac tertio dixi, passim & ubertim provenit terebinthus, & vitex, & tamarix, & oleander, & lentiscus. Sunt in hoc agro pagi *Sestum*, & *Daulum*, quod pingue sonat. " Mare hoc, piscosum est, ubi pisces multigeni capiuntur & affatim, ut locus quidam a sagena, *Sagenarius* appellatur ab accolis ". Post Cæcinum *Galeatum* vicus est. Inde *Petritium* castellum salubri loco situm cum vino & melle optimis, abest a mari m. p. tribus. Hic etiam terebinthus provenit. Non longe est *Claravallis* castellum alterum cum linis optimis non cedentibus Alexandrinis. " A quo m. p. tribus est *Turris* oppidulum ".

Inde

Inde est (5) *Suberatum* castellum supra mare paululum, edito loco, quod *Beltrana* fluvius præterfluit, abest a Cæcino m. p. quatuor: in æde divæ Mariæ beati Francisci Sapanensis corpus quiescit. Sunt in hoc agro pagi *Argustum*, " ubi Beati Hilarionis reliquiæ quædam asservantur ", & *Cardinalum* cum linis optimis, qualia fiunt Claravalli, fit & caseus optimus, extant & horti nemorosi citrorum, limonum, & malorum aureorum. " In hoc agro Campus est qui *Saginarius* a pinguedine soli ab accolis vocatur, quod fertile sit, ubi stolidum vulgus Locrenses cum Crotoniatis conflixisse opinatur ". Inde est (6) (*b*) *Montipaonum* tenue oppidum, distat a Suberato p. m. duobus, a freto milliario. Hic juxta Meliteum fontem quercus est nunquam folia dimittens." Fit sesama, & oleum non vulgare".

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Catharena*. Vulgo *S. Caterina*. Ex hoc loco fuit *Eusebius* instituti Capuccinorum sanctitate conspicuus. Chron. ann. 1537. *Petrus Jacobus Favilla* Jurisconsultus Ferdinando Imperatori acceptissimus, ut ex diplomate prid. Id. Martii 1642. MS. Mart. *Petrus* Dominicanæ familiæ Pictor celeberrimus, Pinacothecam Conventus SS. Mariæ super Minervam depinxit, & in eadem Ecclesia sepultus est majorum nostrorum ætate.

2. *Badolatum*. A Græco ut opinor Βάθος, *profunditas*, & Λαθὼν *qui latuit* a λήθω, seu λανθάνω *lateo*. Est enim oppidum hoc rupibus circumseptum. Hinc fuerunt *Dominicus Longus* eruditissimus, edidit quandam Apologiam Neap. 1638. in 4. Vide Topp. *Franciscus* & *Gaspar Toralti* in bello clarissimi. Flor. *Joannes* Franciscanæ familiæ strictioris observantiæ in Palæstina pro fide catholica strenuam navavit operam. Item *Justinus* & *Thomas* sanctæ vitæ viri. Chron. MS. ann. 1680. *Joannes Dominicus Coscia* Neapoli primarius Jurisprudentiæ Cathedraticus. Obiit 3. Id. Augusti 1649. & in Ecclesia S. Dominici de Soriano sepultus. Prodierunt postmodum ann. 1652. sub ejus nomine quædam Dissertationes. Vide Topp. *Julius Berlingerius* Jurisconsultus Neapoli itidem publicus Cathedraticus, postea Congregationem Oratorii ingressus, multa scripsit. Obiit anno 1627. Topp. *Laurentius Loyerius* Dominicanæ familiæ edidit Rosarium Santiss. Nominis Jesu, Neapoli 1627. Topp. *Aloysius Braccius* in memoriæ arte celeberrimus. MS. Gualt. *Octavius Sanctacrucius* eruditione clarissimus. Topp. Vivit modo *Franciscus Maria Loyerius* ex Episcopo Umbriaticensi Episcopus Neocastrensis anno 1731. In Diœcesi Scylacensi.

3. *Andreas*. Vulgo *S. Andrea*. A quodam Andreano ann. 1094. extructus. Vide Flor. In ead. Diœcesi.

4. *Satrianum*. Quo tempore hoc nomen *Cæcino* impositum fuerit, incompertum habeo. Ex hoc loco fuit *Fabius Hermogida* Philosophus & Medicus præstantissimus circa ann. 1568. MS. Gualt. *Julius Cæsar Destitus* Soc. Jesu doctissimus, edidit quædam, ut ait Toppius, qui tamen

Apulum immerito credidit.

5. *Suberatum*. Patria *Jacobi* instituti Capuccinorum sanctitate conspicui. Amat.

6. *Montipaonum*. Nonnulli autumant *Aurunco* oppido vetustissimo successisse, alii verius negant, cum anno 1090. ex monumento in archivo Scylacensi asservato de utroque oppido mentio fiat. Vide Tutin. in prospect. In ead. Dioecesi.

## SERTORII QUATTRIM. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Satrianum*. Olim *Cæcinum* dictum.

(*b*) *Montipaonum*. Auctor Annalium *Montipalonium*.

# CAPUT XVII.

## *De Scylaceo Civitate, ubi de Cassiodoro ad quem Theodoricus Rex misit Epistolam hic insertam.*

EXinde est (1) SCYLACEUM, civitas nobilis & vetustissima, sedes Episcopalis, edito ac natura munito loco sita, " pensilis est, & orientem solem spectat", undique rupibus vallata inter duos amnes, qui subtus urbem in unum coeunt, abest a freto m. pass. tribus, ab Auxoniis, aut ab Œnotriis condita, & inde ab Atheniensibus colonia deducta. Quandoquidem, ut sæpe dictum est, Auxonii in utraque Calabriæ ora multas condidere urbes, inde Œnotrii ea potiti, urbes crebras & parvas construxerunt. Postea Athenienses, & Phocenses, & Philoctetes, & Idomeneus complura oppida in Calabria aut ædificaverunt, aut colonias deduxerunt. De hac autem urbe ita Strabo scribit., " Scylletium Atheniesium colonia, qui Mnestei comites fuere. Hoc tempore Scylaceum vocatur. Tenentibus autem Crotoniatis, Dionysius Locris terminum statuit". Ab urbeque sinus ipse Scylaticum nomen accepit. Qui ad Hipponiatem sinum isthmum, quem diximus, efficit. Conatus est autem Dionysius isthmum illum mœnibus munire, in ea expeditione, quam contra Lucanos suscepit. Verbo quidem ut intra isthmum habitantes redderet adversus barbaros tutiores, re autem vera, ut communem Græcorum invicem concordiam dissolveret, & securius interiores suo subderet imperio. Verum exteriores incursione facta vetuerunt. Mnesteus autem, cujus comites hanc urbem coloniam deduxerunt, rex fuit Atheniensium electus, Theseoque suffectus. Qui Ilium in expeditione Græcorum est profectus, ut Plutarchus in Theseo scribit. Plinius etiam ait. " Sinus & Scylaceum, quem occurrens Terinæus sinus peninsulam efficit, & in eo portus, qui vocatur Castra Annibalis, nusquam angustiore Italia xx. m. pass. latitudo est". Id etiam Strabo & Aristoteles asserunt. " De hac urbe meminit Maro lib. 3. Æneid. Signabant Scylatici in de-

denario Mercurium galeatum, & ex altera parte rostrum navis, fortasse quia maritimam mercaturam exercebant ".

Fuit Scylaceum Romanorum Colonia, ut C. Vellejus Paterculus lib. primo scribit. Ex hac Urbe fuit (2) CASSIODORUS, vir & Doctrina & Sanctitate perspicuus. Ex epistola enim Theodorici Regis ad Cassiodorum lib. primo liquet ipsum fuisse Calabrum, quippe qui ejus virtutes describens & laudes, Siciliam, quam illi gubernandam tribuerat, peregrinam illi provinciam; Calabriam vero, quam ei postea regendam tradidit, natale solum, patriamque dicit, ubi illius consanguinitas, quam ipse parentelam appellat, erat. Ipse vero Cassiodorus in Epistola quæ est ad Maximum Præpositum & ad Anastasium, clare ostendit se esse Scylacensem. Ad Maximum enim scribens Scylacei patriæ suæ, suique ruris, ac vivariorum laudes describens, queritur cives suos Scylacenses ab ipso vexari; atque se eo magis eorum vexatione commoveri dicit, quod & Præses esset provinciæ, & civis Scylacensis, quare patriotica cogi se affectione commoveri. Quamobrem præcipit illi ne de cetero ipsos infestet. Et ad Anastasium scribens, jubet ut ad se vinum, & caseum Scylacenses, quos magnopere laudat & non alterius loci mittat; *Nam*, inquit, *falli non possumus*, *quia patriotica charitate retinemus*. Libuit hic regis epistolam innectere, quæ hæc est: „ Cassiodoro viro illustri atque patricio Theodoricus
„ Rex. Quamvis proprio fruatur honore quod est natura laudabile, nec
„ desunt probatæ conscientiæ fasces, cum generant animo dignitates.
„ Omnia siquidem bona suis sunt juncta cum fructibus. Nec credi potest
„ virtus, quæ sequestratur a præmio: tamen judicii nostri culmen excel-
„ sum est, quoniam qui a nobis provehitur præcipuis plenus meritis existi-
„ matur. Nam si æquabilis credendus est, quem justus elegerit, si tem-
„ perantia præditus, quem moderatus ascivit, omnium profecto capax
„ potest esse meritorum, qui judicem cunctarum meruit habere virtu-
„ tum. Quid enim majus quæritur, quam ubi invenisse laudum testimo-
„ nia, ubi gratificatio non potest esse suspecta? Regnantis quippe
„ sententia judicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur
„ animus domini potestate munitus. Repetantur certe quæ te no-
„ stris sensibus infuderunt, ut laboris tui fructum capias, ut nostris
„ animis singula suaviter inhæsisse cognoscas. In ipso quippe imperii
„ nostri devotus exordio, cum adhuc fluctuantibus rebus provincia-
„ rum corda vagarentur, & negligi rudem dominum novitas ipsa pa-
„ teretur, singulorum suspicantium mentes ab obstinatione præcipiti
„ deviasti, culpam removens illis, nobis necessitatem subtrahens ultio-
„ nis. Egit salubris persuasio, quod vehemens non poterat emenda-
„ re districtio. Lucratus es damna provinciæ, quæ meruit sub de-
„ votione nescire. Ubi sub præcincto Marte civilia jura custodiens,
„ publica privataque commoda inavarus arbiter æstimabas. Et pro-
„ prio censu neglecto, sine invidia lucri, morum divitias retulisti, ex-
„ cludens vel querelis aditum, vel derogationibus locum. Et unde vix
„ solet reportari patientiæ silentium, voces tibi militavere laudantium.
„ Novimus enim testante Rullio Siculorum natura quam sit facilis ad
„ querelas, ut solita consuetudine possint judices etiam de suspitioni-

 bus

„ bus accusare . Sed nos nec eorum præconiorum fine contenti , Lu-
„ caniæ & Brettiorum tibi dedimus mores regendos , ne bonum quod
„ peregrina provincia meruisset , genitalis soli fortuna nesciret . At
„ tu consuetudine devotiones impendens eo nos obligasti munere , quo
„ tibi putabamus omnia reddidisse . Inde ampliando debitum, unde cre-
„ di poterat absolutum. Egisti te per cuncta judicem totius erroris ex-
„ pertem, nec invidia quenquam deprimens, nec gratia blandientem sub-
„ limans . Quod cum ubique sit arduum , tamen sit in patria
„ gloriosum , ubi necesse est , aut gratiam parentela provocet , aut
„ odium longe contentiones exasperent . Oblectat igitur actus præ-
„ fecturæ recolere totius Italiæ notissimum bonum , ubi cuncta pro-
„ vida ordinatione disponens , ostendisti quam leve sit stipendia sub
„ judicis integritate deprehendere . Nullus graviter intulit quod sub
„ æquitate persolvit . Quia quicquid ex ordine tribuitur, dispendium
„ non putatur . Fruere nunc bonis tuis , & utilitatem propriam ,
„ quam respectu publico contempsisti , recipe duplicatam . Hæc est
„ enim vitæ gloriosæ commoditas, dominos esse testes , cives habere
„ laudantes. His ergo tot amplissimis laudibus incitati Patriciatus ti-
„ bi apicem justa remuneratione conferimus , ut quod aliis est præ-
„ mium , tibi sit retributio meritorum . Multæ summæ vir felicitate
„ laudabili . Qui ad hanc vocem dominantis animos impulisti, ut bo-
„ norum tuorum potius fateremur esse quod credimus . Sed hæc di-
„ vino perpetrata auxilio, ut cum hæc pro remuneratione tribuimus,
„ ad meliora iterum tuis meritis exigamur „ ". Et lib. tertio multa
scribit de laude Cassiodori ".

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Scylaceum*. Aliis *Scyllacius*, *Syllatius*, *Scyllatium*, *Scylletium*, Σκυλλήτιον, ut tradit Plin. lib.3. cap. X. Aliis *Squillacum*, *Scyllaceum*, *Scyllaceon*; & *Scylacæum*. Virg. 3. Æneid.

*Caulonisque arces , & navifragum Scylacæum*

Valer. Flac. lib. 3. vers. 36.

*Spumosaque legunt fracta Scylacæon ab unda*

Tametsi alii legant, *Fracta Scyllaceon unda*. Hinc nominis affinitate decepti pro *Scylaceo*, *Scyllæum* aliud oppidum prope Rhegium nonnulli scripsere . Alii dicunt Ulyssem post naufragium in Italia de navium fragmentis civitatem ibi fecisse, quam *Scylaceum* nominavit : Ita Servius ἀπὸ τῶν σκύλων scilicet τῶν νηῶν , qui locus satis ostendit Σκυλάκεον esse scribendum cum unico λ, ac propterea longe diversum a Scyllæo Oppido ἀπὸ τῆς Σκύλλης . Ideoque signabant navem in numis, non a mercatura ut vult Barrius . Vide Salmas. in Solin.

2. *Cassiodorus* . Aliis Magnus Aurelius Cassiodorus , aliis Marcus Aurelius, Scylacei natus anno 475. Sub Odoacre primo Italiæ rege, annos circiter sexdecim agens, Comes privatarum rerum & donorum anno 491. creatur . Sub Theodorico monasterio Vivariensi Scylacei anno 494. extructo in Siciliam trajecit, eamque in ordinem redegit . Romam inde rediens, Theodorici a secre-

cretis, mox Præfectus Lucaniæ, & Brettiorum circa ann. 500. Hinc Quæstor, Magister officii, & Præfectus Prætorio; anno circiter 504. Patritius; anno 514. Consul ac Senator creatur. Sub Atalario regni gubernacula suscepit anno 526. Iterum Quæstor, & Præfectus Prætorio circa annum 528. Sub Theodato a secretis, & tertium Præfectus Prætorio, anno scilicet 534. Liguriæ penuria laboranti anno 537. providit. Sub Witige eodem anno in Præfectura confirmatus, iterum Quæstor, & Præfectus Prætorio circa ann. 538. Tunc temporis rebus mundi abdicatis cum annum ageret sexagesimum quartum, monachus fit in monasterio Vivariensi, ubi Abbas fuit, & Dionysium Exiguum monachum doctissimum socium habuit; ac tandem VII. Kal. Octobris 575. centenarius, doctrina & sanctitate conspicuus diem clausit extremum. Hoc de eo singulare & plane admirabile existimatur, quod sub quinque regibus Ariana labe infectis nihil nisi Catholicum unquam sapiit. Hic lucernas mirabili artificio ad monachorum commodum concinnavit, ut ipsemet fatetur in tractatu de Institutione Divinarum Lectionum cap. 30. *Paravimus etiam nocturnis vigiliis mechanicas lucernas conservatrices illuminantium flammarum, ipsas sibi nutrientes incendium, quæ humano ministerio cessante, prolixe custodiant uberrimi luminis abundantissimam claritatem, ubi olei pinguedo non deficit, quamvis flammis ardentibus jugiter torreatur*. Vide Joann. Garetium in ejus vita, Baron. Bellarmin. de script. Ecclesiast. Bolland. 17. Martii Natal. ab Alexand. Topp. aliosque.

## CAPUT XVIII.

### *Cassiodori testimonium de Scylaceo Patria sua, ubi mirabile quoddam de Arethusæ fonte.*

IPse vero Cassiodorus libro duodecimo in epistola ad Maximum præpositum de laude Scylacei patriæ suæ & ruris sui scribens sic ait:
„ Scylaceum prima urbium Brettiorum, quam Trojæ destructor
„ Ulysses creditur condidisse, irrationabiliter dicitur præsumentium ni-
„ mietate vexari, quod nobis præsidentibus non oportuisset assumi: quia
„ læsiones ejus cogimur plus dolere, dum patriotica nos probetur affe-
„ ctione contingere. Civitas supra sinum Adriaticum constituta in mo-
„ dum botrionis pendet in collibus, non quod difficili ascensione turgescat,
„ sed voluptuose campos virentes, & cærulea maris terga respiciat. Hæc
„ nascentem solem ab ipsis cunabulis intuetur, ibi ventura dies non præ-
„ mittit auroram, sed mox ut oriri cœperit lampadem suam vibrans
„ fulgor ostendit. Gaudentem respicit Phœbum, propria illic luminis
„ claritate resplendet, ut ipsa magis Solis putetur esse patria. Rhodi
„ opinione superata, fruitur luce perspicua. Aeris quoque tempera-
„ tione dotata, apricas hiemes, refrigeratas sentit æstates, & sine
„ ali-

„ aliquo mœrore transigitur, ubi infecta tempora non timentur. Hinc
„ & homo sensu liberior est, quia temperies cuncta moderatur. Patria
„ siquidem fervens leves efficit, & acutos; frigida tardos, & subdolos;
„ sola temperata est quæ mores hominum sua qualitate componit.
„ Hinc est quod antiqui Athenas sedem sapientum esse dixerunt,
„ quæ aeris puritate peruncta lucidissimos sensus ad contemplativam
„ partem felici largitate præparavit. Nunquid enim tale est corpori
„ aquas cœnosas sorbere, quale perspicuitatem lucidissimi fontis
„ haurire? sic animæ vigor oneratur, dum spiritu graviore compri-
„ mitur. Subjacemus enim necessario talibus rebus, quando nubilo
„ tristes efficimur, & iterum naturaliter ad serena gaudemus: quia cæle-
„ stis animæ substantia ad infecta quæque tristetur, & purissima lætetur.
„ Fruitur marinis quoque copiosa delitiis, dum possidet vicina quæ
„ nos fecimus claustra Neptunia. Ad pedem siquidem Moscii mon-
„ tis saxorum visceribus excavatis, fluenta Nerei gurgitis decenter im-
„ misimus, ubi agmen piscium sub libera captivitate ludentium &
„ delectatione reficit animos, & admiratione mulcet obtutus. Currunt
„ avidi ad manus hominum, & antequam cibi fiant, escas expetunt.
„ Pascit homo delicias suas, & dum habet in potestatem quod capiat,
„ frequenter evenit, ut repletus omnia derelinquat. Spectaculum
„ quoque pulcre admirantium non adimitur in civitate sedentibus.
„ Cernuntur affatim copiosæ vindemiæ, arearum pinguis tritura
„ conspicitur, olivarum quoque virentium vultus aperitur. Non
„ eget aliquis agrorum amœnitate, cui datum est de urbe cuncta con-
„ spicere. Hanc quia modo non habet muros civitatem credis rura-
„ lem, villam judicare possis urbanam, inter utrunque posita copio-
„ sa noscitur laude ditata. Hanc dum frequenter invisere desiderant
„ commeantes, dum tædia laboris refugere cupiunt, amœnitate civi-
„ tatis in veredariorum & annonarum præbitione propriis cives fati-
„ gantur expensis. Quapropter ne lædat urbem amœnitas sua, aut
„ res præconii fiat causa dispendii, veredariorum & annonarum præ-
„ bitionem secundum evectiones concessas, in assem publicam consti-
„ tuimus imputari. Pulveratica quoque judicis funditus amputantes,
„ trium tantum etiam dierum præsulibus annonas præberi secun-
„ dum vetera constituta decernimus, suis expensis facta tarditate ve-
„ cturæ. Leges enim administrantes, remedio non oneri esse volue-
„ runt. Qua de re æquitatis intuitu civitas vestra relevetur: judicia-
„ rium est quod tibi referimus, non remissum. Vive juvante
„ Deo justitia sæculi, & securitatis gaudio singulari. Alii dicant
„ insulas, ego vero habitationes tuas appellarem potius fortu-
„ natas „. Civitas vestra, & habitationes tuas dicit, quia Maximus,
ad quem scribit, Scylaticæ regionis præpositus erat, & Scylacei re-
sidebat. Et libro eodem ad Anastasium Cancellarium Lucaniæ & Bret-
tiorum Præpositum de caseo & vino Brettiano, & præsertim Scylatico
vino loquens ait: „ Cum apud rerum dominum solemni more pran-
„ deremus, & diversæ provinciæ de suis deliciis laudarentur, ad vina
„ Brettiorum & Scylatica ei suavitate currente, ut assolet, sermone
„ perventum est. Quod herbarum beneficio tanta ibi naturæ jucun-
„ di-

„ ditate conficitur, ut non credas deesse mellis gustum, quem nulla
„ conspicis qualitate permixtum. Manet illic leviter provocatum lac
„ uberibus fistulosis, & quasi in alios ventres naturæ ubertate colle-
„ ctum, non guttis impluit, sed quibusdam repentinis torrentibus
„ influescit. Redolet suavis & varius odor herbarum, naribus agno-
„ scitur pecudum pastus, qui flagrans virtute diversa, thuris senti-
„ tur inspirare similia. Huic tanta pinguedo sociatur, ut arbitreris
„ simul decurrere Palladium liquorem, nisi quod ab illa prasina vi-
„ riditate niveo candore discernitur. Tunc cadis late patentibus co-
„ pia illa mirabilis læto nimium pastore suscepta cum admixtione
„ coaguli in callosam cœperit teneritudinem condurari, ad pulcher-
„ rimum orbem forma perducitur, quæ subterraneis horreis ali-
„ quantulum congregata diuturnam casei facit esse substantiam: Hoc
„ quantocius superimpositum navigiis destinabis, ut desideriis re-
„ galibus parvo munere satisfecisse videamur. Vinum quoque quod
„ laudare cupiens Palmatianum nominavit antiquitas, nos stipsim
„ a spiritu sed gratum suavitate perquirere. Nam licet inter vina
„ Brettia videatur extremum, factum est tamen pene generali opinio-
„ ne præcipuum. Ibi enim reperitur & Gazato par, & Sabino simile,
„ & magis odoribus singulare. Sed quia illud famam sibi nobilissimam
„ vendicavit, hoc & in suo genere nimis elegans perquiratur, ne pru-
„ dentia majorum aliquid appellasse videatur improprium. Est enim
„ suavi pinguedine molliter crassum, vivacitate firmissimum, nare
„ violentum, candore quoque perspicuum. Quod ita redolet ore ru-
„ ctatum, ut merito illi a palma nomen videatur impositum. Viscera
„ defecta constringit, vulnera madida desiccat, lapsum reficit pectus,
„ & quod vix valet implere potus arte compositus, hic naturaliter
„ præstat infectus. Sed provide ut supradictas species exactas debeas
„ destinare, quia falli non possumus, qui hoc patriotica veritate reti-
„ nemus. Ad præsens enim de cellariis nostris quæ desiderabantur
„ obtulimus, tu autem tuo periculo dissimilia facis, quorum jam
„ inditia tenere posse cognoscis „.

" Et Atalaricus Rex nepos ex filia Theodorici ad Senatum scribens apud Cassiodorum lib. VIII. " de admirabili cujusdam fontis natura agri Scylatici, qui Arethusa dicebatur, ita dicit: „Cum Nisandus vir sub-
„ limis pro caussis suis ad comitatum sacratissimum festinaret, itineris
„ longinquitate confectus, animalia fessa reparare contendens (1) ad fon-
„ tem Arethusæ in Scylatico territorio constitutæ elegit ponere
„ mansionem. Eo quod ipsa loca & pasturarum ubertate fœcunda
„ sint, & inundatione aquarum pulcrescant „. Est enim, ut dicitur, sub pede collium supra maris arenam fertilis campus. Vbi fons vastus egrediens cannis in coronæ speciem cingentibus riparum suarum ora contexit, amœnus admodum, & arundineis umbris, & aquarum ipsarum virtute mirabilis. Nam cum ibi tacitus homo & studiose silentiosus advenerit, aquas fontis irrigui reperit sic quietas, ut in morem stagni non tam currere, quam stare videantur. At ubi concrepens tussis emissa fuerit, aut sermo clarior fortasse sonuerit, nescio qua vi aquæ ibidem concitatæ prosiliunt. Os illius gurgitis ebullire videas

deas graviter excitatum, ut putes aliquem rigentem succensæ ollæ suscepisse fervorem. Silenti homini tacite loquenti strepitu & fragore respondet, ut stupescas sic subito perturbatam, quam nullus tactus exagitat. En nova vis, inaudita proprietas, aquas voce hominum commoveri. Et quasi appellatæ respondeant, ita hominum sermonibus provocatæ nescio quid immurmurant. Credas ibi aliquod animal prostratum somno quiescere, quod excitatum magno strepitu tibi respondeat. Arethusa enim fons multis locis esse fertur, diciturque ab irrigando.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Ad fontem Arethusæ*. Poetarum fabula ad fluvium Siciliæ apud Syracusas pertinet. Vide Ovid. V. Metam. Verum enim vero sunt & alii fontes hoc nomine nuncupati in Smyrna, in Chalcide, in Ithaca, in Bœotica, in Eubœa. Vide Plin.

# CAPUT XIX.

## *De Cassiodori operibus & muneribus.*

FUit Cassiodorus in secularibus disciplinis omnium suo seculo facile eruditissimus. Sed seculi honoribus contemtis divi Benedicti Monachus factus, divinarum scripturarum scientia, atque etiam sanctitate effulsit. Fuit Abbas Cœnobii, quod est (1) Ravennæ: scripsit epistolarum libros vigintiocto: Historiæ tripartitæ libros duodecim, in Epistolas Catholicas libros septem: in Actus Apostolorum librum unum, Institution. secular. libros novem: Institution. divinar. lection. libros duos. De ratione animæ librum unum, in Cant. Canticorum librum unum: Memorial. scripturar. librumunum: Complexiones in Apocal. lib. unum: in Sacerdotem prænominatum lib. unum, in totum Psalterium lib. unum, ubi psalmorum occulta præcipue ac potentissime reseravit. Catalogi Consulum Romanorum lib. unum, de Etymologiis lib. unum: de Orthographia lib. unum: de Schematibus & tropis lib. unum. Claruit temporibus Justini senioris usque ad imperii Justiniani junioris finem. Obiit (2) annum agens xcvi. a Christo nato Dlxxv. Functus est autem Romæ magnis ac (3) summis honoribus ac magistratibus, nam fuit Senator, & Quæstor, & Consul, & Magister officiis, & Præpositus officiorum Theodorici, & Alarici regum, & totius Italiæ Præfectus.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Ravennæ*. Verosimilius Scylacei in Monasterio Vivariensi monachum egit Cassiodorus. Vide *Baron.* Monasterium quippe juxta Ravennam

nam extructum fuit circa ann. 545. Cassiodorus autem factus est monachus ann. 538. postquam Monasterium Vivariense, imo & Monasterium Classense celebre asceterium apud Scylaceum ruri suo, cujus adhuc rudera invisuntur, ædificavit. Vide *Baron. & Garet.*

2. *Annum agens* XCVI. Alii cum Baronio centenarium faciunt. Vide *Garet.*

3. *Summis honoribus*. Vide supra Cap. XVII. num. 2.

Cassiodori opera notis ac dissertationibus illustrata, ac in duos Tomos digesta a Joanne Garetio Benedictino Rothomagi prodierunt 1679. in fol. Sed & Critici nonnulla inter spuria adscribunt, quæ sunt: *Expositio in Cantica Canticorum. De Schematibus & Tropis, liber. De amicitia vera liber unus.* SS. *Paphnuntii Spiridionis, & aliorum, Vita.* Nonnulla autem interierunt, quæ sunt: *Ad Reges, & Reginas Panegyrici. Expositio Epistolæ ad Romanos. Tractatus Grammatici aliquot de Schematibus, Etymologicis, & in Donatum. Liber Titulorum de Sacra Scriptura collectus, Memorialis dictus. Breves explanationes in Acta & Epistolas Apostolorum, & Apocalypsim.* Vide Garet.

Fuerunt præterea ex Scylaceo viri celebres. Episcopi *Gaudentius* ann. 465. *Zachæus*, sive *Zacharias* ann. 553. *Joannes* ann. 593. *Paulus* ann. 680. *Joannes* II. ann. 827. *Donatus*, *Petrus* ann. 1100. *Drogon* ann. 1123. *Amerigus* ann. 1160. *Ugo* ann. 1196. *R.* ann. 1217. *Nicolaus*, *Riccardus* ann. 1228. inde ad Ecclesiam Rheginam translatus ann. 1254. *Riccardus* alter sub Clemente IV. anno 1266. *Donatus* Minorita doctissimus Anglonæ Episcopus sub Innocentio IV. ann. 1254. *Leo Colacurius* ex Archidiacono Episcopus ann. 1413. *Fr. Bonifatus* Episcopus S. Leonis anno 1490. sed hæc Civitas, quæ erat inter Siberenam & Crotonem jam interiit. Extant inscriptiones Melichlochiæ & Francicæ. *Hieronymus Monez* Basilianus Episcopus Gallipolitanus ann. 1524. *Stephanus* Minorita doctissimus Episc. Uriensis. Ughell. to.9. in fin. *Marcus Antonius Parisius* Episcopus Uriensis anno 1631. ut ait Ughellius, vel 1633. ut ex traditione illius Cleri, doctrina, pietate, & integritate conspicuus. *Petrus* ex Canonico Scylacensi Episcopus Vicensis 1343. Vide Ughell. & Flor. licet Barrius tres tantum commemoret cap. seq.

Fuit & *Aurelius Candidus Cassiodorus* M. Aurelii pater, *Candidi* filius Imperatori Valentiniano apprime charus, qui Siciliam & Calabriam a Wandalorum incursionibus liberavit. *Heliodorus Cassiodorus* bis orientali præfectura insignitus. Vide Cassiod. lib. 1. var. ep. 4. *Agathius Assanthius* Jurisconsultus in Neapolitana Cathedra celebris ann. 1575. Topp. *Agathius Striverius* Regius Consiliarius Pragm. 1. tit. de Usuris. *Andreas Gironda* Soc. Jesu Philosophus, Theologus, & Mathematicus celeberrimus, edidit librum *de Episcopo* Neap. 1653. Topp. qui corrigendus est, nam eundem Barensem facit. *Antonius Rodius* Minorita doctissimus. Gonsag. & MS. Gualt. *Berardus Sanseverinus* Regis Ferdinandi a consiliis. MS. Gualt. *Bernardinus Ermogida* Ferdinandi II. a consiliis ann. 1498. MS. Gualt. *Bernardinus Gironda* Ordinis

dinis Minimorum sanctitate & miraculis clarus ut ex Process. canoniz. S. Francisci & Chron. *Bernardus Striverius* R. Cam. Praeses. Topp. *Franciscus, Paulus*, *Lucas Tiriolus* Franciscanae reformatae familiae, & *Catharina* Tertiaria sanctitate celebres. Chron. MS. *Ferdinandus*, *Henricus*, *Guilelmus*, & *Petrus Passalacqua* Friderici Imperatoris, Regis Roberti, aliorumque Regum muneribus ac diplomatibus insigniti. Vide Samblas. *Franciscus Gironda* Regis Ferdinandi a consiliis & Dux militum. Pontan. de bell. Neap. lib. 3. *Bernardinus Franca* in Academia Salmanticensi celeberrimus Ms. Gual. *Jo: Victorius Spagnolius* doctissimus, ut ex Ms. Gualt. *Julius Colobranus* eruditione conspicuus. Topp. *Guilelmus Castellus* Regi acceptissimus, ut ex regest. anni 1398. & Ms. Gualt.

*Marcellus Megala*, Cleric. Reg. Theat. Theologus celeberrimus, edidit *Institutiones peregrinorum Confessariorum & poenitentium*. Mutinae 1615. & 1618. *Variarum resolutionum tom. 1. & 2.* Neapoli 1624. *Consilia, seu decretationes diversorum casuum &c.* Mutinae 1675. *Promptuarium Theologicum morale scholastico Canonicum & Civile*. Neap. 1633. in fol. *Praxis Crimin. Canonic.* Neap. 1638. in 4. *Considerazioni sopra gli Evangeli delle Domeniche di tutto l' anno &c.* Mantuae 1625. *Istruzione, overo Metodo per espeditamente confessare i peccati.* Neap. 1635. Scripsit etiam gesta Isabellae de Sabaudia, quae in bibliotheca SS. Apostolorum Neapoli asservantur. Vide Leon. Allat. Topp. & Sylos. *Petrus Gironda* R. Cam. Praeses. Topp. Nostris vero temporibus *Xaverius Ferrarius* Episcopus Martyranensis ann. 1727. sub Benedicto XIII. Obiit anno 1733.

# CAPUT XX.

## *De Scylaticis Praesulibus, sacris Lipsanis, variisque Pagis; Gemiliano, & Tyrio Oppidis, eorumque Castellis, ubi de Tiberio Rosello Philosopho, & Agathio Guidacerio viro eruditissimo,*

EST Scylatica Ecclesia vetustissima. *Zacharias* Episcopus Scylaticus interfuit Synodo Romanae sub Vigilio Papa, & *Paulus* Episcopus Scylaticus interfuit Synodo Constantinopolitanae sextae sub Agathone Papa, & *Gaudentius* Episcopus Scylaticus interfuit Synodo Romanae sub Hilaro Papa. In aede Episcopali divi *Agathii* corpus quiescit, asservantur & frustula dominicae crucis, & crinium beatae Mariae Virg. & Mariae Magdalenae & beatorum Apostolorum Matthaei & Bartholomaei. In calamitate illa, quam universa Calabria & Lucania ab Agarenis, & Cretensibus, Mauris, & Carthaginiensibus perpessae sunt, Rhegium ob Archiepiscopi sanctitatem, & Scylaceum quod tuto ac munito loco est, nil adversi tulerunt. Celebratur hic nobile empo-

porium annuatim. Fiunt figlina opera insignia, utpote patinæ, lances, disci, & alia id genus. Fiunt & vina, olea, mella, & lina optima: sunt aurifodinæ & argentifodinæ: nascitur marmor. Effoditur gypsum trigenum, speculare, & marmorosum, & alabastritæ simile, sive ut quibusdam placet, alumen scissile. Fit gossipium, & sesama, & oriza, fit & triticum laudatissimum, provenit terebinthus, vitex, tamarix, & oleander. Sunt in hoc agro pagi (1) *Stalatum* a stalizo stillo, & mons sive promontorium eodem nomine, *Moscius* olim dictus, in ima parte cujus secus littus Cassiodori villa fuit. Hic tubera producuntur, & asparagi sponte omnibus mensibus anni: intyborum campestrium fimbriæ dulces sunt. In templo hujus pagi est corpus (2) beati Gorgonii. *Montaurum*, ubi divi Pantaleonis frusta quædam asservantur. *Gasparina*, *Vitum* cum linis optimis minimum invidentibus Alexandrinis. Hic sanctorum Viti, Modesti, & Crescentiæ corpora jacere dicuntur. *Lucenadum*, (3) *Olivadum*, *Centracum*, *Palermitum*, ubi effoditur marmor, *Helia*, *Amaronum*, *Florum*, & *Borgia*. Sunt & in Scylatico agro castaneta mortalium usui & porcis alendis opportuna. Intus est (4) *Gemilianum* oppidum, quod *Crotalus* amnis præterfluit, abest a Scylaceo m. p. novem, a freto duodecim. Oppidani ligneis vasis conficiendis navant operam. In hoc agro chalcanthum nascitur, & cos olearia oleo trahens aciem. Ex hoc oppido fuit TIBERIUS ROSELLUS philosophus, Augustini Nyphæ auditor, qui Neapoli post præceptorem suum primum locum inter philosophos obtinebat. Salerni plures annos philosophiam publice est professus. Inde Africæ visendæ impatiens, eam adiit, ubi a suo mancipio sopore sepultus interfectus est. Viget modo *Joannes Chrysostomus* divi Benedicti monachus, spectatæ vitæ vir, Latina & Græca lingua impense eruditus, Archiepiscopus Dyrrachinus. M. p. octo ab oppido divæ Mariæ a Coratio cognomine templum extat Cistercienfium monachorum cœnobium, ubi multorum sanctorum frusta asservantur. Ad secundum lapidem a Gemiliano (5) *Tyrium* oppidum est vetustissimum edito loco situm, distat a freto m.p. duodecim, a Scylaceo novem. Fuit ab Atheniensibus aut conditum, aut deducta Colonia Hierone ductore circiter Olymp. septuagesimam, ut Plutarchus in Nicia tradit. Vbi sic ait:
„ Hieron Coloniæ, quam Athenienses in Italiam miserunt, ductor
„ constitutus fuit, & Tyriorum civitatem ædificavit „. Licet quidam *Thuriorum* legant. Sed porro hallucinantur, nam *Thurium* Coloniam deduxit Pericles, quocum sene Nicias juvenis præturam gessit. Hic caseus laudatissimus fit. Extat mons sublimis nobilibus herbis medicinalibus refertus, sunt enim Apennini juga. In hoc agro vicus est (6) *Sitigianum*, nec longe *Marcinara* vicus alter. Inde ad fretum redeunti (7) *Arocha* castellum occurrit, quod Crotalus fluvius adlabitur. Ex hoc castello fuit (8) AGATHIUS GUIDACERIUS presbyter integræ vitæ vir, Latina, Græca, & Hebraica lingua apprime eruditus. Romæ Hebraicas literas publice docuit Leone & Clemente Pont. Inde bibliotheca, quam multo studio sibi comparaverat, amissa ea in direptione, quæ per Carolum Borbonium facta est, Parisios adiit, ibi plures annos easdem literas publice est professus. Edidit rudi-

dimenta Grammaticæ Hebraicæ linguæ. Scripsit ad Clementem septimum super Cantica, & super aliquot Psalmos, & in Danielem. Migravit e vita Parisiis Pauli Tertii Pont. anno octavo, ætatis suæ anno sexagesimoquinto. Exinde est *Girifarcum* castellum cum oleo optimo, cujus ager frumenti & aliarum frugum ferax est, & pabulis, necnon phasianorum, externarum, & coturnicum aucupio commodus: nascitur (*a*) rauponticum. Secus littus a Scylaceo m. p. sex cujusdam oppidi vestigia visuntur, quod a Cretensibus, Mauris, & Carthaginiensibus excisum fuit. Juxta locum hunc *Crotalum* amnis navigabilis in mare defluit, cujus, ut dixi, meminit Plinius. Qui olim Crotoniensem agrum a Locrensi dispescebat; nam antea illum Cæcinus disterminabat. Siquidem Scylaceum Crotoniensium erat, ut dudum ex Strabone ostendi. Qui & alibi ait: *Post Scylaceum Crotoniatarum fines sunt*: sed Dionysius Tyrannus illud Crotoniatis adimens Locrensium juris fecit. Tota nempe ora hæc a Cæcino prius, ut dixi, inde a Crotalo amni usque ad (*b*)Hyliam, nunc Triontum flumen sub Crotoniensium ditione erat: ab Hylia vero usque ad Acalandrum flumen Thuriorum.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Stalatum*. Vulgo *Stalattì* Patria *Raymundi* Dominicanæ familiæ, qui librum edidit, *Vita di S. Agazio Protettore di Squillaci*. Amat. In Diœcesi Scylacensi.

2. *Corpus B. Gorgonii*. Constans traditio est inibi asservari corpus B. Gregorii Thaumaturgi.

3. *Olivadum*. Patria *Antonii* instituti Capuccinorum verbi Dei præconis celeberrimi, doctrina & sanctitate conspicui, qui librum edidit: *Viaggio doloroso sul Calvario* ann. 1705. Hic cum socio dum Amanthea Citrarium contenderet a Sanctis Angelis Custodibus mirifico pane refectus est. Vide eruditissimum Joannem Marangonium amicum nostrum in lib. De SS. Angelis Custodibus le. 6. n. 42. Vivit modo ejus nepos *Franciscus Spadea*, Montipaoni natus, insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim Parochus eruditione clarus, variis Ecclesiasticis ministeriis addictus, qui coram Summo Pontifice Benedicto XIII. in eadem Basilica inter Missarum solemnia luculentam ad populum habuit Orationem: ut mihi retulit Vir clariss. Petrus Morettus ejusdem Basilicæ Canonicus meritissimus. In ead. Diœcesi.

4. *Gemilianum*. Vulgo *Gemigliano*. Ex triginta fere vicis jam dirutis ob Saracenorum incursiones incolæ in unum confluentes hoc oppidum extruxerunt. Vide Flor. Fuerunt ex hoc loco præter a Barrio allatos, *Adamus* monachus Basilianus Episcopus S. Leonis ann. 1349. Ughell. & Ms. Gualt. *Angelus Grotus* Dominicanæ familiæ doctissimus & concionator celebris, qui hospitium Calabrum Neapoli extruxit Ms. Gualt. & Mart. *Annibal Rosellus* Minorita, acris ingenii vir, in Italia, Gallia, Anglia, Belgio, & Polonia celeberrimus, multa edidit, quæ sunt: *Pymander Mercurii Trimegisti &c. De Spiritu Sancto & Angelis*. Cracoviæ 1585. in fol. *De ente, materia, forma, & rebus* meta-

*metaphysicis*. Ibid. 1586. *De Cælo, elementis, & descriptione totius orbis* ann. 1586. *De immensitate* anno 1590. *De Sacramentis* Posnaniæ 1590. aliaque multa. Vide Topp. & Vvading. *Petrus Tavanus*, *Maximinianus Scorafava*, aliique eruditione clari apud Amat. Est in Diœcesi Catacensi.

5. *Tyrium*. Vulgo *Tiriolo* Nonnulli existimant sedem Episcopalem fuisse. Conjicere autem par est oppidum vetustissimum ab Oenotriis fundatum in Apennini vertice, ubi aquæ stillicidiorum partim ad Mediterraneum, partim ad Ionium mare decurrunt. Simile quidpiam cernitur in promontorio supra Fillenum vulgo *li Cozzarelli* ubi ex eodem fonte duo flumina emanant, quorum alterum ad Mediterraneum, alterum ad Ionium mare labuntur. Hic inventa fuit lamina legem continens, qua Bacchanalia interdicebantur, quamque Livius refert lib. 39. Modo in museo Cæsareo Vindobonesi asservatur. excusa autem ac doctissimis commentariis illustrata est ab eruditissimo viro Matthæo Ægyptio Neapoli MDCCXXIX. Vide Adnotat. lib. V. Cap. XVI. num. 2. Hic quoque passim in ruderibus inveniuntur monumenta, & numismata, atque ossa Gigantum. Patria fuit *Josephi Schettini* Jurisconsulti celebris in civitate Neapolitana, qui librum edidit, *De concursu creditorum* in fol. multaque alia scripsit nostrorum majorum ætate Ms. Mart. In Diœcesi Neocastrensi.

6. *Sitigianum*. A Græco Σῖτος *frumentum* quo abundat. Nunc oppidum satis habitatorum habens, ex ruinis *Arochæ* auctum, vulgo *Settingiano*. Patria *Francisci* instituti Seraphici pœnitentia, & sanctitate conspicui. Chron. In Diœcesi Catacensi.

7: *Arocha*: Jam interiit: Vide supra num: 6:

8. *Agathius Guidacerius*. In quibusdam ejus operibus, nempe *super Canticis Cantic.* Parisiis ann. 1531. in 4. & *super Psalmis* ibidem anno 1540. impressis Catansariensem se facit, licet alii Marcinaram repetant. Vide Gisner. Genebrard. Topp. & Nicodemum. Hic eum vindicat contra Lambinum, qui Hispanum credidit.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Rauponticum*. Ab aliis *Radix Pontica* Corn. Cels.

(*b*) *Hylia fluvius*. Nunc *Trionto*. Sic omnes.

*Finis Libri Tertii.*

LI-

# LIBER QUARTUS.

## CAPUT I.

### *De Catazano, & Taberna olim Trischene Civitatibus; Cropano, aliisque Oppidis & Pagis.*

POST *Crotalum* flumen (1) CATAZANUM civitas nobilis extat inter *Crotalum* ipsum & *Allium* amnes edito salubrique situ locata, loci natura & inde manu munita, distat a freto m. p. sex, a Scylaceo duodecim, est sedes Episcopalis. Novum opus, fuit autem a Fagitio Nicephori Imperatoris in Italia procuratore conditum post vastitatem eam quam universa Calabria, Lucania, & Apulia perpessa est. Condidit etiam Fagitius ipse in hac urbe ecclesiam in honorem S. Michaelis Archangeli, quam Stephanus Archiepiscopus Rheginus consecravit. Dictum est autem Catazanum a *Catizo* verbo Græco quod significat *sedeo*, quod hoc condendæ urbis loco delecto, hic consederint. Vel a *catà* idest super & *zao* hoc est vivo, & *oros* idest mons, quod super hunc montem aeris temperie cælique amœnitate præstantem condita sit urbs. Vnde Catazarum esset appellanda. Quæ adeo coaluit, ut hac tempestate inter primas Calabriæ urbes annumeretur. Hic omnis generis, & versicolores sericei panni, & ii optimi texuntur, quibus conficiendis textores adsunt plurimi, telariaque plurima in ea sunt. " Hanc Episcopalem Ecclesiam Calistus huius nominis secundus consecravit, sub nomine tamen trium Tabernarum, ut in literis ejus de Consecratione hujus Ecclesiæ scriptum est, quas ego legi " In æde Episcopali beati Vitaliani membra aliquot, & beati Theodori brachium asservantur. Nuper excessit e vita *Joannes Jacobus Pavisius* hujus urbis civis philosophus. Qui Patavii, & inde Romæ plures annos philosophiam publice est professus. Scripsit super primam philosophiam, & super animam Arist. & alia. In hoc agro vina clara fiunt, nascitur gypsum speculare, & color cyaneus: provenit terebinthus, & vitex, & oleander, fit gossipium, & sesama, & oriza. Inde est (2) TABERNA civitas nobilis juxta Silam silvam (hic n. incipit (3) SILA) Trischenes urbis reliquiæ, quam Allium flumen torentinis & anguillis uber adlabitur. Abest a Catazaro m. pass. octo, a freto quatordecim. Fuit autem Trischene civitas nobilis & magna ac populosa, muris & turribus cincta inter *Crotalum*, & *Semirim* amnes non longe a freto. Quæ cum a Cretensium, Maurorum, & Carthaginiensium exercitu graviter obsideretur, cives se diu viriliter tutati sunt, sed longa obsidione & insidiis expugnata tandem fuit & dirupta. Fuit & sedes Epi-

Episcopalis antiquissima Nimirum *Lucius* Episcopus trium Tabernarum interfuit Synodo Romanæ sub Hilaro Papa. & *Decius* Episcopus Tabernarum interfuit Synodo Romanæ sub Felice Papa. Hæc sedes, ut in codice Vaticano scriptum est, ad sanctam Romanam sedem pertinebat. Gregorius Papa hanc Ecclesiam ob civitatis vastationem Joanni Archiepiscopo Rhegino commendat. Dicta autem fuit Trischene, idest tres Tabernæ, sive tria Tabernacula, quod cum ibi tres principales Ecclesiæ essent, Episcopus urbis in eis alternatim principalibus festis diebus divina facere consueverat. Ceterum post vastitatem illam Nicephorus Græcorum Imperator Gorgolanum in Calabriam misit, ut urbes dirutas resarciret, aut alio eas transferret, Terina, & Taurianum, & Arocha, & Trischene in novas sedes translatæ sunt, reliquæ eisdem in locis resarcitæ. Restituitque eis Gorgolanus Episcopales cathedras. Trium Tabernarum Ecclesiam Stephanus Episcopus Scylaticus consecravit. In templo Minoritarum beati Matthæi Mesurgacensis corpus quiescit. Tabernenses mortuo Episcopo *Nicolaum Marinum* in suum Episcopum delegerunt. Incolæ plurimum Latinam linguam usurpant, liberalibusque disciplinis, & juri civili navant operam, atque ob gratam cæli temperiem præclara ingenia gignuntur. Affluit & urbs optimarum aquarum scaturiginibus. Nascuntur in hoc agro vina clara. Nascitur & chalcanthum, & lapis specularis. Provenit terebinthus affatim, extant & silvæ glandiferæ & castaneta saginandis porcis commoda. Suntque pagi *Sorbum*, *Nucum*, *Maranisium*, *Sabutium*, *Fossatum*, *Pentonum*, *Ioannum*, *Album*, *Dardanisium*, *Magisanum*, (4) *Viculisium*, *Petrium*, ubi stibium nascitur, lapis est plumbeo colore, untuosus, & tener, qualis nascitur in Britannia & Romam deportatur. Ab urbe ad secundum lapidem est divæ Mariæ templum divi Basilii monachorum cœnobium, ubi una costarum divi Laurentii, & frusta divi Basilii, & Senatoris, & Cassatorii, & Dominatoris, & Pancratii, Polycarpi, Sebastiani, Tryphonis, & aliorum sanctorum asservantur. A Taberna ad fretum tendenti (*a*) (5) *Asylia* castrum occurrit edito loco inter Allium & Semirim amnes quod defensaculum significat. Ager hic frugifer est, nascuntur vina præclara, fit gossipium, & sesama, nascitur color cyaneus, provenit terebinthus. E regione Asyliæ parte læva (*b*) (6) *Zacharisium* oppidum est edito loco secundum Silam silvam quod nomen utile significat. In hoc agro (*c*) spina pontica, & reuponticum, & lapis Phrygius producuntur. Subtus Asyliam (*d*) (7) *Semiris* oppidulum est, edito loco, & juxta ejusdem nominis amnis navigabilis anguillis fœcundus excurrit, cujus, ut alibi dixi, meminit Plinius, a quo oppidum nomen sumsit, distat a mari m. p. quinque, a Catazaro sex. Ager hic frumenti & aliarum frugum ferax est, & pascuus. Fiunt vina & mella nobilia, legitur manna, fit gossipium, sesama & oriza, nascuntur cappares, provenit terebinthus, & vitex, fit & caseus optimus. Post Semirim amnem (8) *Cropanum* oppidum est, abest a Semiri m. p. octo, a freto quatuor. Ager hic campestris est, & frugifer. Fit amygdalarum copia, & gossipium ac sesama. Scaturit & fons salsus, legitur manna, fiunt vina, olea, mella, & serica optima

ma. A Semiri amni Chariatum tenus vulgo agri feraces sunt, & campi pascui, & novales roscidi, triticum candidum ferunt. Non (e) longe a Cropano *Arocha* fluvius navigabilis defluit, cujus meminit Plinius.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Catazanum*. Aliis *Cataeium*. *Cantazarium*, & *Catanzarum*. Quidam a Græco Κατίζω *sedere facio*, & ὄρος *mons*, quasi civitas supra montem posita; alii verosimilius a duobus ducibus *Cattaro* & *Zaro*, qui eam extruxerunt, nomen sumsisse putant, quod postea corruptum in *Catazarum*, & *Catazanum* verti cœpit. Ticinum quoque civitas a Papio Francorum Duce *Papiæ* nomen obtinuit, nunc vulgo *Pavia*, teste Sigonio de reb. Ital. Conjicere autem par est sub Nicephoro Phoca anno Christi 963. ædificatum fuisse. Hic enim contra Saracenos secunda bella gessit, oppidaque quamplurima recepit. Vide Cedren. Sive autem civitatem hanc de integro extruxerit, sive oppidum aliquod vetustum *Catacium* fortasse appellatum Colonia deducta in civitatem auxerit, incompertum. Utut sit, civitas nobilissima est, Imperatorum, & Regum privilegiis decorata; quandoquidem eo usque devenit, ut ulterioris Calabriæ anno 1593. Regio Tribunali nitroducto, caput evaserit. Vide Flor.

Hinc fuerunt viri celeberrimi *Petrus Ruffus*, *Ludovicus de Aragona*, *Lucius Saxo* S. R. E. Cardinales. Vide Ciacon. & Flor. Episcopi, & cives fuerunt *Bassovinus* ann. 1200. *Robertus* 1217. *Fortunatus* Minorita 1252. *Nicolaus* 1275. Vide Flor. *Euangelista Turnefranza* Jurisconsultus celebris creatus Episcopus ann. 1505. Ughel., & Topp. *Antonius de Paula* ex Monacho Cisterciensi Episcopus Neocastrensis, mox ad Catacensem sedem evectus ann. 1523. Ughell. & Topp. *Hieronymus de Paula* Antonii ex fratre nepos vitæ integer & eruditione clarus ex Neocastrensi ad eandem Sedem translatus ann. 1530. Ughell. & Ms. Gualt. *Fabius Olivadisius* Lavellensis 1626. Bovensis 1627. & Catacensis Episcopus 1646. Ughell. *Agathius de Summa* eruditissimus ex Episcopo Geruntino & Chariatensi Episcopus Catacensis, multa edidit Vide Leon. Allat. & Topp. & Nicod. *Julius Pavisius* ex Dominicana familia Archiepiscopus Surrentinus ann. 1558. Ughell. & Fontan. licet ibi Brixiam repetant. Vide Flor. & Bibliothec. Dominican. *Hieronymus Passarellus* Archiepiscopus Salernitanus 1689. Vide Tutin. de Sept. off. & Flor. *Franciscus Arcerius* Episcopus Scylacensis ann. 1418. scripsit *de Fide Catholica*. Vide Flor. *Rhodulphus Dulcinus* Episcopus Scylacensis 1657. ut ex Catal. ejusd. Eccles. *Stephanus de Rosis* ex U. S. Referendario Episcopus Hieracensis ann. 1624. Ughell. & Topp. *Joannes Antonius de Paula* Episcopus Belicastrensis ann. 1577. Ughell. *Nicolaus Calaber*, sed verius, *Nicolaus Moranus* ex Dominicana familia Episcopus Isulanus 1445. Vide Fon-

Fontan. in theatr. Immo apud Catacenses constans traditio est *Andream Nicolettam*, & Jo. *Franciscum Gerardinum* Isulanos quoque Episcopos fuisse. *Franciscus Biblia* ex Basilicæ S. Mariæ Majoris de Urbe Beneficiato Episcopus Isulanus ann. 1631. Ughel. Jo. *Franciscus Ferrarius* ann. 1657. & *Carolus Rossi* Jurisconsultus ann. 1660. Episcopi itidem Isulani Ughell. & Amat. *Guilelmus* ex Archidiacono Catacensi Episcopus Vmbriaticensis ann. 1346. Ughell. *Vitalianus Marescanus* Episcopus Vmbriaticensis anno 1661. *Mutius de Rosis* U. S. Referendarius, mox Episcopus Theanensis ann. 1642. Vide Vghell. *Hieronymus Rocca* Jurisconsultus Episcopus Isulanus 1673. obiit anno 1681. edidit quædam Ms. Mart. *Joseph Catalanus* Episcopus Larinensis ann. 1685. obiit ann. 1702.

*Antonius* Lembo Dominicanæ familiæ vir apprime eruditus edidit Chronicon Sorianense, ann. 1664. Topp. *Vincentius* ejusdem familiæ, sanctæ vitæ vir, quem sanctissimus Patriarcha Dominicus non semel de erigendo Sorianensi Cœnobio per visum admonuit. Vide Eliam de Amato. *Antonius* Minorita *S.* Jacobi de Marca socius, *S.* Bernardino Senensi acceptissimus, & S. Francisci de Paula a sacris confessionibus, sanctitate clarus: obiit Catanzarii ætatis suæ anno centesimo octavo. Vide Isid. Toscan. vit. S. Franc. lib. 1. *Antonius Maria* Sersalis Cler. Reg. Theatin. edidit quædam. Topp. *Antonius Ranerius* Dux militum a Rege Ferdinando privilegiis auctus ann. 1462. Tutin. & Ms. Mart. *Antonius Rocca* in bello clarissimus. Aldimar. *Antonius Roccus* Philosophus & Medicus celebris Alphonso Regi acceptissimus Topp. *Antonius Lacconus* Regius Archiater ann. 1491. Topp. *Bartholomæus Piterà* Regi Ferdinando charissimus, muneribusque auctus, ut ex Regio diplomate V. Kal. Septembr. 1495. Ms. Gualt.

*Bernardinus Ayerbius de Aragonia* instituti Capuccinorum Commissarius generalis ann. 1605, Flor. *Franciscus* Poerius, *Dominicus Lancetta*, & *Bernardus* Franciscanæ reformatæ familiæ sanctitate & miraculis clari. Chron. Ms. *Brittus Moranus* Regius Consiliarius. Lell. to. 2. famil. Neap. *Camillus Bilotta* edidit quasdam musicas elucubratiunculas ann. 1612. Ms. Gualt. *Cæsar Biblia* M. C. V. Judex Topp. *Conradus Malatacca*, in bello clarissimus, Ms. Gualt. *Dantes Olivadisius*, Regius Consiliarius. Topp. *Didacus Striverius* Jurisconsultus celebris, postmodum societatem Jesu ingressus est. Ms. Gualt. *Fabricius Biblia* eruditissimus librum edidit de cudendis numis ann. 1621. Topp. *Fabricius Salernus* Jurisconsultus scripsit super Constitutionibus Regni. Ms. Gualt. *Fridericus Roccus* Chronicon Aragonense de Hispano in Italicum sermonem transtulit. Topp. *Franciscus Albertinus* Soc. Jesu doctissimus, sanctæ vitæ vir, edidit tomos duos Philosophiæ & Theologiæ Neap. 1600. Vide Topp. *Franciscus Pavone* Soc. Jesu doctrina & Sanctitate mirabilis, scripsit *Commentarios super Pentateuchum & Euangelia*, aliaque opuscula ascetica: Congregationem Presbyterorum instituit in Collegio Neapolitano, unde multi operarii, in vinea Domini solertissi-

mi, prodierunt. Nadaf. Ant. Mireus, Alegamb. & Topp. *Franciscus Ricca* Dux militum. Vinc. Amat. *Franciscus Zaccone* inter Collegiales Neapolitanos eruditione clarus, typis vulgavit Le *stravaganze d' Amore*, Neap. 1653. *Le gare de' disperati*, *Un' Orazione di S. Anna*. *L' Incostanza punita* Neap. 1676. *Franciscus Zaccone* alter Dominicanæ familiæ Theologus celeberrimus, qui primus Theologiam dogmaticam publice exposuit, ac contra hæreticos propugnavit ann. 1658. Topp.

Cajetanus *Passarellus* Cl. Reg. Theatin. eruditissimus edidit librum *De bello Lusitano* Parisiis 1684. in fol. Ms. Mart. *Joannes Malatacca* Dux militum & Regius Justitiarius tametsi Toppius Rhegiensem faciat. Vide Vinc. Amat. *Joannes Alphonsus Ricca*, Dux Militum; obiit ann. 1655. Vinc. Amat. *Joannes Antonius Moranus* M. C. V. Regens Lell. & Topp. Jo. *Franciscus Paparus* Jurisconsultus publici juris fecit librum cui titulus: *Judiciaria praxis &c.* Neap. 1635. in 4. Topp. *Joannes Camillus Bilotta*, musicæ peritissimus, tympana ad rem musicam pulsandi primus rationem invenit. Ms. Gualt. Jo. *Jacobus Pavisius*, de quo Barrius supra, Philosophus & medicus celeberrimus ad Catanzarium spectat, & corrigendus Michael Justinianus, qui inter scriptores Ligures illum adnumeravit. Vide Topp. Jo. *Hieronymus Moranus* ex M. C. V. Judice ann. 1547. & 1548. Aprutii Gubernator. Ferd. Marr. & Topp. de Orig. trib. Jo. *Hieronymus Trombatore* M. C. V. Judex ann. 1603. & 1604. Topp. ubi supr. Jo. *Aloysius* & *Valerius* *Morani* Drepani variis muneribus aucti. Mugnos. *Jo. Horatius Scollius* edidit *Compendium Historiæ Ecclesiasticæ*, Romæ 1642. in 4. Topp. Jo. *Petrus Cananea* Presbyter scripsit quasdam Meditationes de B. Virginis Rosario. MS. Gualt. Mox Scholarum Piarum institutum amplexus est sub ejus fundatore, doctrina & pœnitentia clarus. Obiit Tusculi postridie Id. Septemb. 1625. MS. Mart. *Joannes Petrus Feulus* Cler. Reg. Theat. a S. Andrea Avellino in tyrocinium receptus, Sanctitate & miraculis ante & post mortem clarus. Obiit Neapoli die Sabbati B. Mariæ Virgini quam impense colebat sacro, Nonas Aprilis 1629. ætatis suæ nonagesimo secundo, apopletico morbo, ut ipse S. Andreas, correptus. Sylos to. 2. & MS. Gualt.

Joannes *Passarellus* Jurisconsultus celebris ac Regius Judex. Tutin. *Gregorius Pinellius* Dominicanæ familiæ doctissimus, librum scripsit cui titulus *Stimulus Charitatis* Neap. 1636. & *de Politica Christiana* Romæ 1655. Obiit ann. 1667. Topp. *Gualterius Poerius* R. Cam. Præses, & Regius Consiliarius ann. 1456. Topp. *Guilelmus Frosina* M. C. V. Regens ann. 1496. Topp. *Ignatius Majorana* edidit librum cui titulus, *Gli ozj eruditi* Neap. 1665. in 12. Topp. *Marcus Laureus* Soc. Jesu in utraque lingua doctissimus, edidit quasdam conciones. Vide P. Situell. in biblioth. tametsi Toppius *Marcellum* nuncupet. *Marius Bonellus* vulgo *il Moretto Calavrese*, Dux militum contra Turcas celeberrimus. Campan. Crescent. & Vinc. Amat. *Nicolaus Olzina* Regius Consiliarius & M. C. V. Re.

Regens ann. 1468. & 1469. Top. de orig. trib. *Petrus Luſcernus* Soc. Jeſu vitæ integer. Nadaſ. *Petrus Salernus* Presbyter ſcripſit De lingua Latina Sper. *Ptolemæus Paviſius* eruditione clarus. Topp. *Vincentius de Amato* doctrina conſpicuus edidit librum cui titulus, *Memorie Iſtoriche di Catanzaro* Neap. 1670. Topp. *Annibal Mannarinus* Poeta celebris. El. Amat. *Io. Franciſcus Raymondi* doctiſſimus edidit Centurias politicas. Romæ 1658. aliaque. *Rogerius Carbonellus* eruditione conſpicuus, cujus Monumenta aſſervantur Neapoli in biblioth. S. Joann. ad Carb. Noſtris vero temporibus *Antonius Fiocca* Parochus publici juris fecit *Statuta*, *Conſtitutiones*, & *Decreta Eccleſiæ* & *Capituli Catacenſis* Romæ 1704. Vide Joannem Marangon. theſaur. Parochor. to. 2. lib. 3. cap. 1. num. 88. aliique quamplures quos videre poteris apud *Eliam de Amato*.

2. *Taberna*. Prius *Triſchene* appellata a Græco Τρυσκήνη ideſt *tria Tabernacula* κ in χ mutato. Vocata eſt ad ſimilitudinem *Trium Tabernarum* in Latio ubi nunc Ciſterna, aut certe haud procul ab ea de quibus in Actis Apoſtolicis. Erat Triſchene ad mare ſita, ejuſque devaſtatio non in communi Calabriæ ruina contigit, ut nonnulli autumant, ſed ſub Boemondo & Rogerio fratribus circa annum 1090. Ait enim Laurentius Bonincuntrus lib. 2. *Rogerius junior Rogerio Patruo opem laturus in Siciliam a Boemundo habuit indictionem belli, Rogerio Patruo Sicilia commendata, cum vingintiquinque millibus Agarenis receptus in Calabria ab Henrico, ac Philippo Ruffis haud procul a Stalatio copias expoſuit, cum quibus urbem Triſchenam mari propinquam diripuit*. Hac deſtructa, incolæ partim Catacium tranſmigrarunt, partim aliam ejuſdem nominis civitatem ædificarunt ubi nunc dicitur *Taverna Vecchia*, qua etiam a Guillelmo Malo deſtructa; inde paulatim ad montem contiguum tranſierunt aeris amœnitate allecti, ubi nunc Civitas eſt ſatis habitatoribus, ac nobilitate conſpicua. Extat Codex Ms. in Bibliotheca Vaticana, *Chronicon Trium Tabernarum* & *Catanzani* n. 4936. ubi non pauca ad hiſtoriam Northmannam pertinentia adducuntur, nec non agnatio & ſeries Northmannorum. Hic Codex fuit ex Bibliotheca Cardinalis Sirleti, ut ibidem notatur.

Hinc viri celeberrimi prodierunt: *Organtinus Scarola* Epiſcopus S. Marci ann. 1569. Ughel. *Jo. Paulus Marincola*, doctiſſimus, Epiſcopus Theanenſis 1575. ſcripſit hiſtoriam Concilii Tridentini, Inſtitutiones Canonicas, aliaque nondum edita Ughel. & Ms. Gualt. *Horatius Schipanus* Epiſcopus Belicaſtrenſis 1591. Ughell. *Andreas Gervaſius* Archiepiſcopus Anxanenſis 1622. Ughell. & Ms. Gualt. *Marcellus Anania* ex Canonico Baſilicæ Liberianæ Epiſcopus Sutrinus & Nepeſinus. Obiit 1670. Ms. Mart. *Fortunatus Durante*, doctiſsimus Epiſcopus Scylacenſis 1697. Id. *Angelus Verardus* Epiſcopus Martyranenſis 1693. Obiit 1703. *Bonaventura Poerius* Minorita ex Generali Archiepiſcopus Salernitanus ann. 1697 ad noſtram memoriam uſque.

*Alphonsus Poerius* Jurisconsultus Senarum Judex Ms. Gualt. *Andreas Mazza* Viceprotonotarius ann. 1392. Petr. Vincent. *Antonius Mazza* Conradi filius Ladislao Regi acceptissimus Regni Marescallus ann. 1398. Prignan. in Ms. fam. Salern. quæ asservantur Romæ in Bibliotheca Angelica. *Antonius Poerius* Jurisconsultus celebris. Topp. *Antonius Schipanus* Soc. Jesu Missionarius celeberrimus in Indiis doctrina & Sanctitate clarus. Samper. & Nadas. *Bernardus Anania* Dux militum Ms. Mart. *Bernardinus Mandelius* Philosophus edidit librum *De futuro & proximo Judicio*. Neap. 1560 in 8. Maraf. *Cæsar Monitius* Medicus doctissimus edidit librum cui titulus: *Talia*, & alium, *Crumena sapientiæ* ann. 1547. in 8. Topp. *Clarus Leonardus Schipanus* Philosophus & Poeta celebris Ms. Gualt. *Conradus Mazza* Ciambellanus Caroli & Ladislai Regum, muneribus auctus ann. 1392. Prignan. ubi sup.

*Dionysius* Instituti Capuccinorum laicus sanctæ vitæ vir Chron. ann. 1601. *S. Falcus* Eremita de quo supra Lib. I. Cap. XVIII. Vide Flor. *Ferdinandus Poerius* Regius familiaris Topp. *Jacobus Preti* Jurisconsultus, Obiit Romæ ann. 1691. & in Ecclesia S. Benedicti in piscicululis dicti sepultus: ex inscriptione, quæ ibidem extat. *Joannes Andreas Filante* Jurisconsultus, ac in civitate Neapolis cathedraticus, edidit quasdam institutiones ann. 1602. in 4. Topp. *Joannes Antonius Anania* Presbyter doctrina, & pietate clarus, hæresim, quæ anno 1560. Vardiæ in Calabria grassabatur, detexit, historiamque carminibus concinnatam descripsit. Flor. Vide lib. 2. Cap. v. *Joannes Laurentius Anania* Philosophus & Cosmographus celeberrimus, multa scripsit, ediditque librum cui titulus: *L'universal fabbrica del Mondo*. Venet. 1576. in 4. *De Natura Dæmonum & Angelorum* Neap. 1582. Et Romæ hic liber auctus est & recusus ann. 1654. Vide Topp. Possev. Capacc. Paul. Reg. aliosque *Hieronymus Gualterius*, Dux militum. Flor. *Hieronymus Madottus* poeta clarissimus multa edidit ann. 1551. Ms. Gualt. *Gregorius Preti* pictor celebris Philipp. Tit. *Lactantius Rocca* Philosophus in utraque lingua doctissimus, multa scripsit Hieron. Pinell. & Ms. Gualt. *Mathias Preti* pictor celeberrimus Eques Hierosolymitanus Commendatarius, vulgo *il Cavalier Calabrese*, vitæ integer, multas Tabulas mirifice depinxit Neapoli, Romæ, Etruriæ, Mutinæ, Melitæ, & alibi. Obiit Melitæ magna pietatis fama; nam centum millia nummorum aureorum pauperibus quoad vixit erogasse fertur. Vide Tit. & Pascol. *N. Poerius* Regiæ Cameræ præses. Ms. Gualt.

*Nicolaus Riccius* Carthusianus scripsit opus de viris illustribus sui instituti quod Ms. asservatur Neapoli in Monasterio S. Martini, Topp. *Paulus* Dominicanæ familiæ doctissimus. Topp. *Paulus Gualterius*. Dux militum Flor. *Petrus Antonius Ferrarius* in utraque lingua doctissimus. Topp. *Petrus Poerius* Regis Ferdinandi Familiaris ann. 1486. Ms. Gualt. *Pompejus Filante* eruditione clarissimus. Capacc. & Topp. *Pompejus Mazza*, Dux militum. Prignan. ubi sup. *Raymundus Ferrarius* Jurisf

risconsultus eximius. Topp. Nostris quoque temporibus *Dominico Donnemma* Ord. Prædic. aliisque viris clarissimis floret. In Diœcesi Catacensi.

3. *Sila*. Mons ubi planities amplissima, de qua Strabo lib. VI. & Virg. Æneid. lib. 12. *Ac veluti ingenti Sila summove Taburno*, ubi Servius: *Pessime quidam* silvam *legunt*.

4. *Viculisium*. Ex hoc loco fuit *Fr. Apostolus* Conventualis sanctitate & miraculis clarus. Obiit Neapoli octogenarius IV. Nonas Aprilis anno 1621. Engen. Neap. sacr. & MS, Gualt.

5. *Asylia*. Vulgo *Sellia*. pen. long. Ex hoc loco fuit *Marcellus Crassus* ex M.C.V. Judice Regiæ Cameræ Præses emeritus circa ann. 1686. MS. Mart. In Diœcesi Catacensi.

6. *Zacharisium*. Oppidum nobile ac vetustum, *Barbari* pagi incolis auctum, patria *Bonaventuræ* Franciscani instituti sanctæ vitæ viri. Amat. In Diœcesi Catacensi.

7. *Semiris*. Nunc vulgo *Simari* pen. br. A reliquiis Trischenis, ut conjicitur, vel fundata vel aucta. An vero ab ejusdem nominis fluvio nomen sumpserit, an potius dederit, incertum. Ex hoc loco fuit S. *Bartholomæus* Abbas. Vide Rocc. Pirr. Extat *Soverium* & alia oppidula in hoc agro quæ videre poteris apud Flor. In ead. Diœc.

8. *Cropanum*. De fundatione hujus oppidi vide Flor. Fuerunt ex hoc loco *B. Franciscus* Minorita sanctitate clarus. Obiit circa ann. 1496. Corpus ejus post aliquot annos incorruptum, ac suavi fragrans odore repertum est. Martyrol. Francisc. *B. Paulus de Ambrosiis* tertii Ordinis S. Francisci, vitæ integer, ac miraculis clarus, obiit 1489. Chron. *Joseph.* reformatæ Franciscanæ familiæ Sanctitate conspicuus. Chron. Ms. *Henricus de Mojo* Cisterciensis Archiepiscopus Severinates anno 1483. Ughell. & Topp. *Antonius Scordante* in bello clarissimus. Flor. *Franciscus Granus* Philosophus scripsit Homeri Commentarios heroico carmine. Vide Flor. *Joannes Florius* instituti Capuccinorum doctrina & pietate clarus obiit 1683. Multa scripsit, præcipue tomos tres Italico idiomate super historia Calabra, quorum unus in lucem prodiit: *Calabria illustrata* Neap. 1691. in fol. *Martyrologium Romanum monasticum*. *La Basilica Lateranense sostenuta dalle spalle Francescane &c. Commentar.* S. *Bonavent.* aliaque. Ms. Mart. *Joannes Baptista Ruffus* Tribunus militum Flor. *Lactantius Arturus* Conventualis Theologus celeberrimus, acris ingenii vir. Obiit circa ann. 1604. multa edidit. Vide Wading. & Topp. aliique quamplurimi. In eadem Diœcesi.

## SERTORII QUATTRIM. ANIMADVERSIONES.

(a) A*silia* Nunc *La Sellia*. Sic etiam appellatur ab Auctore nostrorum Annalium.

(b) *Zacharisium*. A nostris Annalibus *Sacharisium*.

(c) S*pina pontica*. Quid sit ignotum est, nedum mihi, sed herbariæ omnibus studiosis.

(d) *Semiris Oppidum* Non *Semiris* sed *Semirus*. *Simanum* appellat Scriptor nostrorum Annalium.

(e) *Non longe a Cropano Aro-*

*cha*

*cha fluvius navigabilis fluit*. Arocha hodie *Alli* fluit prope Catanzarium: prope Cropanum fluit Crotalus, qui nunc *Crocchia* dictus.

# CAPUT II.

## *De Belicastro, ubi de Divo* THOMA *AQUINO, Doctore Angelico, ac de Messurga Oppido.*

DEIN est (1) BELICASTRUM civitas sedes Episcopalis, edito loco sita, distat a Cropano m. p. quatuor a mari octo. (*a*) Hanc Chonam esse arbitror, quam Lycophron appellat opulentam. Et Strabo ipsam Philoctetem circa Peteliam, a qua abest m. p. decem, condidisse ait. Necnon eundem circa Peteliam ipsam super Crimissam promontorium, de quo paulo post Crimissam urbem, aliasque deinceps urbes construxisse tradit. Ait enim ubi de Petelia fatus est: *Circa loca ipsa Philoctetes & vetustam condidit Crimissam. Appollodorus quidem in expositione navium Philoctetæ mentionem inferens nonnullos dixisse ait, ut Philectetes ad Crotoniatarum agrum profectus promontorium Crimissam habitari fecerit, & supra illud oppidum Chonim, a quo Chones incolæ dicti, & Pumentum, & Vertinæ interius, & Calaserna, & exigui quidam alii vici usque Venusam urbem celebrem extant.* Philoctetes enim in Crotoniata regione oppida quædam condidit, quædam ab Auxoniis & Oenotriis condita, veluti Colonias suis habitanda præbuit. Chonam autem, hoc est Belicastrum *Nascarus* fluvius, *Syrus* olim dictus adlabitur. De quibus Lycophron in Alexandra ait: *Et Syrus celer fluvius fuit irrigans profundam Choniæ fertilitatem.* Id quod urbi huic convenit. Ager enim hic frumenti & aliarum frugum ferax est, nascuntur vina nobilissima, & olea, ac mella optima fiunt. Non caret urbs aquarum scaturiginibus, extat & fons nobilis *Charia* dictus, quod gratiosum significat. Extat & fons salsam aquam manans, ex qua fit muries. Nascuntur cappares. Fit gossipium & sesama, provenit terebinthus, nascitur gypsum speculare, & marmorosum, & alabastritæ simile, nascitur & rubrica fabrilis, & terræ genus quoddam, ex qua fit color gilvus, nascitur & silex, legitur manna. Quocirca non abs re Belicastrum ei nomen inditum est. Ex hac urbe fuit (2) Divus THOMAS cognomine AQUINUS, doctor eximius, Prædicatorum Ordinis cœnobita, Landulphi, qui hujus urbis & vicinorum oppidorum dominus erat, filius, matre Theodora. Non enim Aquinus dictus est quod Aquini natus sit, quæ urbs in Frentanis in Samnio est, non in Campania, ut geographiæ rudes quidam falso scribunt, sed quod id vocabulum Aquinus divi Thomæ familiæ gentilitium nomen est. Extat etiamnum in Calabria multis locis Aquina familia, ut Consentiæ, ut Tropææ, ut alibi, ubi viri nobiles sunt & locupletes, ac præter ceteros, viget modo *Cæsar Aquinus* divi Thomæ

mæ agnatus, ac gentilis, Castioni, quod oppidum, ut ostendi, in Calabria est, dominus. Quare altius nobis repetenda est historia. Nimirum divi Thomæ familia initio a nobili Frangipana Romana familia, quæ olim potens admodum fuit, originem ducit, ex qua & divus Gregorius Papa fuit. Hujus familiæ unus quispiam, inter cætera oppida, Aquinum etiam Samnii oppidum possidebat, a quo Aquina sive Aquinia familia cognomen sumsit, quod ad posteros manavit deinceps. Qui cognominandi mos etiamnum Romæ viget; nam fere omnes oppidorum domini ab oppidis ipsis cognomina mutuantur. Aliique prope innumeri vel ab oppidis ubi orti sunt, aut quibus imperant, cognomina sumunt, quin etiam plerique a provinciis quoque cognomina mutuantur. Divi autem Thomæ majores, qui ea ratione, qua diximus, Aquina sive Aquinia cognomine dicti sunt, urbi huic Belicastro dominabantur, in eaque agebant, in qua & divus ipse Thomas est ortus. In annalibus enim Magistrorum Ordinis Prædicatorum sic scriptum est: „ Thomas de Aquino in linea paterna natus est ex ge-
„ nere Comitum Aquinorum, qui dicuntur de Loreto & de Belcastro,
„ & antiquitus dicebatur de Frangipanis Romanis. Quæ fuit proge-
„ nies Sanctissimi Gregorii Papæ primi hujus nominis, & progenies
„ est antiquissima. Retulit dominus Bernardus Comes de Loreto se
„ habere unum instrumentum apud se pertinens ad progeniem suam,
„ in quo Boetius Senator summus philosophus & theologus, qui alias
„ Sanctus Severinus appellatur, pro teste inducitur, in quo ipsa domus
„ de Loreto & de Belcastro vocatur de Frangipanis, ut reperitur in
„ quadam chronica antiqua in conventu Sanctorum Joannis & Pauli
„ Venetiis. In linea vero materna habuit matrem Neapolitanam Theo-
„ doram nomine, quæ habuit duas carnales sorores, quarum una ma.
„ ter extitit Petri serenissimi regis Aragonum, altera autem mater fuit
„ inclita Ludovici regis Siciliæ„." Hæc ibi. (3) Qui liber est Romæ in Bibliotheca Vaticana". Comitum inquit Aquinorum plurativo numero, hoc est Aquinæ familiæ, qui dicuntur de Loreto & de Belcastro, idest, qui his oppidis dominabantur. Mater tantum Neapolitana fuit. Constat ergo Aquinam familiam vel Boetii tempestate Belicastro dominatam fuisse.

Quamquam non desunt Calabræ gloriæ parum faventes, qui nolint Thomam Calabrum fuisse: qui præter rem mihi subirascentes, locum illum annalium prædictorum, ceu falsum, immutandum, aut delendum se curare dixerunt. Jamvero constans apud cives suos Belicastrenses memoria hucusque durat. Thomam ipsum hic fuisse ortum. Extat insuper in hujus urbis arce ædicula, in qua pictura est vetustissima hujusmodi. Pictus est Thomas ipse puerili specie aperto sinu rosas recentes patri ostendens. Cum enim in hac regione ingens caritas esset, Thomas jam tum puerulus pietate incensus quicquid habere poterat erogabat egenis. Cumque aliquando in hujuscemodi præclaro facinore ipsum pater hyberno tempore deprehenderet, sciscitareturque quidnam gestaret in sinu, ipse pavore perculsus, se rosas gestare respondit, illicove sinum aperuit, & veræ rosæ recentes visæ sunt, proinde atque si tum ex rosario decerptæ essent. Hoc miraculum ostendit Deus illius

fu-

futuræ ſanctitatis inditium. Edidit animam in monaſterio Foſſæ novæ agri Terracinæ, quod oppidum non in Campania eſt, ut quidam ſcribunt, ſed in Latio, humanæ ſalutis anno M.cclxxiv. dum proficiſceretur ad Lugdunenſe concilium a Gregorio decimo eo accerſitus. Nihil aliud de eo a me ſcribendum cenſui, nam reliquam ejus vitam ſcripſere alii. Id unum tantum addere mihi viſum fuit, quod divus ipſe Thomas,ut homo Calaber,patria charitate devinctus ex hiſtoria tamen(4) Pythagoram philoſophum Calabrum conterraneum ſuum fuiſſe in (5) primum Met. Ariſt. ſcripſit. Ceterum ſunt & alii quidam qui indignantur, ac permoleſte ferunt divum Thomam Calabrum fuiſſe, & ipſum, ut alios Calabros multos, aliis regionibus falſo ac maligne aſſerunt, perinde ac ſi Calabra regio in Italia vilis ſit & abjecta, & non ea, quæ hujuſmodi homines edere poſſit. Cum Calabria, ut oſtendi (fremant ac dirumpantur invidi, omnes licet, ubi eorum perverſitas id me ſcribere adegit, dicam id quod res eſt:) omnium Italiæ regionum, Latium tantum ob Romæ majeſtatem excipio, & habitationis, & Chriſtianæ religionis vetuſtate, ac populorum claritate, utpote a pronepote Noe, & a claris Græciæ populis Oenotriis & Athenienſibus, poſtremo a Romanis ceteriſque Latinis habitata, nam ex triginta in Italia coloniis, novem in Calabria ſunt, quot in nulla alia Italiæ regione, multis oppidis municipale jus datum, ſola primo Auxonia, Heſperia, Oenotria, & Italia dicta, & in omni ſcientiarum genere, ac rerum omnium tum quæ natura ſponte gignuntur, tum quæ induſtria fiunt copia ac varietate eſt nobiliſſima. Quæ enim Italiæ regio, Latio excepto, tot claros doctrina, & robore præſtantes viros protulit, quot Calabria? quæ Magna Græcia ut quidam volunt dicta eſt ob plurima præclara virorum ingenia eruditorumque multitudinem, qui & multarum rerum fuere inventores. Proinde apponant obſecro digitum ori, & obmuteſcant maligni obtrectatores, & deſinant de cetero aliorum laudi ac gloriæ ac virtuti invidere ac detrahere. Poſt Belicaſtrum (6) M*eſſurga* oppidum eſt, *Reatium* olim dictum ab Oenotriis conditum, a *Reatio* flumine nuncupatum, ut ait Stephanus, quod ſecundum oppidum excurrit. Eſt autem oppidum inter *Reatium* & *Virgarim* amnes,qui Targini miſcentur, civis Reatinus, abeſt a Belicaſtro m p. quinque, a freto ſexdecim. Dictum eſt autem Meſſurga quaſi Meſſurgus, exemto *a*, quod cantorem ſignificat, quod ob agri fertilitatem incolæ cantu, hoc eſt lætitia geſtirent. Eſt enim ager hic frumenti & aliarum frugum ferax. Fiunt figlina opera ex argilla, & ex luto ſubrufo. Fit in hoc agro goſſipium, naſcuntur cappares, & terebinthus, oritur rubrica fabrilis, & terra ex qua fit color gilvus, naſcitur, & marmor in Sila ſilva. Fiunt aucupia multarum avium. Ex hoc oppido fuit (7) Beatus *Matthæus Vidius* Minorum ordinis cœnobita, cujus corpus Tabernæ quieſcit. Meſſurgacenſes anno a virgineo partu M. D. xxvii. (8) tale quidpiam patrarunt in regulum, quale quondam Locrenſes in Dionyſium. Nam Jo: Andream Caracciolum & ejus conjugem, filium & filias omnes præter unam, quæ ab amicis ſervata eſt, ob plurima in ipſos flagitia jugularunt.

THO-

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Belicastrum*. Nonnulli contendunt *Petiliam* fuisse. Vide adnotat. cap. 22.

2. *Divus Thomas cognomine Aquinus*. Nicolaus, sive Nicoletus Verniates quæst. de intellectu *Theatensem* appellat: Cæsar Engenius Neap. Sac. & Nicolaus Toppius in Biblioth. *Neapolitanum* contendit: Carafa hist. Neap. lib. 1. *Lucanum* facit: Jo: Antonius Campanus in orat. natum asserit *Aquini* in primis finibus Campaniæ, cui adstipulatur Bollandus. Sed absit verbo invidia, Belicastri natus est in Calabria, ut optime refert Barrius; quæ enim adducit monumenta Romæ S. Pii V. Pontificatu examinata utique atque expensa ab emunctæ naris censoribus fuisse credendum est. Vide Paul. Freher. theatr. viror. illustr. to. 3. Jo: Andr. Quensted. de patr. viror. illustr. Jo: Bapt. Nicolos. historiolexic. verb. *Belcastrum*. Ceterum Guillelmus Sirletus Cardinalis de quo supra, in Ms. quæ in Bibliotheca Vaticana asservantur, opusc. de *Emendationibus Breviarii*, sic ait: *Mense Martii. In vita B. Thomæ de Aquino: Thomas Landulpho Comite Aquinate natus Aquino a Corrado Imperatore vastato, quintum annum agens monachis S. Benedicti Cassinensibus custodiendus traditur*: mox subjungit: *Hæc Historia falsa est. Siquidem Landulphus Thomæ pater non Aquini oppidi Comes fuit, sed ut in Annalibus Magistrorum Ordinis Prædicatorum scriptum est, Comes fuit Belicastrensis in Calabria ex Aquina familia, quæ adhuc floret in Calabria multis locis, ut in libris meis de rebus Calabris ostenditur*. Quinimo Belicastri, ut fertur, in die Divo Thomæ sacra, stella apparet nequidquam radiis solaribus officientibus, quam Camillus Oliverius Episcopus Gravinensis non semel vidisse mihi testatus est.

3. *Qui Liber est Romæ in Bibliotheca Vaticana*. Hujus libri auctor est Jacobus Susatus, cujus eadem verba Vir Cl. Antoninus Bremondus Ord. Prædicat. refert in notis ad Bullarium ejusdem Ordinis editionis Romanæ 1730. ex Typographia Hieronymi Mainardi pag. 162. in Bulla Canonizationis D. Thomæ a Joanne XXI. dicto XXII. Avenione peractæ. Ceterum in elencho Bibliothecæ Vaticanæ non extat, fortasse erit in Archivo, ibique Barrius illum legerit, antequam a Bibliotheca Archivum sejungeretur.

4. *Pythagoram &c.* Joannes Antonius Campanus in supradicta orat. in festo D. Th. ait: *Quamobrem etiam quod esset longe corpulentissimus, quæ res illi familiæ multis jam seculis est hereditaria, alii eum mutum bovem, alii Pythagoricum utrem appellant: quod Pythagorici quinquennio tenuisse sub præceptore silentium dicerentur*.

5. *In primum Met. Arist.* Hoc non reperitur in exemplaribus recentioribus.

Fuerunt præterea ex hoc loco *B. Polychronius* Episcopus circa ann. 1100. qui interfuit consecrationi Ecclesiæ Catacensis ann. 1122. ut

exCod.Ms.Messanæ asservato.Sed hic ad Cerenthiam spectare videtur, nisi duos fuisse Polychronios eodem tempore Episcopos dicere cogamur; sed de hoc nihil apud Ughellum. Vide infra lib. IV. *B. Petrus* Minorita sanctitate clarus circ.ann. 1520. Chron. *Michael Petirrius* Episcopus Thermolarensis ann. 1689. Ms. Mart. *Lucius de Urso* eruditione conspicuus, quædam edidit. Topp.

6. *Messurga*. Nunc vulgo *Mesoroca* quasi Μεσορεάκιον *Mesoreacium*, ut puto, hoc est *Medium Reacium* a Rheatio oppido vetustissimo, cui alludit ejusdem vocis affinitas, potius quam *Messurga* ut Barrio placet. Dictum est autem *Rheatium*, a *Rhea* Jovis matre, Saturnique uxore. Extat etiamnum supra Oppidum hoc Mons *Jovis* appellatus, in cujus vertice rudera illius templi invisuntur. Ibique imaguncula aurea equestris præterito seculo inventa fuit. Extant duo pagi *Arieta*, & *Marcedusa* quam & Mesoreacium putant nonnulli fuisse Petiliam. Vide quæ superius diximus, & quæ infra dicemus. Extabat & vicus *Trojanum* a Turcis depopulatum, ac solo æquatum. In hac direptione puellam miræ pulcritudinis abstulerunt, quæ *Sarra Rossa* vocabatur & Sultani conjux evasit, fidem catholicam retinere permissa. Hæc quemdam Missionarium Neapolitanum Dominicanæ familiæ a sacris confessionibus habuit, quem inde abeuntem rogavit data pecunia ut Cœnobium Mesoraciense ampliaret, quæ postea nescio quomodo in ædificatione Cœnobii *Salutis* appellati in Civitate Neapolis erogata fuit, ut ait Dominicus Martyre in suo Ms. & ex Chronicis Sorianensibus liquet. Extat & alius vicus *Petrona* recens extructus. In Diœcesi Seberinate,

7. *Beatus Matthæus Vidius*. Aliis *Ovidius*. Hic miraculorum multitudine, & vitæ sanctitate celeberrimus est. Vide Chron. par.4. lib. 1. cap. 39. Fuit etiam *B. Hieronymus* ejusdem instituti sanctæ vitæ vir.Chron. part. 4. lib. 2. cap. 51. Ex hoc loco etiam fuit S. *Zosimus* Papa Abrahami filius, qui Pelagium damnavit.Vide Anastas.Biblioth.Ciacon. & Scipion. Mazzell.

8. *Tale quidpiam &c.* De Chronologia dissentiunt scriptores; alii enim ad ann. 1517. alii ad 1526. alii ad 1527. alii 1528. & alii ad ann. 1537. id referunt. Sed verosimilius ad ann. 1528. creditur contigisse. Vide Francisc. de Petr. super famil. & Gregor. Rossi.

## SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(a) *Hanc Chonam esse arbitror.* Belicastrum esse Chonam, nullæ persuadent rationes; nec Lycophron aut Strabo, quibus nititur ipse Barrius, quidquam adjuvant.

(b) *Messurga*. Nunc *Mesuraca* Rheatium olim. Sic Auctor nostrorum Annalium.

# CAPUT III.

## *De Policastro, nonnullis Petelia, Romanorum Colonia, & Municipio, aliisque Oppidis.*

SUbinde est (1) (*a*) *Policastrum* oppidum in radicibus Silæ edito loco validum propugnaculum, loci natura munitum, rupibus undique septum inter *Soleum* & *Cropam* amnes, torentinis & anguillis fœcundos: distat a Messurga m. p. quinque, a mari viginti, a Crotone totidem, (2.) PETELIA olim dicta. Mela enim itemque Plinius Peteliam in hoc Scylatico sinu ponunt. Rursus Plinius eam mediterraneam esse ostendit, cum ipsam intus esse dicit. Sex. Julius Peteliam undecim menses obsidionem ab Annibale sustinuisse scribit. Livius hanc Annibalem multo suorum sanguine cœpisse prodit, atque non vi sed fame: quæ res argumentum est Peteliam validum propugnaculum esse: Proinde Policastrum Peteliam esse minime est ambigendum. Licet Raphael Volaterranus ex Peteliæ occasu vicinum oppidum Altimurum ædificatum esse nugetur: cum neque Petelia interierit, & Altimurum in Apulia sit. Est Petelia urbs vetustissima ac nobilis, sed non adeo magna, ab Auxoniis, vel ab Oenotriis, ut opinari licet, condita: qui multas urbes in utraque Calabriæ ora condiderunt, inde a Philoctete habitata. Quidam vero eam a Philoctete ipso Peantis filio & Herculis comite haud multo post Ilii excidium conditam velint: ait enim Virgilius Aeneid. libro tertio:

*Hic illa ducis Meliboei*
*Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.*

Et Strabo libro sexto: *Petelia Lucanorum metropolis putatur, satis ad hoc tempus incolarum habens. Hanc Philoctetes e Melibœa per seditionem profugus ædificavit egregiis munimentis validam, adeo ut Samnites eam quandoque castellis exædificatis corroborarint.*" Philoctetes quidem urbes quasdam Calabriæ a se colonis deductas auxit". (3) Fuit Petelia amica & socia P. R. Petelini enim & Rhegini, ait Livius Bel. Pun. lib. tertio, semper in fide & amicitia Romanorum ad ultimum permanserunt. Et rursus: *Petelinos, qui uni ex Brettiis manserunt in amicitia Romana, non Carthaginienses modo, qui regionem obtinebant, sed Brettii quoque ceteri ob separata a se consilia, oppugnabant, quibus cum obsistere nequissent Petelini, legatos Romam ad præsidium petendum miserunt, quorum preces lacrimæque (in questus enim flebiles, cum sibimetipsis consulere jussi sunt, sese in vestibulo curiæ profuderunt) ingentem misericordiam patribus ac populo moverunt: Consultique iterum a M. Aemilio prætore patres circunspectis omnibus imperii viribus fateri coacti sunt, nil tam longis sociis in se præsidii esse, redire domum, fideque ad ultimum expleta consulere sibimetipsis in præsenti fortuna jusserunt. Hæc posteaquam nunciata legatio Petelinis est, tantus repente mœror pavorque senatum eorum cœpit, ut pars profugiendi quo quisque posset, ac deserendæ urbis auctores essent: pars adjungendi se ceteris Brettiis, ac per eos dedendi Annibali. Vicit tamen ea pars, quæ nihil raptim ac temere agendum, consulendumque de integro censuit. Relaxa-*

*ta postero die per minorem trepidationem, retinuerunt optimates, ut convectis omnibus ex agris urbem ac muros firmarent.* Et paulo post: *Expugnata tandem* Petelia *fuit ab* Amilcare Annibalis *præfecto aliquot post mensibus, quam cœpta oppugnari erat.* Sed *sanguine multorum ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit. Nec ulla magis vis obsessos quam fames expugnavit. Absumtis frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum, sutrinæque postremo coriis, & herbis, & radicibus, & corticibus teneris, strictisque rubis vixere. Neque antequam vires ad standum in muris ferendaque arma deerant expugnati sunt.* Et Sextus Julius Frontinus Stratag. libro quarto: Petelini *a* Pœnis *obsessi parentes & liberos propter inopiam ejecerunt, & ipsi coriis madefactis & igne siccatis, foliisque arborum, & omni genere animalium vitam trahentes, undecim menses obsidionem toleraverunt.* Idipsum scribit Athenæus libro duodecimo: "*Petelini fidem Romanis inconcussam servantes eo usque ab* Annibale *obsessi tolerarunt, ut omnes pelles comederent, quæ reperiebantur in Civitate, omnesque arborum cortices, atque omnes simplices ramos absumserint: atque cum menses undecim obsessionem passi essent, nullusque ex Romanorum decreto ipsis suppetias tulisset, expugnati sunt.*" Ad Petelinos montes, ut Plutarchus in M. Crasso tradit, Spartacus fugit, Q. Crassi legatum & Scropham quæstorem in fugam vertit, Sub tumulo Peteliæ, ut Livius belli Pun. libro septimo prodit, Equitum duo, peditum tria millia ab Annibale in occulto locata, quæ in explorato euntes Romani cum incidissent ad duo armatorum cæsa, & mille ducenti ferme vivi capti, alii dissipati fuga per agros saltusque rediere. Tumulus erat silvestris inter Punica, & Romana castra a neutris primo occupatus, ibi M. Marcellus Consul, qui suorum cladem cum percepisset e Venusio cum Crispino collega atque exercitu, eo concesserat, ab Annibalis militibus in insidiis collocatis occiditur. De hoc tumulo sic Plutarchus in Marcello infit: *Inter Romana* Punica *castra munitus admodum surgebat tumulus varia densus silva, acclives utrinque speculæ, inde fontani labuntur rivuli:* (4) Signabant Petelini in denario Bacchum habentem in capite sertum ederæ, & ex postica facie citharam & sertum lauri hac Græca inscriptione ΠΕΤΗΛΙΝΩΝ. Interdum signabant Jovem fulminantem & sinistra manu sceptrum habentem, & juxta stellam, & ex altera parte Cererem. Interim effingebant Jovem coronatum lauro, & ex altera facie itidem Jovem fulgurantem, & sinistra habentem sceptrum, & juxta caduceum. "Aliquando effingebant Apollinem coronatum lauro, aliquando effingebant Apollinem coronatum lauro, & ex altera parte Serapis simulacrum cum duabus facibus". Aliquando effingebant Jovem coronatum lauro, & contra victoriam palmam manu tenentem, aliquando ex postico Jovis signabant tripodem. Fuit Petelia Romanorum civium colonia nobilis a Sempronio consule deducta. Fuit & nobile municipium Romanorum, ut ex duobus saxis literis incisis, quæ Strogyli sunt, apparet: Sic M. MEGONIO M. F. M. N. M. PRON. COR. LEONI AED. IV. VIR. LEG. COR. Q. P. P. IV. VIR DECURIONES AUGUSTALES POPULUSQUE EX ÆRE CON-

CONLATO OB MERITA EJUS. Et in alio sic: M. MEGONIO M. F. COR. LEONI AED. IV. VIR. LEG. COR. QUÆST. PEC. P. PATRONO. MUNICIPI AUGUSTALES OB MERITA EJUS L. D. D. D. Decreverunt enim Petelini statuas Marco Megonio municipi, quibus locus datus decreto Decurionum fuit. Peteliæ in æde divæ Mariæ (5) una spinarum Coronæ Dominicæ asservatur. Hic mercatus in annos singulos celebratur. In hoc agro vina optima fiunt, fit gossipium, & sesama, & crocus, legitur manna, provenit terebinthus, nascitur marmor. Sunt & silvæ glandiferæ, ad porcos alendos opportunæ, necnon silvæ ad domorum tigna, reliquave utensilia commodæ, fiunt venationes silvestrium animalium, & aucupia multarum avium. Nec longe est (6) *Crotoneum* castellum. Inde (7) *Targines* fluvius navigabilis & piscosus fluit, cujus meminit Plinius: & juxta est eodem nomine oppidum, nunc (8) (*b*) *Vernauda*, dictum a vernante aere, cum emporio, abest a Petelia m. p. quatuor, a mari duodeviginti. Ager hic frugifer est, & pascuis commodus, fiunt vina, & olea, & mella præclara, fit gossipium, & sesama, nascitur sal fossile. Non procul est (*c*) *Clibanus* mons, cujus meminit Plinius, *Visardum* vocant accolæ.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Policastrum.* A Græco πόλις *Polis*, idest *Civitas*, & *Castrum*. Aliis *Palæocastrum*, idest *Castrum vetustum*, ab Ausoniis extructum, ut credere par est. Civitas hæc a Roberto Guiscardo prope devastata fuit, ejusque incolis *Nicotera* Civitas aucta: tametsi Engenius de Policastro Lucaniæ intelligat. Vide *Malaterr:* In Diœcesi Seberinate.

2. *Petelia.* Vide infra in Adnotat. Cap: XXII.

3. *Fuit Petelia.* Vide quæ diximus lib. I. Cap. XIV:

4. *Signabant Petelini.* Goltius nihil de numismatibus Peteliæ affert. Vide *Flor.* & *Paris*.

5. *Una spinarum Coronæ Dominicæ. Dionysius Saccus*, Minorita, hujus urbis civis doctrina & pietate clarus, Claudiæ Galliarum Reginæ a sacris confessionibus, ab eadem spinam Coronæ Dominicæ dono accepit, quam Policastri in Ecclesia Sanctæ Mariæ collocavit, quamque refert P. Silvester Petras. tom. 3. de miraculis perpetuis cap. 6. *In urbe orientalis Calabriæ Policastro habetur alia item spina ejusdem Coronæ attineturque intra reliquiarum thecam, cuspide deorsum inversa, ex qua pendet guttula cruoris teres, & movetur atque agitur, quasi recens flueret ex capite jam consauciato. A cunctis vero spectari potest; nam ipso die Virginis Deiparæ in cælum Assumtæ palam ostendi consuevit.* Fuerunt etiam ex hac urbe alii viri celeberrimi: *Gregorius Cæsar Poerius* Eques Hierosolymitanus Commendatarius & Magna Crux, *Petrus*, *Dominicus*, & *Hortensius Poerii* Magnæ Cruces, Vide Flor. & Amat. *Joannes Franciscus Fanelus* eruditione & argutiis Æsopus alter, obiit Strongyli ann. 1646. Ms. Mart. *Martinus Minerva* R. C. Præses emeritus ann. 1479. ad Regem Tunitanum legatus. Topp. de

de orig. Trib. *Josephus Cocus* primos duos Torquati Tassi cantus in vernaculam linguam transtulit ediditque Romæ ann. 1690. in 16. aliique multi quos videre poteris apud Eliam de Amato.

Circa hæc loca conjicitur fuisse *Rufranum* oppidum jam dirutum, de quo fit mentio in quadam indictione Baronum ann. 1445. sub Marchione Ruffo. Extat in monasterio Cryptæ Ferratæ agri Tusculani inscripto Græca . . . . , παρέλαβον τὴν ἡγουμενίαν ἐγὼ Νικόλαος τὸ Παιδὶν τῆς Κρυπτοφέρρας καὶ τοῦ Ρουφράνου ἔτος α. χ. μ. ἰνδικτιῶνα ι. *Accepi Hegumeniam ego Nicolaus Pædin Cryptoferratæ & Rufrani anno 6640. Indictione X.* Christi 1132. demtis nempe annis 5508. ab annis mundi more Græcorum, qui totidem ante Christum natum numerant annos. Ad inveniendam autem Indictionem Christi anno respondentem hæc a Chronologis traditur regula: Annis Christi æræ communis tres alios adde, summam per 15. divide, quod supereſt Indictio erit. Si nihil superſit, Indictio erit 15. Hinc versus:

*Si tribus adjunctis Domini diversis annos.*
*Ter tibi per quinos Indictio certa patebit.*

Sed hoc Rufranum de quo fit mentio in allata inscriptione pertinet ad Policastrum Lucaniæ, ut ex privilegio Rogerii Regis. Vide virum Cl. Gregorium Placentinium in Palæograph. Græc.

6. *Crotoneum*. Vulgo *Li Cotronei*. Oppidum a Crotoniensibus ut creditur edito loco extructum. In Diœcesi Seberinate:

7. *Targines*. Nunc vulgo *Tacina* pen. br.

8. *Vernauda*. Antea vulgo *Rocca di Pagani* & *Rocca di Tacina*, nunc *Rocca Bernauda*, a quodam Bernardo de Carpio ejus Domino cognomen sumpsit. Vide Ughell. to. 9. Ex hoc loco fuit *B. Joannes Cadurius* S. Francisci de Paula socius, quocum in Galliam trajecit. Vide Lanov. *Jo. Baptista Guercius* Presbyter Parochus S. Mariæ Majoris Neapolis sanctitate clarus, *Joseph Rosa* Archiepiscopus Nazarenus anno 1689 obiit ann. 1694. optime de Patria meritus. Ms. Mart. In Diœcesi Seberinate.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Policastrum Petelia olim dictum*. Minime gentium. Est enim Petelia quæ nunc *Strongylis* appellatur.

(*b*) *Vernauda* non dicta est a vernante aere, sed a Bernaudo latrone, qui cauponulam hic erexerat & hospites expoliabat: nec est Tacina oppidum, cum paucis ab hinc annis erectum sit.

(*c*) *Clibanus mons*, ut alii *Magliacane*, ut alii *Monte Visardo*.

CA-

# CAPUT IV.

## *De Siberena Civitate, aliisque Oppidis & Castris, ac de Isula.*

EXinde est (1) (*a*) SIBERENA civitas nobilis, ac vetustissima, sedes Archiepiscopalis, celso eoque saxeo loco sita, natura validissimum propugnaculum, ingentibus saxeis rupibus cautibusque undique cincta, abest a Vernauda m. p. tribus a Crotone duodecim, ab Oenotriis condita, ut auctor est Stephanus: quam imperitum vulgus sanctam Severinam appellat, & oppidani historiarum gloriæque sui nescii puerile, & anile quiddam ineptiarum plenum narrant. Cum urbs hæc ante Christum natum annis M.ccl. ab Oenotriis condita sit." Civis Severinas, & Severinianus". Signabant Siberenates in numo Dianam cum pharetra, & ex postica facie cervum Græca inscriptione ΣΙΒΕΡΗΝΗ: hunc numum aureum vidi Romæ pendentem drachmas duas. Signabant & Minervam galeatam, & in galea delphinum, & ex altera facie noctuam Minervæ alitem cum capsace, & circum olivarum rami, inscriptione eadem. Hic emporium haud ignobile quotannis celebratur, fiunt vina præclarissima, quæ Plinius lib. xiv. cum aliis Calabris vinis quibusdam laudat, ait enim: *Ab Ausonio mari non carent gloria Siveriniana, & Consentiæ genita*, & quæ sequuntur, ut alibi relatum est. Licet quidam Servitiana mendose legant, nullum enim in hac ora oppidum est, quod Servitium fuerit appellatum, & (*b*) vina Siveriniana talia sunt, quæ jure a Plinio inter generosa ab hoc Ausonio idest Calabro mari numerentur. Fit & oleum optimum olivæ ad amygdalarum magnitudinem crassæ & carnosæ conditæ in doliolis optimæ sunt esu. Sunt & viridaria citrorum, limonum & malorum aureorum arboribus instructa. Fit gossipium & sesama, provenit terebinthus. In æde episcopali beatæ Anastasiæ brachium asservatur." Ex hac urbe fuit *Hugo* Græcis literis ac disciplinis eruditissimus, ut Franciscus Petrarcha in epistola ad illum scribit, cui juvenem quemdam Græcam linguam discere cupientem commendat, ut ipsum instituerct. Nam cum universam Græciam Græcarum literarum desiderio peragrasset si forte uspiam inveniret a quo eas discere potuisset, nullibi invenit: Fuit & *Alphonsus Sanctorus* civis Parrhasii ætate Latinis literis impense eruditus". Ab urbe ad secundum lapidem (2) *Neæthus* fluvius navigabilis & piscosus labitur. Est & (*c*)(3) eodem nomine castrum. Hic montes nativi salis candidissimi sunt, quod lapidicinarum modo eximitur. Intus gemmam salis habet. In hoc agro pagi sunt (4) *Maurum, Joannum*, (5) *Scandalium*. Est & (6) (*d*) *Cutrum* castrum cum linis non vulgaribus, & agro pascuo, ac tritici, & aliarum frugum feraces. Hic opera figlina fiunt. Ad mare *Posterionum* promontorium extat. Inde (7) *Castella* oppidum est cum portu nobili, qui, (*e*) Castra Annibalis appellatur, cujus meminit Mela, qui portum Annibalis in hoc Scylatico sinu ponit. Item Plinius ait: „ A Scylaceo Scylaticus sinus nomen ac-
„ ce-

„ cepit, & in eo portus, qui vocatur Caſtra Annibalis nuſquam „ anguſtiore Italia xx. m. p. latitudo eſt „. Item Solinus, „ Italia, „ inquit, arctiſſima eſt ad portum, quem Annibalis portum dicunt „. Hic Annibal claſſem habebat, qua cum opus erat, exercitum quo voluiſſet trajiciebat. Quido Ravennas & eum ſequutus Blondus portum Caſtra Annibalis Trojam Apuliæ eſſe ſomniant " Cum Troja Apuliæ oppidum non maritimum ſit, ut in eo portus eſſe poſſit, ſed mediterraneum xxiiii. m. p. a mari diſtans. Quod Bubaganus Nicephori Imperatoris exercitus in Italia dux condidit ". In hoc mari coralium capitur. Hujus oppidi ager frugifer eſt, & pabulis aptus: naſcuntur vina clara, exciditur lapis molaris frumentarius, & olearius. Juxta oppidum (f) *Pilaca* fluvius defluit, (8) *Ajax* olim dictus. Cujus meminit Lycophron in Alexandra, ubi ſic ait:

*Ubi errantem moleſtam videbit vitam*
*Lacmanii bibentis Ajacis aquas.*
*Crathis autem vicinus & ſaxoſis finibus locus.*

Super quibus verbis Iſacius ait: „ Neneus Charopi & Aglaæ filius „ poſt navigationis errores habitavit juxta Lacinium montem & „ Ajacem fluvium. Crathis autem vicinus eſt fluvio Aiaci, & locus „ vicinus ſaxoſis locis „. Ab hoc oppido atque a mari m p. tribus (9) ISULA civitas eſt ſedes Epiſcopalis, cujus meminit Abbas Joachinus, licet mendoſe pro Iſulenſis Geſulenſis legatur.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Siberena*, ſeu potius *Seberena* a verbo Græco Σέβω *veneror*, ut puto: vulgo *S. Severina*. Civitatem hanc vetuſtiſſimam in Clibani Montis vertice vulgo *Viſardi* extructam fuiſſe ferunt. Hinc fuit *S.* ZACHARIAS Papa ſanctitate & doctrina mirabilis, ut legitur in Breviario Canonicorum Lateranen. Hic urbes quatuor a Luitprando Rege eccleſiaſticæ ditioni reſtituendas, pacemque Ravennatibus dandam precibus impetravit. Carolomannum Pipini fratrem, & Rachim Longobardorum regem ad monachorum vitam & habitum ab ipſo admiſſos fuiſſe conſtat, & Gregorii Magni Dialogos cum id multi ſummopere optarent in Græcam linguam converſos. Eccleſiam Montis Caſini anno 748. conſecravit. Vide Anaſtas. Biblioth. editionis Vaticanæ cum Notis var. ubi quædam etiam nos adnotavimus & Bullar. Rom. Benedicti XIII. Epiſcopi & Archiepiſcopi hujus civitatis cives fuerunt *Stephanus* Epiſcopus circ. ann. 1096. *Conſtantinus* Archiepiſcopus ann. 1099. *Severus*, ſeu *Seleucius* 1119. *Gregorius* 1122. *Joannes*, 1129. Vide Flor. *Obizus Joannes Vicecomes de Ficechia* Epiſcopus Belicaſtrenſis ann. 1418. Ughell. *Alexander* Epiſcopus Urbevetanus 1503. Ughell. *Fabricius Suſanna* Epiſcopus Montis Peluſii 1684. Ms. Mart. *Angelus de Luca* Tribunus militum celeberrimus obiit in eadem urbe ann. 1514. ſepultuſque in Eccleſia Fratrum Prædicatorum ubi extat inſcriptio hæc:

*ANGELUS DE LUCA CIVIS OPTIMUS CÆS. MILITUM TRIBUNUS FORTISSIMUS QUI SEMPER IN ACIE INVICTISSIME DIMICAVIT HIC DEO OPT. MAXIMO REDDIDIT ANIMAM, ET CORPUS UNIVERSÆ MATRI RESTITUIT. ANNO DOMINI MDXIV.*

*Bar-*

*Bartholomæus Euſtachius*, Medicus & Anatomicus celeberrimus, multa ſcripſit, ediditque Tabulas anatomicas. *Vander. Topp. aliique.* Sed hic Septempedæ in agro Piceno, vulgo *S. Severino della Marca*, reſtituendus, ut ex monumentis ſatis perſpicuis oſtenditur a Cl. viro Bernardo Gentilio Presbytero Congregationis S. Hieronymi de urbe ac Patritio Septempedano. *Joannes Leonardus Caruſus*, mendoſe ab aliquibus *Ceruſus* dictus, morum integritate conſpicuus, Gregorio XIII. S. Philippo Nerio, Cardinali Baronio, Ven. Camillo de Lellis, Friderico Cardinali Borromæo, aliiſque acceptiſſimus. Hic domum pro pueris alendis vulgo *Literatis*, aliamque S. Euphemiæ ad puellas periclitantes cuſtodiendas erexit, ſpiritu prophetiæ afflatus multa prædixit. Obiit Romæ XIII. Kal. Martias 1595. magna ſanctitatis fama, & in Eccleſia ſodalitatis Mortis & Orationis ſepultus eſt, ubi hæc inſcriptio legitur:

*D. O. M.*
*JOANNES CERVSVS*
*A S. SEVERINA VVLGO*
*LITERATVS, SVI NEGLECTV*
*AC DESPICIENTIA AMENTIAM*
*SIMVLANS CVM IN COLLATIS*
*A SE EGENTIBVS PVERIS*
*PIORVM OPE ALENDIS, ATQVE*
*PER VRBEM CIRCVMDVCENDIS*
*DIV VERSATVS FVISSET*
*DOMVMQVE ILLIS*
*CONTINENTEM, ET PVELLIS*
*INOPIA LABORANTIBVS*
*EXTRVXISSET, DIVES*
*CHARITATIS MERITIS, DEO*
*SPIRITVM REDIDIT ROMÆ*
*ANNO SAL. HVM. MDXCV.*
*VIXIT ANNOS XLIV.*

Vide Conſtitution. Innocentii XII. *Ad exercitium pietatis* 1693. *Piazz. Pancirol.* alioſque. Hujus vitam Italice ſcripſit Marcellus Manſius Presbyter e Religione Miniſtrantium infirmis ediditque Romæ ann. 1625. ac natum dicit Cariſi prope Sanctum Severinum in Diœceſi Salernitana anno 1551. allatamque a nobis inſcriptionem adducit eiſdem verbis: *A Sancta Severina.* Fortaſſe quia tunc in humanis agebat Cardinalis Julius Antonius Sanctorus Caſertanus, vulgo Cardinalis *Sanctæ Severinæ* nuncupatus, qui Literatum conterraneum ſuum appellabat. Tametſi Dominicus Martyre in ſuo Ms. Calabrum fuiſſe contendat.

*Joſeph Cortecoſa* Presbyter edidit quædam poemata. Ms. Mart. *Jo: Baptiſta Modius* medicus celeberrimus unus ex primis filiis S. Philippi Nerii cujus opera bis incolumitati reſtitutus eſt. Edidit librum *de Aqua Tiberina*, aliaque. Vide Anton. Gallon. in vita S. Philippi, Papebroch. to. 6. alioſque. Siquidem Gallonius ipſe ubi ſupra ad ann. 1556. hæc de illo habet: *Joannes Baptiſta Modius Calaber, qui inter alios Philippi filios præcipuus erat, bis uno ferme tempore a media morte ejus opera revocatus fuit. Erat is profeſſione medicus, vir doctus æque ac pius, cujus liber*, de Aqua Tiberina *inſcriptus, ut miſſas faciam quas in B. Jacobi Tudertis Cantica elaboravit Notationes, non ſine Auctoris laude circumfertur.* Et paulo poſt: *Hujus deinde opera Beatus Pater in enarrandis priſcorum rebus geſtis magno cum fructu & ſolatio audientium uſus eſt. Erat enim melliflua quadam facundia præditus, qui cum verba ad multitudinem faceret, utile dulci miſcens adſtantium pectora mira ſuavitate replebat. Denique cum magna in pauperes flagraret charitate, miſericordiæ chriſtianæque pietatis operibus*

 ma-

*maxime deditus*, *aliquot post annis in Dei famulatu absumtis obiit ita religiose pieque*, *ut vitæ responderit eodem tenore transactæ*. Adornavit præterea criticis utilibusque adnotationibus libros Macrobii de Somnio Scipionis, & Saturnalibus, quas autographas inspeximus apud Cl. Virum Petrum Pollidorum. In illis sane non minus ingenii acumen, quam multiplex eruditio Græcæque linguæ exacta notitia spectanda est. Nonnulli *Seminariæ* natum volunt, ubi etiam Familia *Moda* reperitur. Ego quid certi afferam non habeo. *Joseph Faraldius* Presbyter sanctitate conspicuus, qui Ecclesiam in urbe *S. Mariæ ad Fornaces* dictam primo ædificavit. obiit circa ann. 1691. Ms. Mart. *Menelaus Infrosinus* eruditione clarus Ludovicum Ariostum illustravit ac vindicavit. Topp. *Gregorius de Orlando* in Latina lingua apprime versatus, edidit quædam de lingua Ciceroniana Messanæ ann. 1622. Spera lib. 4. Nostris vero temporibus *Carolus Susanna* Jurisconsultus celebris, aliique non pauci apud exteros & nostrates.

2. *Neæthus*. Vide adnotat. lib. I. cap. VII. num. 2. & lib. IV. cap. XXI.

3. *Eodem nomine Castrum*. Vulgo *Rocca di Neto*. In hoc agro nempe Crotonem inter & Siberenam extabat *Leonum* vulgo *S. Leone*, Civitas Episcopalis, quæ præteritis sæculis intereit, ac Siberenæ adjuncta est. Vide Ughell.

4. *Maurum*. Vulgo *S. Mauro*, & aliquibus *Rocca di S. Mauro*. Ex hoc loco fuit *Martinus Megala* Episcopus Bovensis ann. 1646. Obiit ann. 1656. Ughell. *Franciscus Megala* Episcopus Isulanus ann. 1679. obiit 1681 Ms. Mart. *Nicolaus Ricchettus* ex Lectore Archigymnasii Romani Episcopus Martyranensis anno 1703. ad nostram memoriam usque. In Diœcesi Seberinate.

5. *Scandalium*. Aliter *Gaudiosum* appellatur. Vulgo *Scandale*. Patria *Mansueti* ex reformata Franciscana familia laici sanctitate conspicui. Chron. Ms.

6. *Cutrum*. A Crotoniensibus conditum edito loco, a Philippo II. Hispaniarum Rege in gratiam Jo: Leonardi de Bona in ludo Latrunculorum nulli secundi, de quo vide Salvium *De Ludo Latruncul.* in Civitatem erectum ut apud incolas fama est. In hoc agro extat lacus ebulliens dum proximum mare effervescit. Fuerunt hinc *Alphonsus Petruccius* Episcopus Belicastrensis ann. 1686. obiit anno sequenti. Ms. Mart. *Bartholomæus Oliverius* Episcopus Umbriaticensis ann. 1696. Ms. Mart. *Antonius Ganguzza* ex nostræ Vaticanæ Basilicæ Beneficiato Episcopus Vestanensis ann. 1560. ut constans traditio est. Vide Ughell. *Thomas Oliverius* Episcopus Strongylensis obiit anno 1718. *Thadæus* ex reformata Franciscana familia sanctitate clarus. Chron. *Ms.* *Nicolaus Oliverius* Jurisconsultus celebris. *Marcus Antonius Raymundus* Episcopus Geruntinus & Chariatensis anno 1626. Vivit modo *Camillus Oliverius* Episcopus Gravinensis eruditione conspicuus. Scripsit *de Cyclo Paschali*. & *Fabius de Bona* Presbyter Clementi XII. aliisque Principibus acceptissimus, centesimum annum agens. Vide infra.

7. *Castella*. Ex hoc loco ut nonnulli autumant sed verius ex Cutro fuit celeberrimus ille vir *Vluccialius*, antea Jo: *Dionysius Galenus* a Turcis captus ann. 1536. qui Christiana fi-

de

de ejurata eo devenit, ut imperii Othomanni sub Solimano, Selimo, & Acmete ad Christianorum perniciem clavum sustinuisse visus sit. Trium Regnorum Algerii, Tripolis, Tunetique Rex constituitur, quæ tamen Regi Catholico Philippo secundo vectigalia facere Christianæque religioni sub Pontificatu S. Pii V. & Gregorii XIII. restitui cupiebat: sed occulto Dei judicio res ad optatum finem neutiquam perducta evanuit. Hoc de matre ejus peculiare ac memorabile scribunt historici, quæ inops cum a filio barbaræ classis ductore ditanda inviseretur, audiens ejuratam fidem, nec oculos in illum conjecit, sed protinus a se rejectum maledictis increpuit, ejus ope non indigere rata qui Deo fidem non præstitisset. Obiit Constantinopoli IV. Nonas Julias 1595. Vide *Summont. Const. Sagred.* aliosque. In Diœcesi Isulensi.

8. *Ajax*. Hujus nominis fluvius prope Consentiam extat, vulgo *Ajassa* qui Crathidi miscetur. Longe itaque gentium errat Isacius Lycophronis interpres, & cum eo Barrius.

9. *Isula*. Alii *Asula*, *Esula*, *Æsulum*, & *Insula*. Vide *Hofman.* & *Vellej. Paterc.* Civitas hæc bis a Turcis direpta plurimum a prisco splendore defecit. Hinc fuerunt *Joannes* ann. 1128. *Petrus de Corono* ann. 1339. & *Nicolaus* ann. 1426. Episcopi & Cives. Vide Ughell.

## SERTORII QUATTR. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Siberena Civitas*. Nunc *Santa Severina*. Ita Stephanus, & Numismata antiquissima.

(*b*) *Vina Severiniana*. Ita legitur in codice meo vetustissimo, manu exarato.

(*c*) *Neæthum Castrum*. Nunc *la Rocca di Neto*.

(*d*) *Cutrum Oppidum*. Annales Critum appellant.

(*e*) *Castra Annibalis*. Nunc *il Porto delle Castelle*.

(*f*) *Pilaca fluvius, olim Ajax*. Non video quomodo istic locetur Ajax fluvius qui *Pilaca* dicatur, cum nuspiam per hanc oram flumen appareat ab Æsari & Targine. Pilaca enim ager est in agro Semirtano prope amnem Allum: distat etiam hic Ajax Lycophronis a Crathide longius quam octoginta mill. pass. Crathidi vicini sunt Sybaris, & Lucidus.

# CAPUT V.

## *De Lacinio Promontorio, ubi de Templo Junonis Laciniæ.*

A Castellis oppido ad sextum lapidem (1) (*a*) *Lacinium* promontorium occurrit, abest a Cocintho promontorio m. p. circiter lxx. a Crotone xviiii. Habet ab occidua parte stationem, ab altera vero portum. In hoc promontorio cedri sponte nascuntur. Fuit autem dictum Lacinium a Lacinio prædone hanc oram rapinis & la-

trociniis infestante, quem Hercules occidit, ac juxta templum Junoni construxit, quam Laciniam a nomine occisi prædonis, templumque ipsum, & promontorium Lacinium vocavit. Diodorus Siculus libro quinto de antiquorum gestis fabulosis ait: „ Hercules cum bobus in „ Italiam profectus cum juxta littus progrederetur Lacinium furem „ boves furantem peremit; Crotonem vero cum invitus cæcidisset, „ sepulcro ei constructo sepelivit egregie incolis prædicens futurum „ tempus, quo ibi civitas insignis ex mortui nomine conderetur „. Teocriti vero interpres a Lacinio Corcyræo dictum voluit, qui Crotonem hominem fugientem hospitio suscepit. Qui Croto Lacinii sui hospitis beneficii memor hoc promontorium illius nomine appellavit, & Lauram Lacinii filiam duxit uxorem, ut scribit Isacius in Lycophronem, & Crotonem urbem condidit, ut idem Theocriti interpres vult. *A Lacinio promontorio*, ait Plinius, *secundus Europæ sinus incipit magno ambitu flexus, & Acroceravno Epiri promontorio finitur, a quo abest lxxv. m. p.* A. Lacinio, ut ait Strabo, Tarentinus sinus incipit, cujus navigationis circuitus ad ccxl. m. p. est, ut autem regionis descriptor Artemidorus est, ccc & lxxx. expedito viatori. Est autem sinus hic in hemicycli speciem, in cujus utroque exitu duo oppida sunt sita, Croto ad occidentem solem, Tarentum ad orientem, in medio autem Thuriorum civitas jacet. Hunc sinum Ovid. Meth. lib. xv. Thurinum appellat. Quem tractum vocat Japygiam. Ante oram Lacinii, ait Plinius " lib. 3. c. 10. ", insula parva est x. m. p. a terra Dioscoron, altera Calypsus, quam (2) *Ogygiam* appellasse Homerus existimatur. " Hæ insulæ aqua teguntur ". Et tres (*b*). Sirenussæ. "Fuit autem Ogygia insula hæc Calypsus dicta a Calypso Nympha Oceani, & Tethios, sive ut alii Atlantis filia, quæ hic regnavit, & Ulyssem naufragum benigne excepit, ac septem annos apud se retinuit, eique conjugium suum & immortalitatem obtulit. Sed ille omnia patriæ, & Penelopes suæ amori posthabuit, ut Homerus Odyss. V. scribit. Tres Sirenussas insulas Pisinoen, Aglaopen, & Thelxiopion dictas scribit Lycophronis interpres. Nam Parthenope, Leucosia, & Lygia in mari Tyrrheno sunt. Eustatius vero ait: *Sirenussas Homerus duas, suppresso tamen nomine, alii tres fecere*. Meloessa dicta est a pomorum, & a pecoris abundantia". A Lacinio m. p. sex promontorium aliud est cum statione, *Manna* vocant accolæ. Ab hoc promontorio m. p. septem aliud extat (*c*) promontorium, cum statione, (3) *Naum* vocant, quod significat templum: (4) *Storthyngum* olim dictum. Hæc promontoria Strabo Japygum appellat, ait enim: „Post „ Scylaceum Crotoniatarum fines sunt, & Japygum terna promonto- „ ria „. Hic quoque cedri nascuntur, & fœnicula marina, critamos vocant. In hoc mari coralium rubeum & album capitur. In hac ora a Manna promontorio usque Crotonem secus littus vulgo fontes dulces scatent. Abest Naum promontorium a Crotone m. p. sex. Hic quondam nobilissimum illud & augustissimum Junonis Laciniæ templum fuit, quod ante Trojanum excidium Hercules, ut dudum diximus, statuit, in quo Æneas thurefecit, cui & muneri dedit pateram Æneam suo nomine inscriptam, veluti Dionysius Halicar.. libro primo me-

memoriæ prodidit. Ait enim „ Æneas in templo Junonis pateram Æne-
„ am reliquit scriptura vetere demonstrantem Æneæ nomen donantis
„ deam „." Huic templo & Menelaus dona obtulit ut scribit Lyco-
phron". De hujus templi nobilitate ac magnificentia Strabo libro sex-
to inquit: „ Lacinium Junonis templum superiori ætate locupletissi-
„ mum, donisque frequentissimis plenum fuit. Intervalla quidem
„ non judicatu, non dictu facilia „. Et Livius belli Pun. libro quarto
ait: „ Sex millia aberat ab urbe Crotone nobile templum ipsa urbe
„ nobilius Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. (5) Lu-
„ cus ibi frequenti silva, & proceris abiegnis arboribus septus. Læta
„ in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacræ deæ pascebatur
„ pecus sine ullo pastore, separatimque egressi cujusvis generis greges
„ nocte remeabant ad stabula. Nunquam insidiis ferarum, non frau-
„ de violati hominum. Magni ergo fructus ex eo pecore capti. Co-
„ lumnaque inde aurea solida facta & sacrata est. Inclitumque divitiis
„ etiam, non tantum sanctitate fuit. Ac miracula affinguntur plerun-
„ que tam insignibus locis. Fama est aram esse in vestibulo templi,
„ cujus cinerem nullus unquam moveat ventus. „ Id etiam scribit
Plinius libro secundo, & Val Max. libro primo. De columna autem
illa aurea sic scribit Cicero libro primo de divinatione „ Anniba-
„ lem, Cælius scribit, cum columnam illam auream, quæ esset in
„ fano Junonis Laciniæ auferret, dubitaret, utrum ea solida esset,
„ an extrinsecus inaurata perterebravisse, cunque solidam invenisset,
„ statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Junonem præ-
„ dicere ne id faceret, minitarique si id fecisset se curaturam, ut eum
„ quoque oculum quo bene videret, amitteret. Idque ab homine
„ acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum
„ esset, baculam curasse faciendam, & eam in summa columna collo-
„ casse „. Hic in annos singulos Panagyris, idest solemnis publi-
cus conventus, celebrabatur, ad quam universa Italia confluebat. Erat
templum hoc marmoreis tegulis tectum, quod Q. Fulvius Flaccus viola-
vit tegulas subtrahens, ut Livius libro quadragesimosecundo scriptum
reliquit, ubi ait: „ Q. Fulvius Flaccus Censor ædem Fortunæ Equestris
„ quam in Hispania Prætor bello Celtibero voverat, faciebat enixo
„ studio. Nec ullum Romæ amplius aut magnificentius templum es-
„ set, magnum ornamentum se templo ratus adjecturum, si tegulæ
„ marmoreæ essent. Profectus in Brettios ædem Junonis Laciniæ
„ ad partem dimidiam detegit. Id satis fore ratus ad tegendum quod
„ ædificaret. Naves paratæ fuerunt, quæ tollerent, atque asporta-
„ rent, auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohibere.
„ Postquam censor rediit, tegulæ expositæ de navibus ad templum
„ portabantur, quamquam unde essent, silebatur, non tamem cela-
„ ri potuit, fremitus igitur in curia ortus est. Ex omnibus patribus
„ postulabatur, ut consules eam rem ad Senatum referrent. Ut vero
„ accersitus in curiam censor venit, multo infestius singuli universi-
„ que præsentem lacerare, templum augustissimum regionis, quod non
„ Pyrrhus, non Annibal violassent, violare parum habuisse, nisi de-
„ texisset fœde, ac prope diripuisset, detractum culmen templo, nu-
„ da-

„ datum tectum patere imbribus putrefaciendum, censorem moribus
„ regendis creatum, cui sartatecta exigere sacris publicis, & loca
„ tuenda more majorum traditum esset. Eum per sociorum urbes,
„ diruentem templa ædium sacrarum vagari, & quod, si in privatis
„ sociorum ædificiis faceret indignum videri possit „. Et paulo post:
„ Cumque priusquam referretur, appareret, quid sentirent patres
„ relatione facta in unam omnes sententiam iere, ut hæ tegulæ re-
„ portandæ in templum locarentur, piaculariaque Junoni fierent, quæ
„ ad religionem pertinent, cum cura facta, tegulas relictas in ara
„ templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit,
„ redemtores nunciarunt „. Et paulo post scribit, ipsum Flaccum ob id sacrilegium luisse pœnas; ait enim: „ Q. Fulvius Flaccus pon-
„ tifex qui priore anno fuerat censor, hic fœda morte periit. Ex duo-
„ bus filiis, qui tum in Illyrio militabant, nunciatum est alterum de-
„ cessisse, alterum gravi, & periculoso morbo ægrotum esse. Obruit
„ animum simul luctus, metusque, & mane ingressi cubiculum servi
„ laqueo dependentem invenere. Erat opinio post censuram minus
„ compotem fuisse sui. Vulgo Junonis Laciniæ iram ob spoliatum
„ templum alienasse mentem ferunt „. Licet in Val. Max. mendose legatur templum istud Locris fuisse. Violavit & id Junonis templum Annibal, qui, ut Livius belli Pun. libro decimo tradit, cum ex Italia in Africam transire decrevisset, multos Italici generis, quia in Africam sequuturos abnuentes concesserant in Junonis Laciniæ delubrum inviolatum ad eam diem, in templo ipso fœde interfecit. in quo templo, ait idem bel. Pun. Libro octavo, Annibal aram condidit dedicavitque cum ingenti rerum ab se gestarum titulo Punicis Græcisque literis insculpto. Plutarchus vero non aram, sed arquum condidisse ait. Pompejus quoque junior, ut Appianus bel. civilium libro quinto prodit, templum hoc Junonis Laciniæ donariis refertum ad Antonium paraturus fugam prædæ exposuit. De hoc templo meminit Lycophron in Alexandra, ubi Menelaum & Achillem huc venisse scribit: Ait enim de Menelao loquens:

*Venietque errans in Japygum exercitum*
*Et dona dicabit virgini prædatrici*
*Temesium cratera, & ex pelle bovis agrestis confectum clypeum*
*Et uxoris calceos faciles ad induendum:*
*Venietque ad Syrim, & Lacinii recessus,*
*In quibus juvenca hortum parabit deæ*
*Hoplosmiæ plantis ornatum.*
*Mulieribus vero erit lex incolis semper*
*Lugere novem cubitorum Æaci tertium,*
*Et Doridis, flammam miseræ pugnæ,*
*Et neque auro pulcra ornare membra,*
*Neque tenuissimo filo contexta induere pepla*
*Purpura variegata quando deæ dea*
*Terræ magnam Storthyngam donavit condere.*

Su-

Super quibus verbis Isacius ejus interpres ait: „ Temesa civitas est Calabriæ optimum æs habens De qua inquit Homerus: In Temesam pro „ ære duro, sed splendens ferrum. Hoplosmiæ Junonis epithetum, quæ „ in Elide civitate Peloponnesi honorabatur. In Lacinii locis mulieres „ accolæ sedentes & nigras vestes habentes plorabunt Achillem, quem „ novem cubitorum magnitudine fuisse affirmat. Cujus rei gratia dea „ Thetis deæ Junoni gratificata dicabit magnum promontorium Storthyngum Crotonis, ut fabricet nemus seriatim beneque cultum, „ & ornatum plantis. In hoc templo sacerdos brevi scuto superstans „ sacrum faciebat, & victimam Junoni cædebat „. Per hæc loca Laurete urbs erat, a Laura Lacinii filia dicta, quam *Croto* duxit uxorem.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Lacinium*. Nunc vulgo *Capo delle Colonne*: sive a columnis templi Junonis, sive Scholæ Pythagoræ, quarum duæ etiamnum ibidem extant.

2. *Ogygiam*. Vide Differtat de Oenotro.

3. *Naum*. Nunc vulgo, *Capo della Nave*.

4. *Stortyngum*. Στίρθυς, ideſt *cuspis hastæ*.

5. *Lucus*. Nunc vulgo, *Fossa del Lupo*.

## SERTORII QUATTRIM. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Lacinium Promontorium*. Servius super illud Virgilii 3. *Sed diva Lacinia contra*, A rege conditore dictum putat, vel secundum quosdam a Latrone Lacinio, quem illic Hercules occidit, & hoc loco expiato Junoni templum constituit.

(*b*) *Tres Syrenussæ*. Legunt codices Vaticani, *Syri Seranus*, *TyriSeranus*, *Tyris Eranusa*, *Tyris Eranus* corrupte, omnino videndum quomodo legendum.

(*c*) *Promontorium Naum olim Storthyngum*. Unde hoc? Isacius in Lycophrone? Error est credere Promontorium Naum aliud esse a Lacinio, cum in eodem sit templum Junonis: recentiores Nau caput appellant a templo quod Græci Naon vocant: a Columnis item quæ superfuerunt ex reliquiis hujus templi dixerunt *Columnarum Promontorium*.

# CAPUT VI.

## *De Crotone vetustissima urbe, ejusque fundatione. Nonnulla de Zeusis Picturis.*

AB hoc templo m. p. sex est (1) (*a*) CROTO urbs vetustissima ac longe nobilissima amœnissimo ac saluberrimo loco secus mare sita. De ædificatione autem ejus varia est scriptorum opinio. Quidam enim a Lacinio Corcyræo eam conditam volunt. Ovidius vero & Straba a Micylo, " Herculis jussu paulo post ipsius Herculis mortem ". Py-

Pythagoras his vetustior, cui magis est adhibenda fides, ab Hercule. Ait itaque Ovid. Meth. libro xv.

*Dives ab Oceano bobus Jove natus Hiberis*
*Littora felici tenuisse Lacinia cursu*
*Fertur, & armento teneras errante per herbas*
*Ipse domum magni, nec inhospita tecta Crotonis*
*Intrasse, & requie longum relevasse laborem:*
*Atque ita discedens, Ævo dixisse nepotum*
*Hic locus urbis erit, promissaque vera fuerunt.*
*Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam*
*Micylum, illius diis acceptissimus ævi,*
*Hunc superincumbens pressum gravitate soporis*
*Claviger alloquitur: Lapidosas Æsaris undas*
*I pete diversi, patrias age desere sedes.*

Et mox de Micyli in Italiam profectione Crotonisque ædificatione adjecit:

*Navigat Ionium, Lacedæmoniumque Tarentum,*
*Præterit & Sybarim, Salentinumque Neæthum,*
*Thurinosque sinus, Melisenque & Japygis arva,*
*Vixque pererratis quæ spectant littora terris,*
*Invenit Aeserei fatalia fluminis ora.*
*Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis*
*Ossa tegebat humus, jussaque ibi mœnia terra*
*Condidit, & nomen tumulati traxit in urbem.*

Secundum itaque Ovidium per hæc loca ante Crotonis ædificationem oppidum aliud erat, & ut conjici potest ab Auxoniis, aut ab Oenotriis conditum. Etsi quidam pro *Melesen* mendose (2) *Temesen* legant. Non quidem fugiebat Ovidium Temesam in occidua Calabriæ plaga esse. Quippe qui non semel atque iterum, sed sæpe de ea, ut ostendimus, meminit, sed certe locum depravatum esse liquido constat, & Melesen legendum est, quæ urbs etiamnum in hac ora non longe a Crotone extat, de qua mox. Aut certe Aretemque legendum est, qui fluvius non procul a Neætho defluit. Sed meo quidem judicio melius Melesen legendum est "quod oppidum adhuc extat". Strabo quoque, ut ad rem redeam, libro sexto inquit: *Croto a Lacinio decem & novem m. p. distat ab Achivis condita, Cum enim Achivi a Deo oraculum cepissent, ut Crotonem contenderent, Micylus ad considerandum locum accessit. Qui cum jam ædificatum cerneret Sybarim a vicino flumine cognomen habentem, hanc præstantiorem esse judicavit. Ea propter reversus ad oraculum denuo rogavit, nunquid hanc pro illa condere datum esset. Cui Deus has reddidit voces (erat enim gibbus)*

*Terga brevis Miscelle tuo de pectore mitte,*
*Cetera perquirens frustra, en venaris iniqua,*
*At rectum quodcunque datur tu laude probato.*

*Reversus igitur* Crotonem *construxit* Archiæ *auxilio, qui* Syracusas *condidit,*

*dit, cum forte adnavigasset, quo tempore Syracusanorum domicilia constituebat. Antea sane Japyges Crotonem Ephoro teste, incolebant. Dicitur etiam, quod cum Miscellus & Archias ad Pythiam oraculum profecti essent, a Pythia interrogati utrum divitias an sanitatem vellent, cum Miscellus bonam valetudinem, Archias opulentiam velle respondissent, huic ut Syracusas, illi ut Crotonem conderent, concessit. Itaque factum est, ut Crotoniatæ saluberrimam incolerent civitatem, validissimique fuerunt athletæ. In unius etiam Olympiadis ludis septem viri, qui studio ceteros superarunt, Crotoniatæ fuere omnes. Iure itaque dici visum est, qui Crotoniatarum postremus est, is aliorum Græcorum primus est. Vetus quoque proverbium alterum, Crotone salubrius, asserit. Quod inde ortum est, quia locus ipse ad salubritatem & bonas valetudines propter athletarum multitudinem plurimum conferat, & plurimos ad Olympia victores habuit.* Ex his Strabonis verbis propalam est in hoc loco, ubi Croto condita est, oppidum aliud, ac circum etiam alia oppida fuisse a Japygibus habitata, oramque hanc Japygiam fuisse. Quippe cum alibi Strabo ipse dixerit: „ Post Scylaceum Crotoniatarum fines sunt, & Japygum terna pro-„ montoria „. Ovidius in hoc Thurino sinu, qui & Tarentinus dicitur, Japygis arva scribit. Hanc eandem oram Ovidius Salentinam vocatam ostendit, quippe qui Neæthum flumen Salentinum appellat. Sed hac de re plura libro primo diximus. Nunc autem, quia transversum unguem discessisse videor, ad institutum redeundum est. Pythagoras Crotonem ab Hercule, qui jam ante Trojanum excidium migravit e vita, conditam astruit. Qui, ut Jamblicus ait, Crotoniatis dicere erat solitus eorum urbem Herculem condidisse, quo tempore per Italiam boves agebat, cum enim a Lacinio injuria fuisset affectus, & Crotonem opem ferentem noctu per ignorantiam, quasi esset hostis, interfecisset, pollicitus est postea circa ejus monumentum urbem illi cognominem se esse conditurum, ubi immortalitatem fuisset adeptus. Idcirco debere ipsos gratiam beneficii conservare, quod Hercules ipsis patrius esset, cui templum augustum erectum erat. Ajebat etiam Pythagoras, dum Crotoniatarum urbs conderetur, promisisse Apollinem duci conditionis se progeniem concessurum si in Italiam coloniam duxisset. Itaque liquet nempe Crotonem sive ab Hercule, sive post ejus mortem a Micylo Herculis jussu ante excidium Trojanum fuisse conditam, licet quidam aliter sentiant. De perenni autem loci huius salubritate cælique temperie Plinius etiam libro secundo infit: „ Crotone & Locris pestilentia nunquam fuit, nec ter-„ ræmotu ullo laboratum annotatum est. Inest enim natura occultum „ quippiam, quod ad felicitatem facit „. Polybius libro x. Crotonem clarissimam urbem fuisse scribit. Cujus Remp. ut Laertius & Jamblicus ferunt, trecenti viri administrabant. Val. Max. vero libro octavo, mille hominum, ait enim: „ Enixo Crotoniatarum studio „ a Pythagora petierant, ut Senatum eorum, qui mille hominum „ constabat, consiliis suis uti pareretur, opulentissimaque civitas tam „ frequenter venerati sunt post mortem, domum ejus Cereris sacra-„ rium fecerunt, quamque illa urbs viguit, & dea in hominis memoria,

„ & homo in deæ religione cultus est „. De Republica Crotoniatarum scripsit Aristoteles, ut tradit Athenæus. Non solum enim ora hæc a Cæcino primum, inde a Crotalo amni usque ac Hyliam flumen Crotoniatarum ditioni subjecta erat, sed non modica quoque occidentalis Calabriæ pars, nam Terina, ut ostendi, Crotoniatarum erat. Hanc urbem decantaverunt etiam Theocritus & Dionysius Apher poetæ. Ait enim ille Edilio quarto:

*Laudoque Crotonem, pulcra Civitas;*
*Et orientale Lacinium, ubi quidem pugil*
*Ægon octuaginta solus comedit panes,*
*Illic & taurum a monte duxit capiens*
*Ungula, & dedit Amaryllidi.*

Super quibus verbis ejus interpres ait: „ Excellebat Croto omnibus
„ Italicis urbibus fortitudine, & ceteris omnibus, quæ ad felicitatem pertinent, unde proverbium tritum erat: Aliæ urbes si ad
„ Crotonem conferentur vanæ nihilque sunt „: Hic vero in libro de situ orbis inquit;

*Mœnia cernuntur Metaponti, deinde Crotonque,*
*Quam pulcher gratam præterfluit Æsarus urbem,*
*Ulterius pergens hinc templa Lacinia cernes.*
*Amabile & delectabile oppidum bene coronati Crotonis*
*Habitati sub Æsari gratiosi fluentis.*

Super quibus verbis Eustathius ejus interpres infit: „ Ideo hæc dicit
„ Dionysius, quia Crotoniatæ in certaminibus Græcis victores coronati fuerunt, & propterea honoribus & coronis patriam exornarunt.
„ Æsarus autem dictus est ab Æsaro venatore, qui cum cervam insectaretur in id flumen cecidit, unde & flumini Æsari nomen
„ mansit „ Et Cicero lib. sec. de inventione: „ Crotoniatæ quondam
„ cum florerent omnibus copiis, & in Italia in primis beati numerarentur, templum Junonis, quod religiosissime colebant, egregiis
„ picturis locupletare volebant. Itaque Eracleotem Zeusim, qui tum
„ longe ceteris pictoribus excellere existimabatur, magno precio conductum adhibuerunt. Is & ceteras tabulas complures pinxit,
„ quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit. Et ut excellentem muliebris formæ
„ pulcritudinem muta in se imago contineret, Helenæ se pingere simulacrum velle dixit. Quod Crotoniatæ eum muliebre in
„ corpore pingendo plurimum aliis præstare sæpe accepissent, libenter audierunt. Putarunt enim eum siquo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset egregium sibi opus illo in fano
„ relicturum. Neque tamen eos illa opinio fefellit. Nam Zeusis illico quæsivit ab eis quasnam virgines formosas haberent, illi autem statim hominem in palæstra, atque ei pueros ostenderunt
„ multos magna præditos dignitate ( etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus & dignitate antesteterunt, atque honestissimas in gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt ) cum puerorum igitur formas,

„ mas & corpora magno hic opere miraretur, horum, inquiunt „ illi, forores funt apud nos virgines. Quare qua fint illæ dignitate potes ex his fufpicari. Præbete igitur mihi quæfo, inquit, ex his „ virginibus formofiffimas dum pingo id, quod pollicitus fum vobis, „ ut mutum in fimulacrum animali exemplo veritas transferatur. Tum „ Crotoniatæ publico de confilio virgines unum in locum conduxerunt, & pictori quam vellet eligendi poteftatem dederunt. Ille „ autem quinque delegit, quarum nomina multi poetæ memoriæ „ tradiderunt, quod ejus effent judicio probatæ, qui veriffimum pulcritudinis habere judicium debuiffet „. Licet in Plinio libro xxxv. mendofe legatur Zeufim hanc tabulam in templo Junonis Laciniæ ponendam Agrigentinis feciffe.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Croto*. Aliis *Croton*, *Crotus Crotona*, & *Crotonium*. De ejus fundatione Dionyfius Halicarnaffeus lib. 2. hæc ait: *Quadriennio integro poft regnum Romanorum a Numa acceptum Myfcelus eam condidit anno tertio XVII. Olympiadis*. Verum hæc de reftauratione intelligenda funt, cum longe ante conftructa hæc civitas cenfeatur. Vide infra cap. X. In hoc agro extat & *Papanicium*, five *Papanicephorum*, & *Aprilianellum* vici. Vide *Flor. & Nola*.

2. *Temefen*. Extabat circa hanc oram & alia *Temefa*, ut ex tabulis Peutingerianis retulimus lib. 2. cap. 4. n. 5.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Croto a* Lacinio 19. *mil. paff. diftat*. Error eft credere, cum templum Junonis fit in eodem Promontorio quod ex Livio diftat fex mil. paff. Vide Strabonem. Corruptum fortaffe Strabonis codicem nactus eft Barrius.

# CAPUT VII.

## *Nonnulla de Bello Punico ad Crotonem pertinentia referuntur.*

Livius belli Pun. libro tertio de nobilitate & potentia hujus urbis ita fcribit: „ Recepta Petelia Pœnus ad Confentiam copias „ traducit, quam minus pertinaciter defenfam intra paucos dies „ in deditionem accepit. Iifdem ferme diebus & Brettiorum exercitus Crotonem Græcam urbem circumfidunt opulentam quondam „ armis virifque, jam tum adeo multis magnifque cladibus afflictam, „ & omnis ætatis minus viginti millia civium fupereffent. Itaque urbe „ defenforibus vacua facile potiti funt hoftes, arx tantum retenta, „ in quam inter tumultum captæ urbis e media cæde quidam effuge„ re „. Et libro quarto (*a*) „ Brettii fremebant, quia Rhegium ac „ Locros, quas urbes direpturos fe deftinaverant, intactas Pœni re„ liquiffent. Itaque per fe ipfi confcriptis armatifque juventutis fuæ

„ millibus xv. ad Crotonem oppugnandam pergunt ire, Græcam &
„ ipſam urbem, & maritimam, plurimum acceſſurum opibus, ſi in ora
„ maris portum ac urbem mœnibus validam tenuiſſent, credentes.
„ Ea cura angebat, quod neque non accerſere ad auxilium Pœnos
„ ſatis audebant, nequid non pro ſociis egiſſe viderentur, & ſi Pœ-
„ nus rurſus magis arbiter pacis, quam adjutor belli fuiſſet, ne in
„ libertatem Crotonis, ſicut ante Locrorum, fruſtra pugnaretur.
„ Itaque optimum viſum eſt ad Annibalem mitti legatos, caverique
„ ab eo, ut receptus Croto Brettiorum eſſet. Annibal cum præſen-
„ tium eam conſultationem eſſe reſpondiſſet, & ad Annonem eos
„ rejeciſſet, ab Annone nihil certi allatum. Neque enim diripi vole-
„ bat nobilem atque opulentam urbem, & ſperabat, quam Brettii
„ oppugnarent, nec juvare eam oppugnationem appareret, eo ma-
„ turius ad ſe defecturos. Crotone nec conſilium unum inter popu-
„ lares, nec voluntas erat. Unus velut morbs invaſerat omnes italiæ
„ civitates, ut plebs ab optimatibus diſſentiret, ſenatus Romanis
„ faveret, & plebs ad Pœnos rem traheret, eam diſſenſionem in urbe
„ perfuga nuntiat Brettiis. Ariſtomachum eſſe principem plebis tra-
„ dendæque auctorem urbis, & in vaſta urbe, lateque omnibus dejectis
„ mœnibus partitas ſtationes, cuſtodiaſque Senatorum, ac plebis eſ-
„ ſe, quacunque cuſtodiant homines plebis, ea patere aditum. Auctore
„ ac duce perfuga Brettii corona cinxerunt urbem, acceptique a plebe
„ primo impetu, locos omnes, præter arcem, cepere, arcem opti-
„ mates tenebant, præparato jam ante ad talem caſum perfugio, eo-
„ dem Ariſtomachus perfugit tanquam Pœnis, non Brettiis auctor urbis
„ tradendæ fuiſſet. Urbs Croto habuit murum in circuitu patentem duo-
„ decim millia paſſuum ante Pyrrhi adventum in Italiam. At poſt vaſti-
„ tatem eo bello factam, vix pars dimidia habitabatur. Flumen, quod
„ medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat mu-
„ ros, procul iis, quæ inhabitabantur. Et arx Crotonis una parte emi-
„ nens mari, altera vergente in agrum, ſito tantum naturali quodam
„ munita, poſtea & muro cincta, qua per adverſus rupes ab Diony-
„ ſio Siciliæ tyranno per dolum fuerat capta. Eam tum arcem ſatis,
„ ut videbatur, tutam Crotoniatarum optimates tenebant, circum-
„ ſedente cum Brettiis eos etiam plebe ſua, poſtremo Brettii cum
„ ſuis viribus inexpugnabilem viderent arcem, coacti neceſſitate An-
„ nonis auxilium implorant his conditionibus ad deditionem com-
„ pellere Crotoniatas conatus, ut Coloniam Brettiorum eo deduci,
„ antiquamque frequentiam eorum recipere vaſtam ac deſertam bel-
„ lis urbem paterentur. Omnium neminem præter Ariſtomachum
„ movit, (*b*) morituros ſe affirmabant citius, quam (1) immixti
„ Brettiis in alienos mores, ritus, leges, & mox linguam verte-
„ rentur. Ariſtomachus unus quando nec ſuadendo ad deditionem
„ ſatis valebat, nec ſicut urbem prodiderat, locum prodendæ arcis
„ inveniebat, transfugit ad Annonem. Locrenſes brevi poſt legati
„ cum permiſſu Annonis arcem intraſſent, perſuadent, ut traduci
„ ſe in Locros paterentur, nec ultima experiri vellent. Jam hoc, ut
„ ſibi liceret, impetraverant, & ab Annibale miſſis ad ipſum tum

„ lega-

„ legatis, ita Crotone excessum est, deducti Crotoniatæ ad mare „ naves conscenderunt, Locros omnis multitudo abeunt." In Cro- „ toniensi agro„ ( ait Livius lib. x. bell. Pun. )„ Cn. Servilius Con- „ sul cum Annibale acie conflixit, obscura ejus pugna fama est. Nihil „ ultra rei in Italia ab Annibale gestum"„. Armavit Croto quondam adversus Locros Leonymo duce centum triginta millia hominum, ut in (2) Sagra diximus. Verum ait Strabo, Crotoniatæ ex clade, quam in Sagra fluvio habuerunt, tanta fuit occisorum multitudo, ut non multo ulterius tempore perdurarint. Attamen Dionysio tyranno fortiter restiterunt. Nam Dionysius Siciliæ tyrannus, ait Trogus Pomp. libro xx. qui a Sicilia exercitum in Italiam trajecit, bellumque Græcis intulit, expugnata Locri Crotonienses vix vires longo ocio ex prioris belli clade resumentes aggreditur, qui fortius cum paucis, tanto exercitui ejus, quam antea cum tot millibus, Locrensium paucitati restiterunt. Tantum virtutis paupertas adversus insolentes divitias habet. Tantoque insperata interdum victoria certior est. Soli Crotoniatæ, ait Herodotus libro septimo, Græciæ periclitanti, auxilium una navi tulere, cui præerat Phaylus vir tris Pythonicus. Sunt enim Crotoniatæ genere Achæi. Crotoniatæ, ait Timæus, Athenæo libro duodecimo referente, ubi Sybaritas ejecerunt in luxum dilapsi sunt, ut & dux ipsorum purpurea veste indutus, aurea corona coronatus, necnon albis calceis calceatus urbem lustraret. Quidam autem tradunt id eos egisse non ob delitias, sed propter Democidem medicum Crotoniatam. Adamabant Crotoniatæ, ait Maximus Tyrius, oleastrum, Sybaritæ luxum.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Immixti Bretiis*. Vide Dissertat. De Origine Brettiorum.

2. *Sagra* Vide lib. 3. cap. 13.

## SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Brettii &c.* Erat enim hæc dissentio inter omnes Italiæ Civitates.

(*b*) *Morituros se affirmabant priusquam immixti Brettiis*. Idcirco Crotoniatæ jungi Brettiis nolebant, ne in alienos ritus, mores, Leges, & linguam irruerent, ac suos dediscerent, ut ait Livius. Magni enim faciebant Græci suos ritus, ac omnes nationes barbaras appellabant: vel enixe hoc contenderunt, quia pars illa Brettiorum quæ ad Pœnos defecerat, tota erat e plebe. Nam Senatus Romanos sequebatur.

# CAPUT VIII.

## *De Numis Crotoniatarum , & quomodo in potestatem Romanorum devenerit Respublica Crotoniata .*

IMprimebant (1) Crotoniatæ in numo Milonem juvenem Leonis tergum in Capite habentem perinde atque alterum Herculem, item palmam victoriarum illius notam : & ex postico clavam itidem Herculis , & discum , & columnam , quam ipse in gymnasio Pythagoræ laborantem sustinuit inscriptione Græca ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΩΝ. " Etiam signabant Milonem & ex altera parte clavam & arcum Herculis " ; aliquando signabant heroem , fortasse Crotonem pileatum, sive Junonem, & ex altera facie Herculem stratum super exuvias leonis seminudum cubantem , cubito humi fixo innixum , ac dextra " scyphum " sive poculum " clavam & arcum " tenentem, & supra ipsum arcum cum pharetra, quandoque loco eorum clavam . Interdum signabant Herculem nudum stantem leonis exuvias a capite dependentem, & clavæ innixum , hac inscriptione ΟΙΚΙΣΤΑ" quod *facientem habitare* significat, quod Hercules hujus urbis conditor , aut condendæ auctor fuerit. Aliquando signabant Herculem pacifice sedentem & ramum olivæ tenentem & ex altera parte tripodem cum corvo, qui Apollini est sacratus . Signabant arcum & clavam " & a tergo minervam galeatam . Interim aquilam tenentem palmam , & ex altera parte tripodem . Quandoque effingebant Herculem & ex postico noctuam Minervæ alitem . Interdum signabant Apollinem , & ex altera facie Herculem infantem , in cunis cubantem duos angues manibus prementem atque oblidentem . Censendum est haud dubium Crotoniatas in suis numismatibus cunctos Herculis labores sculpsisse . Interim effingebant Apollinem & ex postico tripodem . Croto , ut ait Eutropius libro secundo , a Romanis invaditur P. Sempronio & Appio Claudio consulibus . *Cornelius Ruffinus cons.* ( ait Sex . Julius Frontinus Strateg. libro tertio ) *cum aliquanto tempore Crotonem oppidum frustra obsedisset , quod inexpugnabile faciebat assumta in præsidia Lucanorum manus , simulavit se cœpto desistere : captivum deinde magno præmio solicitatum misit Crotonem ( tanquam ex custodia effugisset ) qui persuasit discessisse Romanos , id verum Crotonienses arbitrati , dimisere auxilia , destitutique propugnatoribus inopinati etiam invalidi capti sunt* . Fuit Croto Colonia nobilissima Romanorum , ut Livius bel. Maced. libro quarto auctor est . Deduxerunt eam triumviri C. Octavius, L. Æmilius, C Lectorius. Crotoniatæ, ut ait Procopius de bello Gothico libro tertio , a Totila Gothorum rege obsessi , etsi ab hostibus premerentur , & rerum necessariarum penuria urgerentur , tandiu tamen in fide Imperii perstitere , quandiu Justinianus Imperator tum Constantinopoli agens de hoc certior factus ipsis auxilium misit .

THO-

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Imprimebant Crotoniatæ*. Vide Goltium de Numiſmatibus Magnæ Græciæ.

# CAPUT IX.

## *De Pythagora Philoſopho Calabro ejuſque Patria.*

FLoruit Crotone diu famoſiſſimum illud ampliſſimumque ſtudium philoſophiæ (1) PYTHAGORÆ primum, inde vero poſtea Pythagoreorum, a quibus Italicum philoſophiæ genus nuncupatum eſt, ut Laertius, & Aug. libro octavo de civitate Dei ſcribunt. Atque, ait Cicero Tuſc. primo, multa ſecula ſic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur. Et Tuſ. quarto ſcribit Romanos Pythagoreorum diſciplinam amplexos fuiſſe. Ait enim: *Quis eſt enim, qui putat, cum floreret in Italia Græcia potentiſſimis & maximis urbibus ea, quæ Magna dicta eſt, in hiſque primum ipſius Pythagoræ, deinde poſtea Pythagoreorum nomen eſſet, noſtrorum hominum ad eorum doctiſſimas voces aures clauſas fuiſſe?* Et in Lælio. *Apud me valet auctoritas eorum, qui in hac terra, fuerunt, Magnamque Græciam, quæ nunc quidem deleta eſt, tunc florebat, inſtitutis, & præceptis ſuis erudierunt.* Item Laertius. *Ad Pythagoram ex Italicis Picentes, Lucani, Meſapii, & Romani diſciplinæ ſtudiorum cauſa proficiſcentes cum eo perdurabant.* Et Conſtantinus Laſcaris Bizantius eo in libro, quem ad Alfonſum Aragonium Calabriæ principem de philoſophis Calabris ſcripſit, ſic ait: *Video per Calabros philoſophos Italiam, Siciliam, ac partem Græciæ noſtræ illuſtratas fuiſſe.* Fuit nempe Pythagoras Italus ex Calabria Magna olim Græcia dicta. Ariſtoxenus enim, & Ariſtarchus, & Theopompus vetuſtiſſimi & graviſſimi auctores apud Theodoretum, & Laertius Pythagoram Italum fuiſſe teſtantur, ſed ideo Samum dictum, quia pater ejus Sami habitavit. Conſtantinus etiam Laſcaris dicit Timeſarchum patrem Pythagoræ Italum Græcum aurificem fuiſſe. Multi vero, ut Plutarchus fert in convivio, Pythagoram Locrenſem fuiſſe aſſerebant, atque etiam ejus tempeſtate hujuſce rei conſtans erat opinio. Diuus autem Thomas Aquinus in primum Meth. Ariſt. Pythagoram Calabrum (2) ex Samo Calabriæ urbe fuiſſe aſtruit. Equidem Samum urbem in Calabria a Samiis conditam fuiſſe mirum videri non debet, cum, ut ſæpe dixi, pleraque loca in Calabria fuere iiſdem appellata nominibus, quibus & orientalis Græciæ loca, ut Temſa, Pandoſia, Miletus, Scyllæum, Locrus, Amphiſſa, Meliſſa, Thebæ, Thuria urbes, Acheron, Butrothus, Crathis, Sybaris amnes.

THO-

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Pythagoræ.* Ita dictus est PYTHAGORAS, quod non minus vera quam *Pythii* oraculum loqueretur. Πύθιος *Pythios* enim cognomen est Apollinis, & ἀγορεύω Latine *referre* sonat. Ait quoque Cicero Tusc. q. lib. 1. *Pythagoras magnam auctoritatem tribuit divinationi*; & offic. 1. *Pythagoras etiam ipse augur esse voluit.*

2. *Ex Samo Calabriæ.* Hæc sunt verba D. Thomæ laudato loco post recensitam aliam Philosophorum sectam qui Taletem secuti sunt: *Alii Philosophi fuerunt italici in illa parte* Italiæ *quæ quondam Magna Græcia dicebatur, quæ nunc Apulia & Calabria dicitur, quorum philosophorum princeps fuit Pythagoras natione* Samius; *sic dictus a quadam* Calabriæ *civitate.* Porphyrius quoque in Vita Pyth. ait nonnullos *Metapontinum* credidisse. Metapontum autem est etiam in Calabria juxta Lucaniam in sinu Tarentino. Cum autem non secus ac de Homero quamplures civitates, ac nationes de Pythagoræ patria contendant, tot inter ambages id unum pro certo asserere audemus quod apud omnes compertum est, *Pythagoram* nempe Crotone Calabriæ urbe docuisse. Verosimilius itaque Calabrum fuisse credendum est. Præstat siquidem conjicere domi suæ docere maluisse quam alienæ.

# CAPUT X.

## *Qua tempestate Pythagoras floruerit, & an Numa Pompilius ejus auditor fuerit.*

QUo (1) autem tempore Pythagoras floruerit varia quoque est scriptorum opinio. Cicero enim & Livius ipsum longe post Numam fuisse scribunt, Epicarmus autem comicus vetustissimus, & Pythagoræ disciplinæ particeps apud Plutarchum, Numam, qui anno tertio xvi. Olympiadis in regnum fuit constitutus, Pythagoræ philosophi auditorem fuisse tradit. Id ipsum asseverat divus Hieronymus, qui adversus Jovinianum scribens, ad Romamque apostrophans inquit: *Adhuc sub regibus, & sub Numa Pompilio facilius majores tui Pythagoræ continentiam, quam sub consulibus Epicuri luxuriam susceperunt*: Id idem astruit Ovidius antiquitatis non nescius. Qui libro tertio de Ponto ait:

*Præmia nec Chiron ab Achille talia cœpit,*
*Pythagoræque ferunt non nocuisse Numam.*

Et Fast. libro tertio:

*Primus oliviferis Romam deductus ab armis*
*Pompilius menses sensit abesse duos:*
*Sive hoc a Samio doctus, qui posse renasci*
*Nos putet.*

Et

Et Meth. libro xv.

*Destinat Imperio clarum prænuncia veri*
*Fama Numam, non ille, satis cognosce, Sabinæ*
*Gentis habet ritus, animo majora capaci*
*Concipit, & quæ sit rerum natura requirit:*
*Hujus amor curæ patria, curibusque relictis*
*Fecit, ut Herculei penetraret ad hospitis urbem;*
*Grata quis Italicis auctor posuisset in oris.*
*Mœnia quærenti sic e senioribus unus*
*Retulit Indigetis, veteris non inscius ævi.*

Et post pauca enumeratis aliquot quæ Numa a Pythagora didicit, subdit:

*Talibus atque aliis instructo pectore dictis*
*In patriam remeasse ferunt, ultroque petitum*
*Accepisse Numam populi Latialis habenas,*
*Conjuge qui felix Nympha, ducibusque Camenis*
*Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci*
*Assuetam bello pacis traduxit ad artes.*

Plutarchus multis rationibus & conjecturis Numam Pythagoræ philosophi alumnum fuisse asseverat, & ob sapientiam & eruditionem Pythagoricam, quam habuit Numa, & fastum exteriorem, & cultum eodem Pythagoræ instituto Numam sumsisse: Item taciturnitatem, & mysterium, & quæ de deorum simulacris instituit, sacraque, ritum, & sanctimoniam a Pythagora sumsit, & uni filiorum suorum Numa Mamercum nomen indidit propter Pythagoræ filium appellatum Mamercum, & ab hoc Æmiliorum familiam nominatam fuisse ferunt. Jamvero Cassius Hemina " vetustissimus auctor & C. Piso & Cicero, aut Cato Censorius, & Valerius Antias Romani scriptores " apud Plinium lib. xiii. in arca Numæ septem libros de jure pontificio, & totidem Græcos de disciplina sapientiæ inventos fuisse ferunt. In quibus nulla scripta erant, nisi philosophiæ Pythagoricæ, & a Q. Petillio prætore combustos, quia philosophiæ scripta erant. Quæ ait Plinius, & Livius libro xl. & Val. Max. libro primo ad solvendam religionem, utique de pluralitate deorum, videbantur. " Nam Pythagoras unum Deum, non plures esse dicebat ". Quamquam enim " in urbe & in Latio, & multis locis " Latinarum, ac Græcarum literarum studia (in Sabinis quidem literarum studia tum nulla erant) ut in libris pro lingua Latina ostendi, ut temporibus illis, essent, nusquam tamen legitur in eo Numæ tempore quenquam præstantissimum philosophum floruisse, a quo ille philosophiæ præcepta didicerit. Qui, ait Livius libro primo, consultissimus vir fuit, ut illa quisquam ætate poterat, omnis divini atque humani juris. Et Ovid. Meth. lib. xxv. de eo ait:

*Mente deos adiit, & quæ natura negabat*
*Usibus humanis, oculis ea pectoris hausit.*

Etsi Livius fieri nequaquam potuisse dicat Numam e Sabinis per tot

dissonas linguas ( erant enim tum in Italia, ut in libris pro lingua Latina ostendi, tot linguæ quot regiones) Crotonem penetrare: quasi Pythagoras, & Plato, & alii non in Ægyptum penetrarint. Imo vero persacile fuit Numæ adire Crotonem. Nam cum in Latio Græcarum literarum studia tum multis locis essent, potuit Græcam linguam ediscere, atque ejus commercio se in Calabriam recipere: præsertim quod plerique Campanorum, Picentum, Lucanorum, & Mesapiorum Græcæ linguæ, navabant operam, & Romani nonnulli, ut ostendi, se ad Pythagoram contulere." Augustinus etiam lib. vii. de Civitate Dei ex Varone libros Numæ combustos ait propter sacrorum causas. Cicero autem Pythagoram Numæ temporibus minime fuisse dicit, sive quia auctores de Pythagoræ ætate inter se discrepantes reperiens, eum sequutus est quem maluerit, uti quo anno ab urbe condita Livius fabulas docuerit, controversiamque inter auctores scribit ipse in Bruto. Nec non de genere mortis Coriolani, auctores dissentire scribit libro eodem; cum Livii & Coriolani Romanorum hominum ætas recentior Latinis scriptoribus fuerit, quam Pythagoræ Græci hominis, de quo Græci scripsere. Et Livius bell. Maced. lib. vii. de morte Marcelli auctores diffidere scribit: sive quia ipse Cicero fateri nolit Numam hominem Sabinum, Regem Romanum a Pythagora Græco homine disciplinis eruditum fuisse, quemadmodum Tusc. iv. ut ostendi, fatetur quidem Romanos multa sumsisse a Pythagoreis; sed quænam ea sint, ne ab illis sumta viderentur, se reticere fassus est".

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Quo autem tempore &c.* Hæc de Pythagoræ Chronologia refert Dionysius Halicarnasseus Rom. antiq. lib. 2. *Multi scripserunt Numam Pythagoræ discipulum fuisse, & quo tempore a Romanis Rex designatus fuit Crotone fuisse, & ibi Philosophiæ operam dedisse. Sed tempus ætatis* Pythago*ræ cum his rationibus pugnat, non enim paucis annis, sed quatuor integris ætatibus* Pythagoras *ipso Numa posterior fuit, ut ex publicis historiis accepimus. Iste enim circiter mediam decimam sextam Olympiadem Romanorum regnum est adeptus;* Py*thagoras vero post quinquagesimam Olympiadem in* Italia *habitavit. Sed aliud isto validius argumentum afferre possum, ut demonstrem temporum supputationem non convenire cum historiis de hoc viro scriptis: quia quo tempore Numa ad regnum a Romanis vocatus est, nondum erat urbs Croto. Quadriennio enim integro post regnum Romanorum a Numa acceptum Myscelus eam condidit anno tertio decimæ septimæ Olympiadis. Fieri igitur non potest, ut Numa cum* Pythagora *Samio qui quatuor post ætatibus floruerit, philosophiæ operam dederit, atque manserit Crotone ( quæ nondum erat condita ) cum Romani ipsum ad regnum vocarunt. Sed videntur qui vitam ipsius scripserunt ( si modo suam cuique sententiam aperire licet ) pro confessis hæc duo accepisse,* Pytha*goræ habitationem in* Italia, *& Numæ sapientiam; omnes enim uno ore fatentur virum illum sapientem fuisse,*

*hæc-*

*hæcque conjunxiſſe , & feciſſe Numam Pythagoræ diſcipulum : non inquirentes ulterius in eorum vitas , an uterque iiſdem temporibus floruerit, id quod ego jam feci* . Verum hæc facili negotio conciliari poſſunt, ſi, ut ſupra diximus, Myſcelus Crotonem non ædificaſſe , ſed reſtauraſſe putetur , quemadmodum de tot aliis civitatibus ad ambages tollendas eruditi conjiciunt . Sed & Pauſanias in Phocicis Glaucum athletam Crotoniatam commemorat, qui vicit Olympiade XVIII. Croton igitur tunc temporis jam extabat. Vide infra cap. ſeq.

# CAPUT XI.

## *De præceptis , inſtitutiſque Pythagoræ . Nonnullæ ejuſdem ſententiæ referuntur .*

(1) PYthagoras , ait Laertius , primus amicorum omnia communia dixit , amicitiamque æqualitatem . Ejus diſcipuli facultates omnes in unum deponebant , communeſque faciebant . Quinquennium item totum ſilebant , ſolum quæ dicerentur , audientes , ac donec probarentur nunquam Pythagoram videntes . Hinc jam ad domum ipſius aſpectumque admittebantur , unde adagium ortum erat , ait Suidas , *Taciturnior Pythagoreis* . Sed de ſilentio Pythagoræ , & de recipiendis inſtituendiſque diſcipulis plura Gellius libro primo . " Habuit Pythagoras , ajunt Laertius & Suidas, amplius ſexcentos auditores, qui noctu ad ipſum audiendum confluebant". Fertur diſcipulos admonere ſolitus , ut iſta quotidie , cum domum ingrederentur , dicerent: (*a*) Ubinam excidi? Quid feci? Quid ex his, quæ facere debui, omiſi? Item mala operatus, dole: bona, lætare. Imperare aſſueſce his , ventri primum , ſomno , luxuriæque , & iræ . Super januam Academiæ lapidem habebat propria manu inſcriptum : QUI NESCIT ID, QUOD EUM SCIRE OPORTET, BRUTUS EST INTER BRUTA : QUI NON SCIT PLUSQUAM SIBI OPUS EST , HOMO EST INTER BRUTA : QUI SCIT OMNE , QUOD SCIRI POTEST, DEUS EST INTER HOMINES. Hunc lapidem M. Aurelius Imperator habebat . Monuit ſenatum Crotoniatam , ut Muſarum templum extruerent, quo præſentem concordiam conſervarent. Earum enim chorus (2) conſonantiam , concentum , rhythmum , ceteraque, quæ concordiam efficiunt , complectitur , verſaturque circa pulcherrimas contemplationes . Quod templum Crotoniatæ fecerunt , & pellices , quas habere gentile ipſis erat , dimiſerunt , rogaruntque , ut ſeparatim & ad filios ſuos in Pytheo , & ad uxores in Junonis templo verba faceret . Siquidem Crotonienſibus , ut ait Trogus Pompejus libro vigeſimo , poſt adverſam ad Sagram pugnam nulla virtutis exercitatio , nulla armorum cura fuit . Oderant enim , quæ infeliciter ſumſerant , mutaſſentque vitam luxuria, ni Pythagoras philoſophus fuiſſet , qui eos in luxuriam lapſos auctoritate ſua ad uſum frugalitatis revocaret . Laudabat quotidie virtutem , & vitia luxuriæ contemnebat , caſuſque civitatum hac peſte perditarum enumerabat.

 Tan-

Tantumque ſtudium ad frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos in optimam frugem converſos fuiſſe incredibile videretur. Matronarum quoque ſeparatam a viris doctrinam, & puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam & obſequia in viros, nunc illos modeſtiam & literarum ſtudium. Inter hæc velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat. Conſequutuſque aſſiduitate diſputationum erat, ut matronæ auratas veſtes, ceteraque dignitatis ſuæ ornamenta velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in Junonis ædem ipſi deæ conſecrarent, præferenſque vera ornamenta matronarum pudicitiam non veſtes eſſe, juventute quoque quantum profligatum ſit, victi feminarum contumaces animi manifeſtant. Interrogatus quod Deo ſimile facerent homines? reſpondit, Cum veritatem exercent. Item interrogatus, ait Stobæus in libro de patria, quomodo oporteat ſe gerere erga patriam ingratam? Ut erga matrem, reſpondit. Dixit quoque, eodem Stobæo in libro de rep. referente, primum luxuriam civitates ingredi, deinde ſaturitatem, poſtea contumeliam, poſtremo exitium. Cum juvenibus quibuſdam, ut ait divus Baſilius in libro de inſtituenda ratione ſtudiorum, vino, fertis, ſaltuque per civitatem laſcivientibus Pythagoras obviaret, dixiſſe dicitur ei, qui modos tibia faciebat, ut mutata harmonia Doricum perſonaret. Quod ubi factum eſt, baccantes illos adeo reſipuiſſe ferunt, ut ſerta abjicerent, & rubore vultus verecundiam confeſſi domum abirent. Cicero in libro de ſenectute Pythagoram principem philoſophorum vocat. Et rurſus ait: „ Vetat Pythagoras injuſſu Imperatoris, ideſt dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedere „. Et rurſus: „ Audiebam Pythagoram Pythagoreoſque incolas pene noſtros, qui eſſent Italici generis philoſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe, quin ex univerſa mente divina delibutos animos haberemus „. Pythagoras, ut ait Laertius, primus philoſophiam, ſeque philoſophum appellaſſe: quod ipſum Cicero aſſeverans ita Tuſ. libro quarto refert: „ Pythagoram, ut ſcribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Philiuntem ferunt veniſſe, cumque Leonte principe Philiaſiorum docte & copioſe diſſeruiſſet quædam, cujus ingenium & eloquentiam cum admiratus eſſet Leon, quæſiviſſe ex qua maxime arte confideret, at illum artem quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum, admiratum Leontem novitate nominis quæſiviſſe, quinam eſſent philoſophi & quid inter eos & reliquos intereſſet? Pythagoram autem ſimilem ſibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alii emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur, eſſe autem quoddam genus hominum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plauſum, nec lucrum quærerent, ſed viſendi cauſa venirent, ſtudioſeque perſpicerent quid ageretur, & quomodo. Ita nos quaſi in mercatum quadam celebritate ex urbe aliqua, ſic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos: alios gloriæ ſervire, alios pecuniæ, raros eſſe quoſdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis rerum

„ na-

„ naturam studiose intuerentur, hos se appellare sapientiæ studio-
„ sos, idest enim philosophos; & ut illic liberalissimum esset specta-
„ re, nihil sibi acquirentes, sic in vita longa omnibus studiis contempla-
„ tionem rerum cognitionemque præstare. Nec vero Pythagoras no-
„ minis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit.
„ Qui cum post hunc Philiasium sermonem in Italiam venisset, exor-
„ navit eam Græciam, quæ Magna dicta est, & privatim & publi-
„ ce præstantissimis institutis, & artibus. Pythagoricis, ( ait idem
„ libro primo de divin. ) interdictum putatur (*b*) ne faba vescerentur,
„ quod habeat inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis quæ-
„ renti vera contrarius „. Et libro secundo. „ (3) Faba quidem Py-
„ thagorei utique abstinere, quasi vero eo cibo mens, non venter in-
„ fletur „. " Erat Pythagoricorum cibus, ait Athenæus libro secundo
panis cum melle ". Utebatur Pythagoras, ut Nicolaus Alexandrinus
ait, contra omnia, quæ in stomacho dolent, antidoto, quo multos ab
hoc vitio liberavit, & illud expertum dilectis communicavit. Recipe
iridos drach. xviii. & scrup. duos, gentianæ drach. v. zingiberi drach.
iiii. & semis, melanopiperis drach. iiii. mellis quod sufficit. Datur in
modum nucis, febrientibus cum tepida. Scripsit Pythagoras, ut Laer-
tius tradit, tria volumina, de Instructione, de Civilitate, & de Natu-
ra. Moritur, ait idem, in domo Milonis, in qua cum sociis con-
sederat, quam quidam ex his, quos ille admittere noluerat, per
invidiam incendit. Ei Romani statuam erexerunt, ut Plutarchus
scribit in Numa, qui sic ait: „ Romanis aliquando reddito ora-
„ culo de illius erigenda apud se statua, qui prudentissimus Græ-
„ corum & fortissimus extitisset, duas in foro æneas imagines sta-
„ tuisse, Alcibiadis alteram, alteram vero Pythagoræ „. Et Plinius
libro xxxiiii. „ Romani statuam Pythagoræ in cornibus comitii posi-
„ tam dicarunt, Apollinis Pythii jussu, stetitque donec Sylla dictator
„ ibi curiam fecit.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

(1) *Pythagoras.* Præter fragmenta institutaque hujus Philosophi a Barrio adducta, sunt & alia in vetustis scriptoribus quos videre poteris apud Thomam Stanlejum histor. Philosoph. lib. 2. Collegimus quoque nos ex genuinis scriptoribus nonnulla ab aliis præterita spicilegia, quæ hic subnectimus.

Constantinus Lascaris aurea Carmina Pythagoræ adscripta ex Græco in Latinum sermonem transtulit: tametsi nonnulli Philolao adscribant. Vide Gesner. in Biblioth. Sunt autem quæ sequuntur:

*Immortales primum Deos lege ut dispositi sunt*
*Cole, & venerare jusjurandum, deinde heroes illustreis,*
*Et terrenos venerare dæmones legitime sacrificans,*
*Et parentes honora, & proxime cognatos.*
*Sed ex aliis virtute fac amicum, qui optimus sit.*
*Benignis autem parere sermonibus, operibusque utilibus.*

Ne-

*Neque odio habe amicum tuum peccati causa parvi*
*Quoad possis: posse enim prope necessitatem habitat.*
*Hæc quidem sic scito, sed dominari assuesce hisce,*
*Ventri primum, & somno, luxuriæque,*
*Et iræ; facies autem rem turpem nunquam, neque cum alio*
*Neque separatim, omnium autem maxime pudeat tui ipsius;*
*Tum justitia exerce opereque verboque.*
*Ne stulte teipsum habere in re ulla assuesce,*
*Sed scito moriendum esse fato omnibus.*
*Pecunias autem aliquando possidere ama, aliquando perdere.*
*Quotquot divinis fortunis mortales dolores habeant,*
*Horum quamcumque partem habeas, æquo animo fer, neque ægre feras.*
*Curare autem decet quoad possis, sic autem considera,*
*Non valde bonis istorum multum fortuna præbet.*
*Multi autem hominibus sermones malique & boni*
*Accidunt, quibus neque obstupesce, neque sane permittas*
*Implicari teipsum: mendacium autem si quod dicatur*
*Æquo animo feras, quod autem tibi dicam omni in re perficiatur.*
*Nullus neque verbo te decipiat, neque re:*
*Fac neque dic quod tibi non melius est.*
*Consule autem ante opus ne stulta sint:*
*Timidi facereque, dicereque stulta proprium viri,*
*Sed ea perfice, quæ te non postea dolore afficiant:*
*Fac nihil eorum, quæ non scis, sed docere*
*Quæcumque necesse est, & delectabilissimam vitam sic peragere.*
*Neque sanitatis circa opus negligentiam habere oportet.*
*Sed potusque mensuram, & cibi exercitiorumque*
*Fac, mensuram autem dico eam, quæ te dolore non afficiat.*
*Assuesce autem vivendi modum habere primum firmum;*
*Et cave ea facere quæ invidiam habent.*
*Ne expende præter tempus, tamquam bonorum nescius,*
*Neque illiberalis sis: mensura omnibus in rebus optima.*
*Fac autem ea quæ te non lædant, considera autem ante opus.*
*Neque somnum mollibus in oculis suscipe*
*Antequam diurnorum operum ter unumquodque percurras:*
*Quo transgressus sum? Quid feci? Quid mihi decens non perfectum est?*
*Incipiens a primo percurrere & quæ postea*
*Mala quidem operatus, dole; bona vero, lætare.*
*Hæc labora, hæc meditare, hæc oportet capere te.*
*Hæc te divinæ virtutis ad vestigia ponent.*
*Næ per nostræ animæ dantem quaternionem*

*Fon-*

*Fontem perennis naturæ, ſed vade ad opus*
*Deos precatus, ut perficiant: his autem impetratis*
*Cognoſces immortaliumque deorum, mortaliumque hominum*
*Conſiſtentiam, ut ſingula prætereunt, utque tenentur.*
*Cognoſces autem, quatenus fas eſt, naturam in omni ſimilem;*
*Ut neque inſperanda ſperes, neque te quid lateat.*
*Cognoſces autem homines ſpontanea detrimenta habenteis:*
*Miſeri, qui bona, prope cum ſint, non vident,*
*Neque accipiunt: ſolutionem autem malorum pauci norunt.*
*Talis fortuna mortalium lædit menteis: hi ſed cylindris*
*Ex aliis in alia feruntur, infinita nocumenta habenteis*
*Moleſta enim comes lis nocens latet*
*Inſita, quam non oportet adducere, ſed cedendo fugere.*
*Juppiter pater, vel a multis malis quieſcat omnis,*
*Vel omnibus oſtendas quanam ſorte utantur.*
*Sed tu confide, quoniam divinum genus eſt mortalibus*
*Quibus ſacra afferens natura oſtendit ſingula.*
*Quorum ſi quid tibi cura eſt, vinces, quæ te jubet*
*Medicando: animam autem laboribus iſtis liberabis.*
*Sed abſtine cibis quos diximus, in quæ purgationibus,*
*In quæ liberatione animi dijudica, & conſidera ſingula,*
*Aurigam judicium conſtituens deſuper optimum.*
*Cum autem relicto corpore, ad ætera liberum iveris,*
*Eris immortalis deus, incorruptibilis, non amplius mortalis.*

Dicere etiam ſolitus erat Pythagoras: *Ignem gladio ne fodito*, ideſt, Potentium iram ne commoveas. *Hirundines pellito*, ideſt, ingratos ac verboſos. *Noli guſtare ea, quorum cauda eſt nigra*, ideſt voluptates, quæ blandæ veniunt, ſed amaræ fugiunt: & his ſimilia; Vid. Manut. in Adagiis; & Plutarch. de liber. educandis. Eo auctoritatis ac ſapientiæ devenit, ut in proverbium abiret: Αὐτὸς ἔφα, *Ipſe dixit*. Vide *Gell.* & *Athen.* Immortalitatem animarum, ut ait Cic. Tuſc. q. lib. 5. maxime confirmavit celebri illa *metempſychoſi*, ideſt animarum de uno corpore in aliud tranſmigratione. Ait enim Ovidius ſub Pythagoræ nomine Metamorph. 15.

*Morte carent animæ, ſemper priore relicta*
*Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ;*
*Ipſe ego, nam memini, Trojani tempore belli*
*Panthoides Euphorbus eram.*

Et alibi;

*. . . . . . inque ferinas*
*Poſſumus ire domos, pecudumque in corpora condi;*

Dicebat, poſtmodum Euphorbum tranſiſſe in Homerum, poſtea in pavonem, deinde in Pythagoram. Hunc poſtremo dicunt renatum in Ennium Poetam. Hinc Perſ. ſat. VI. v. 11.

*Cor jubet hoc Enni poſtquam deſtertuit eſſe*
*Mæonides quintus pavone ex Pythagoreo.*

Hæc docuit Pythagoras non modo ad animarum immortalitatem aſtruendam, verum & ad vitia hominum coercenda; ne ſi brutis ſimiles eſſent, ad bruta tranſirent, ut apud Homerum Ulyſſis ſocii a Circe in porcos mutati ſunt, quod ſordibus ac libidini dediti eſſent; & apud Ovidium & Apulejum in Metamorph. varia

ria adducuntur exempla. Idipſum fert Athenæus lib. 15. *Diſſere nobis de eo quod propoſitum eſt, ne quod eſt apud divinum Platonem libro de Animo, te vita defunctum, quemadmodum eos qui gulæ dediti fuerunt, compotationum ſtudioſi, intemperantes, & in alios contumelioſi ac injuſti, aut in aſinorum genus tranſiſſe, aut alicujus feræ ſpeciem induiſſe nos intelligamus.*

Fuit & Pythagoras Moſaicis ſcriptis in Ægypto ſuffultus, ut ait S. Juſtinus Martyr ſerm. ad Gent. exhort. atque unum Deum aſſeruit: *Pythagoræ de uno Deo ſententiam audite hanc: Deus unus eſt, non ut quidam ſuſpicantur extra opus a ſe ornatum ac diſpoſitum, ſed in ſeipſo totus in orbe toto, inſpectans quæ gignuntur omnia, cum ſit temperamentum cunctorum temporum, opifex potentiarum, operumque ſuorum, omnium principium, unum luminare in cælo, pater omnium, univerſorum mens, & animatio, circulorum motus omnium. Ita Pythagoras*. Et lib. de Monarchia: *Cum eo* (Orphec) *ſentit & Pythagoras dum ſcribit:*

*Si quis dicet Deus ſum præter unum, is debet*
*Mundum hunc parem condere, & dicere, hic meus eſt:*
*Nec ſolum condere & dicere meus eſt, ſed habitare*
*Ipſe in eo quem fecerit: hic autem ab hoc factus eſt.*

Hæc Pythagorica de una Divinitate ſententia ex Livio quoque evincitur. Ait namque lib. xl. ad annum Urbis DLXIX. *In agro L. Petillii ſcribæ ſub Janiculo dum cultores agri altius moliuntur terram duæ lapideæ arcæ octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ inventæ ſunt operculis plumbo devinctis, literis Latinis Græciſque utraque arca inſcripta erat: in altera Numam Pompilium Pomponis filium regem Romanorum ſepultum eſſe: in altera libros Numæ Pompilii ineſſe. Eas arcas cum ex amicorum ſententia dominus aperuiſſet, quæ titulum ſepulti regis habuerat, inanis inventa, ſine ullo veſtigio corporis humani, aut ullius rei, per tabem tot annorum oſſibus abſumtis, in altera duo faſces candelis involuti ſeptenos habuere libros, non integra modo, ſed recentiſſima ſpecie. Septem libri de jure Pontificio erant; ſeptem Græci de diſciplina ſapientiæ, quæ illius ætatis eſſe potuit. Adjicit Antias Valerius Pythagoricos fuiſſe, vulgatæ opinioni, qua creditur Pythagoræ auditorem fuiſſe Numam; mendacio probabili accommodata fide.* Et Paulo poſt: *Lectis rerum ſummis, cum animadvertiſſet pleraque diſſolvendarum religionum eſſe, L. Petillio dixit ſeſe eos libros in ignem conjecturum eſſe.* Hi demum, ut Livius ſubdit, in Comitio igne a victimariis facto in conſpectu populi cremati ſunt. Nec alia de cauſa conjici poteſt, niſi quia populus ſuperſtitionibus deditus plures colebat deos, quos Pythagoras, unum aſſerendo, deſtruebat. Idipſum refert Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. *Noluerunt enim priſci viri quidquam in hac civitate aſſervari, quo animi hominum a deorum cultu avocarentur.*

Hanc doctrinam hauſit fortaſſe Pythagoras a Jeremia quem in Ægypto, & ab Ezechiele quem in Chaldæa vidit, ut teſtantur S. Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſt. & Clemens Alexandrinus, quinimo & circumciſus creditur, ut facilis ei ad Hebræos pateret acceſſus. Mirificam quoque illam Pythagoræ τετρακτὺν, ipſum eſſe ſuſpicantur Dei Nomen ineffabile τετραγράμματον יהוה *Jeova*;

*va*; atque ejus notitiam a Daniele jam sene Pythagoram cum in Babylone degeret, accepisse: quinimo Pythagoricum illud, *Non transeundum illac ubi asinus procubuerit*, ex historia Balaam & Asinæ prodiisse conjicit Huetius demonstr. Euang. prop. IV.

Scripsit Pythagoras de rubro mari, ut ait Athenæus lib. 4. celeberrimamque illam demonstrationem de triangulis rectangulis invenit, ob quam centum boves sacrificavit, quamque Euclides fert Prop. 47. lib. 1. Ait namque Athenæus lib. x. *Appollodorus arithmeticus auctor est Hecatombem illum sacrificasse quod invenisset in triangulo rectis angulis constante, lineam quæ recto angulo subtenditur tantum valere quantum aliæ eundem angulum continentes*.

*Cum famosus Pythagoras descriptionem linearum celebrem*
*Repperit, ob quam nobili sacrificio boves immolavit.*

Alii Pythagoram Jovi sacrificasse dicunt quod literam Y invenerit, sicque legunt:

Ἡνίκα Πυθαγόρας τὸ περικλυτὲς εὕρατο γράμμα,
Κεῖν' ἐφ' ὅτῳ κλειτὴν ἤγαγε βουθυσίην,

Quæ carmina ita interpretatur Bentinus in Antolog.

*Pythagoras quondam Diis fecit nobile sacrum,*
*Inventa est illi Littera quod celebris:*

Fuit & Pythagoras paucissimi potus frugalemque sibi adeo rationem victus indixit, ut sæpius solo melle contentus fuerit, teste eodem Athenæo. Motum syderis Veneris appellati primus detexit, ait enim Plinius lib. II. cap. VIII. *Quam naturam ejus Pythagoras Samius primus deprehendit Olympiade circiter* XLII. Ex quo intelligimus Numæ Pompilii temporibus floruisse, ut idem fert lib. 13. cap. 13. Et cap. XXI. *Pythagoras vir sagacis animi a terra ad Lunam CXXV. millia stadiorum esse collegit. Ab ea usque ad* Solem *duplum; inde ad duodecim signa triplicatum*. Sub Semneferteo rege Pythagoras in Ægypto fuit; ait namque idem Plinius lib. XXXVI. cap. IX. Is *autem obeliscus, quem divus Augustus in circo magno constituit, excisus a rege Semneferteo, quo regnante* Pythagoras *in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum est & dodrantis præter basim ejusdem lapidis*.

De Litera Pythagorica vide opusc. XI. ex iis quæ Virgilio adscribuntur; habetur namque:

*Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni*
*Humanæ vitæ speciem præferre videtur &c.*

Pythagoras quippe ut homines ad virtutem alliceret, atque a vitiis absterreret, docuit virtutem semitam videri quidem primum difficilem, sed incredibilem animi quietem ac jucunditatem parere; contra vero vitium latam quidem viam esse, sed ad perditionem impellere: Et quo id rudibus oculis præmonstraret literam Y objecit. Basim hujus literæ initium actaque infantiæ nostræ significare asserebat: ubi vero ad bivium, hoc est ad mali bonique cognitionem deveniremus, declinato vitiorum sinistro, dextrum cornu, hoc est virtutem totis viribus arripiendam nobis esse proposuit. S. Hieronymus epist. ad Lætam de institut. filiæ hæc infit: *Donec parvulus ad annos sapientiæ veniat, & Pythagoræ litera Y eum perducat ad bivium, tam bona ejus quam mala parentibus imputantur*. Nec Virgilium latuit, qui Æneæ sub rami aurei symbolo virtutem capes-

pessendam inculcavit. Vide *Ascens.* Pers. *sat.*3. *Auson. aliosque*. Nec abs re putavimus de hac litera obiter adnotare sequioris ævi Græcos illa usos esse ad *Filium* exprimendum: sicut enim Π *Patrem*, sic Υ *Filium*, & Α *Spiritum Sanctum* solis primis literis contenti significabant. Υἱὸς siquidem Latine *Filius* dicitur. Cumque in Gallia Cisalpina pro *Filio* contracte *Fio* pronunciaretur, hinc usus invaluit, ut litera Υ *Fio* & tandem corrupte *Fia* vocitata sit, ut ait Constantinus Lascaris in Gramm.

2. *Consonantiam*. Pythagoram ferunt, cum apud ærarios fabros adnotavisset ex malleorum ictibus consonantiam lege ponderum provenire, collegisse numeros, quibus sibi consentiens diversitas ponderum continebatur. Vide *Marsil. Ficin. comment. in Tim. cap.*31.

3. *Faba*. Aulus Gellius Noct. Attic. lib.IV. cap.XI. negat Pythagoram fabis abstinuisse. Ait enim: *Opinio vetus falsa occupavit, & convaluit Pythagoram philosophum non esitasse ex animalibus; itemque abstinuisse fabulo, quem* κύαμον *Græci appellant*. Et paulo post: *Aristoxenus musicus vir literarum veterum diligentissimus, Aristotelis philosophi auditor in libro quem de Pythagora reliquit, nullo sæpius legumento Pythagoram dicit usum quam fabis; quoniam is cibus, & subduceret sensim alvum & levigaret. Verba ista Aristoxeni subscripsi:* Πυθαγόρας δὲ λέγων τῶν ὀσπρίων, μάλιστα τὸν κύαμον ἐδοκίμασε λίαν, κινητικόν τε γὰρ εἶναι, καὶ διαφορητικὸν, διὸ καὶ μάλιστα κέχρηται αὐτῷ. Idest: *Cum diceret* Pythagoras *de leguminibus; fabam præcipue approbavit; motum enim maxime excitat, & alvum ciet; quamobrem ea maxime utitur*. Additque Gellius κύαμον aliud etiam præter *fabam* significare, & Empedoclem, qui hac voce utitur, more Pythagoræ operte atque symbolice non a fabulo edendo sed a rei venereæ proluvio voluisse homines deducere. Id quidem aperte evincitur ab ipsius Pythagoræ dogmate quod refert S. Hieronymus, quodque totius Philosophiæ summam complectitur: Δεῖ φυγαδεύειν πάντα τρόπον καὶ ἐκκόπτειν τὴν νόσον ἀπὸ τοῦ σώματος, τὴν ἀπαιδευσίαν ἀπὸ τῆς ψυχῆς, τὴν ἀσέλγειαν ἀπὸ γαστρὸς, τὴν στάσιν ἀπὸ πόλεος, τὴν διαφωνίαν ἀπὸ τῆς οἰκίας, καὶ κοινῇ ἀπὸ πάντων τὸ ἀκρατές. Idest: *Fugare convenit ac modis omnibus resecare morbum a corpore, inscitiam ab animo, luxuriam a ventre, seditionem a civitate, discordiam a familia, in summa ab omni negocio intemperantiam*. Vide Adag. Manut. Idipsum refert Porphyrius in vita Pyth. Plutarchus vero de suffragiis non ferendis explicat, quæ per fabas dantur. Vide Opusc. *de liber. educandis*.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Ubinam excidi*. Hinc ortum nobile Virgilii epigramma. *Vir bonus & prudens*.

(*b*) *Ne faba vescerentur*. Cur Pythagoras fabas discipulis interdixerit, plura Gellius lib. 4. cap. 11. de hoc Diog. Laert. in vita Pytag. Plin. lib.16. cap.12. Fest. Pomp. in dictione *Faba* Plutarch. in problem. & lib. de liberis educandis. Erasm. Retorod. Chel. prima cent. 1. proverb. *A fabis abstineto*.

CA-

# CAPUT XII.

## *De Theano uxore Pythagoræ. Ejus sententia de educatione filoirum.*

EX schola Pythagoræ, ait Jamblicus, prodiere prope innumeri eruditi ac sapientes viri. Duxit Pythagoras, ut Laertius & Suidas ferunt, uxorem *Theano* Brontini Crotoniatæ filiam, quæ docta ac sapiens fuit, philosopha & poetrix. Ex qua suscepit *Thelaugem*, & *Mamercum*, & tres filias *Myan*, sive *Alyam*, *Arignotim*, sive *Erigonem*, quæ doctæ fuere, quarum, ait Constantinus Lascaris, extant epistolæ: & *Damon* sive *Dameam*, quæ etiam longe docta fuit. Scripsit Theano, ut Suidas, & Plotinus tradunt, commentaria philosophica, Apophtegmata, & poema quoddam heroico carmine, ac mortuo Pythagora scholas cum Thelauge & Mamerco filiis regendas suscepit. " Animam immortalem dixit " Hæc philosophiæ sectatrix multa pulcra ac scitu digna de pueris educandis scribit ad Eubolam. Ait enim: *Audio te pueros delicate educare, sed certe optimæ genitricis est liberos non deliciose & licenter enutrire, sed modeste ac sobrie. Animadverte obsecro ne non diligentis sed adulantis opus agas. Siquidem voluptuosa educatio pueros assentatores reddit. Quid suavius juvenibus domestica voluptate? Oportet equidem puerorum educationem carere perversitate. Naturæ autem perversitas est cum pueri animo fuerint voluptarii, corpore vero delicati ac molles, laboresque omnes effugerint, ac molliores evaserint. Oportet autem cum educantur exercere eos ne terribilia metuant, sive cum affligi, sive cum laborare opus fuerit, ne turpium affectuum servi reddantur. Nam ob voluptates gulosi efficiuntur, & ob desidia labores effugiunt. Debent pueri res honestas summopere complecti, abstinere a vitiis, & perseverare, in virtutibus. Cavenda est pueris ciborum satietas, & sumtuosa voluptas, & superflua licentia ludorum. Neque permittendi sunt ut intemperate & impudenter in ludis se se exerceant, neque ut omnia dicant, aut agant. Neque metuas si interim plorent, neque læteris & rideas cum nutricem pulsaverint, aut tibi maledixerint. Neque in æstate frigus, aut in hieme calorem suppedites, aut multas delitias, quibus inopes pueri omnino carent. Qui quidem facilius educantur, & crescunt nihilominus, ac longe meliores efficiuntur. Tu vero veluti Sardanapali progeniem educas pueros, marium naturam voluptatibus effeminas. Quid enim faciet aliquis puero, qui nisi celeriter comedat, plorat, & si comederit, delectabilia obsonia quærit? Quod si æstum senserit, debilitatur; si frigus, concidit; si objurgatur, reluctatur: & nisi ei ad voluptatem res administrabuntur, tristatur; & si non præmansum in os inferatur, ægre fert: & ad voluptatem pravo ocio utitur, ac molliter & effeminate circumagitur. Studiose autem cum scias quod pueri deliciantes dum pubescent in viros mancipia reddentur,*

*tur, hujusmodi voluptates auferas, & educationem austeram, non delicatam adhibeas: ac permittas eos famem, sitim, frigus, æstum, & erubescentiam pati & ab æqualibus, & a præceptoribus. Sic enim & exercentur animo impigro, & corpore adolescunt. Labores enim quædam corroboramenta sunt pueris ad virtutem, quibus imbuti, quod satis sit, virtutis colorem apprehendunt. Vide igitur ne quemadmodum vites male cultæ fructum non afferunt, ita propter delicias pueri petulantiæ, & multarum nugarum malitiam gignunt.* Hæc, ait Stobæus in Nuptialibus, Pythagoræ dogmatum studiosa cuidam interroganti quomodo celebris evasisset, respondit, Contexens telam, & meum curans conjugium. Item quærenti quod officium esset matronæ, respondit, Viro suo placere. Rogata etiam, ait Laertius, quando mulier a viro munda sit, ad Cererisque sacrarium veniret, respondit, A suo quæque continuo, ab alieno nunquam. Ei vero, quæ ad virum pergeret, in mandatis dabat, ut cum veste & verecundiam poneret, exurgensque denuo cum ipsa illam una resumeret. Rogata quænam hæc? Inquit, Per quæ mulier vocor. Hæc, ait Plutarchus in Nuptialibus, vestem induens brachium nudavit, cum quidam dixisset, O pulcrum cubitum! At non publicum, inquit. Hæc: ait Clemens Alexandrinus Strom. primo, ex mulieribus prima philosophiam, & Apophtegmata scripsit, dixitque: Esset revera pulcris vita convivium iis, qui se scelerate gesserunt, deinde moriuntur, si non esset anima immortalis, mors esset lucrum.

## CAPUT XIII.

### *De viris & mulieribus Philosophis Pythagoreis, & præsertim de Mamerco Æmilio, ex quo Gens Æmilia cognomen sumpsit.*

B*Rontinus* autem Theano pater, ait Jamblicus, scripsit de mente, & cogitatu, & alia. *Thelauges* sive *Theages*, Pythagoræ, & Theano filius philosophus eximius fuit, & patri in philosophia successit, ut ait Laertius, & scholas cum matre & fratre *Mamerco* regendas suscepit. Fuit & mathematicus, ut ait Suidas, scripsit de numero quaternario libros quatuor, innuens quatuor esse elementa, sive, ut alii, profundum, silentium, mentem, & verum. Pro quo Aegyptii, ait Lascaris, ipsum deum habebant. Hunc plurimi & Empedocles Agrigentinus audierunt, cui Plato librum de Sapientia titulum fecit *Theauges*. Mamercus quoque cognomento Æmilius Pythagoræ filius non modo philosophus doctus fuit, sed nimia etiam præditus humanitate, a quo Romanorum Aemilia gens cognomen sumpsit, ceu Sex. Pomp. scribit, qui ait. „ Æmiliam gentem appellatam dicunt a Mamerco Pythago-
„ ræ philosophi filio, cui propter unicam humanitatem cognomen fuit
„ Æmilios. „ Item Plutarchus in Paulo Æmilio ait: „ Æmiliorum
„ familiam in urbe Roma patritiam sane atque vetustam fuisse pluri-
„ mi

„ mi tradunt, quod vero primus, qui nomen ei familiæ reliquit, Mar-
„ cus Æmilius propter fermonis lepiditatem, quam Æmiliam Græci
„ vocant, appellatus, Pythagoræ philofophi puer fuerit, nonnulli ex
„ iis tradunt, qui doctrinam Numæ Pompilii regis in Pythagoram
„ auctorem referunt. „ Mamercus, ut dixi, cum Thelauge fratre, & matre fcholas rexit. Jamblicus autem tradit Pythagoræ in difciplinis fucceflorem fuifle *Ariftæum* Crotoniatam *Demophoontis* filium, is ætate Pythagoræ viguit feptem generationibus, poft hunc Mamercum, huic fucceffit *Bulgaras*, inde *Gartydas*. *Damea* Pythagoræ & Theano filia philofophiæ fectatrix admodum erudita fuit. Quæ ingenium in exponendis paternis fententiarum involucris exercuit. Fuit fumma prædita caftitate. De qua Hieronymus lib. 1. adverfus Jovinianum ait: „ Timæus fcribit Pythagoræ filiam virginem choro virginum præfuiffe,
„ & caftitatis eas inftituiffe doctrinis. „ Habuit filiam *Bifcalam*, ait Lafcaris, eruditam. Fuerunt Pythagoræ difcipuli Crotoniatæ philofophi docti, ait Jamblicus, *Ageas*, *Agylus*, *Antimedon*, *Arignotis*, *Ægon*, *Boythius*, *Bulgaras*, *Bryas*, *Cleoftenes*, *Calciphon*, *Cleophron*, *Damodes*, *Dymas*, *Dinono*, mulier, *Epifylus*, *Eratus*, *Enandrus*, *Gartydas*, *Ippoftratus*, *Ippoftenes*, *Itaneus*, *Leophron*, *Myllias*, *Menon*, *Milo*, *Ecphantus*, *Onatus*, *Philolaus*, *Phiciadas*, *Rodippus*, *Silius*, *Timicha* uxor *Mylliæ*, *Philtis* filia *Theophrii*, *Mea* uxor *Milonis*, & *Neocles*. Ergo (1) novem mulieres Crotoniatæ, præter ceteras, doctrina excelluere. Porro opinandum eft per ea tempora omnes prope Crotoniatas & mares & feminas in Græcas literas ac philofophiæ, aliarumque difciplinarum ftudia incubuiffe, etfi non omnes in ipfis adeo profecerint, excelluerintque doctrina. Ita & Locrenfes, & Rheginos, reliquofque Calabros, ut olim Romæ in reliquove Latio in Latinis literis factitatum eft.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Novem mulieres*. In Athenæo lib. IV. mentio fit cujufdam *Pythagorizuffæ*, quam Pythagoræ difcipulam eruditi conjiciunt.

## CAPUT XIV.

### *De Philolao Platonis & Architæ præceptore, ejufque inftitutis.*

(1) PHILOLAUS Pythagoræ difcipulus, præceptor Platonis & Architæ fuit, veluti Cicero libro tertio de Orat. infinuat. Ait enim: „ Pythagoreus ille Lyfias Thebanum Epaminondam haud
„ fcio an fummum virum unum omnis Græciæ, aut Xenophon Age-
„ filaum, aut Philolaus Architam Tarentinum, aut ipfe Pythagoras
„ totam illam veterem Italiæ Græciam, quæ quondam Magna voci-
„ tata eft, doctrinis omnibus expolivit atque inftituit „. Plato, ut Hermippus apud Laertium & Plutarchum in Platone ferunt, tres Philolai

lolai libros Pythagoricæ fectæ emit ab ejus confanguineis argenti minis Alexandrinis quadraginta, five, ut alii centum, five, ut Gellius decem millibus denarium mercatus eft. Quam argenti fummam a Dionyfio tyranno accepit, ex quibus libris Plato plura in fuum Timæum transfcripfit. Quos tanto ftudio lectitabat, ut ad ejus defuncti caput fint reperti. Opinatur Philolaus omnia harmonia ac neceffitate fieri. (2) Terram juxta primum circulum moveri dicit. Hic primus de natura rerum fcripfit. Quorum eft initium: *In mundo natura coacta eft ex infinitis ac finitis, mundufque totus, & quæ funt in ipfo omnia.* Hic Dei unitatem afferuit, quare Athenagoras ad Antoninos Cæfares fcribens, unum Deum effe ex Philolai fcriptis afferuit. Hic, ut Plutarchus fcribit, mundi corruptionem bifariam effe dixit, tum ex cælo ignis defluxu, tum ex aqua lunari vertigine ex aere effufa. Horum enim fuffimenta mundi effe alimoniam. Dicebat etiam, ut Plutarchus de placitis philofophorum libro fecundo, & Galenus in libro de hiftoria philofophica tradunt, Solem vitri modo perlucentem accipere ab igne cælefti fplendorem, acceptumque ad nos tranfmittere, & tanquam percolare, adeo cæleftem ignem Soli affimilem effe, ex quo prodire Solem & fimile quid fpeculi, tertiamque inde a fpeculo lucem ad nos per reflexionem diffipari. Hanc enim nos Solem vocare, quafi imaginis imaginem. Dicebat etiam, ut iidem ferunt, moveri circa ignem per obliquum circulum, eo modo, quo Sol, & Luna, ignem vero in medio ftatuit, quem totius naturæ focum ac meditullium cenfet. Supra quem terram, huic noftræ contrariam, & inde terram collocat, quam ex oppofito fitam illi dicit, & circa eam ferri. Quamobrem eos, qui illic funt, a nobis videri non poffe. " Hi dicuntur antipodes. Hanc fententiam plerique Latini & Græci eruditi auctores funt fequuti." Hic, ut Marcus Vitruvius libro primo auctor eft, multas res organicas & gnomonicas numero naturalibufque rationibus inventas atque explicatas pofteris reliquit. Item numerus eft, inquit, imperiofa quædam & ex fe progenita fempiternæ mundanorum perfeverantiæ continentia. Proclus ait: „ Plato multas admirabilefque de deis fententias per ma-
„ thematicas formas nos edocet, Pythagoricorumque phialis utens, ve-
„ laminibus facram divinarum fcientiarum tegit difciplinam. Talis
„ enim eft & univerfus facer divinufque fermo Philolai in Bacchis,
„ totufque modus enarrationis Pythagoræ de diis. Jure Philolaus trian-
„ guli angulum diis quatuor confecravit, ac juxta tertium angulum
„ ipforum unionem colligit.„ Hic omnia ad cæleftem harmoniam, coactionemque naturæ retulit. Dicere quoque folebat, Cum in facrum perveneris ne fpectes a tergo." Dictum utique divinis literis confentaneum". Hic ait Suidas, fufpitionem maxime omnibus cavendam monet: Etfi enim, inquit, nihil committis, fed tantum videaris, infelix es. Eum Crotoniatæ tyrannidis fufpitione fuftulere, ut Laertius prodit.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Philolaus.* Amicus fcilicet populi, ex φιλὸς *amicus*, & λαὸς *populus.*

2. *Terram juxta primum circulum moveri.* Siftema hoc Pythagoras pri-

primus excogitavit, cui Pythagorei adstipulati sunt, ut ait Aristoteles lib. 2. de cælo cap. 13. Ignem quippe seu Solem veluti elementorum principem in medio inclusum, terramque tamquam planetam circa ipsum cum aliis corporibus cælestibus circumagi, suoque motu harmoniam efficere tradiderunt. Quibus consentit Aristarchus Samius apud Archimedem lib. *de arenæ numero*, diversusque creditur ab altero Aristarcho, qui ut Plutarchus fert lib. *de facie in orbe Lunæ* Cleantem Samium putavit *violatæ religionis à Græcis debuisse postulari, tamquam si mundi Lares Vestamque suo loco movisset, quod ea quæ in cælo apparent tutari certis rationibus conatus, posuisset cælum quiescere, Terram per obliquum volvi circulum, & circa suum vexari interim axem.* Et Ovidius Fastor. lib. 6.

*Stat vi Terra sua, vi stando Vesta vocatur.*

Verumtamen huic Pythagoreorum hypothesi adhæserunt Philolaus noster, Heraclides Ponticus, Nicætas Syracusanus, Ecphantus, Leucippus, ipse Plato jam senior, & Numa Pompilius, qui referente Plutarcho in ejus vita ædem Vestæ in formam orbicularem extruxit, ut in illius medio veluti Sol in centro mundi ignis sacer asservaretur. Novissimus omnium Nicolaus Copernicus Torunensis Canonicus in Polonia eandem hypothesim suscitavit, ac ab anno 1500. usque ad 1530. ad illam stabiliendam totus incubuit, quare *hypothesis Copernicanæ* nomen obtinuit, cui postmodum Galilæus, & Carthesius adstipulati sunt.

## CAPUT XV.

### *De Alcmæone Philosopho & Medico.*

FUit & ALCMÆON Crotoniata Pyrithi filius, Pythagoræ alumnus, philosophus & medicus excellens, cognomento Physicus (maxime enim valuerunt Crotoniatæ medicina) qui, ait Laertius, plurimum in medicina versatus est, deque ea complura conscripsit, plerumque de natura disputat, dicens multas rerum humanarum caufas. Videtur autem primus de naturæ ratione scripsisse, ut Phavorinus in omnimoda tradit historia. Lunamque hanc sempiternam habere naturam. Quod autem Pyrithi filius fuerit testatur ipse in principio sui operis sic. „ Alcmæon Crotoniata hæc ait Pyrithi filius Brontino, & „ Leoni, & Bathyllo de invisibilibus rebus. Manifestam quidem scientiam habent dii, quantum vero conjicere hominibus licet, & quæ „ sequuntur „. Hic, ait Proclus, primus rerum naturam literis explicavit. Animam vero immortalem dixit, moverique perpetuo instar Solis. Hujus meminit Cicero libro primo de natura Deorum: *Alcmæon*, inquit, *qui Soli & Lunæ, reliquisque syderibus, animoque præterea divinitatem dedit, non sensit se se mortalibus rebus immortalitatem dare.* Et Themistius libro primo de anima: *Alcmæon Crotoniata ille, qui cognomento Physicus dicebatur, animam, inquit, immortalem esse oportet ratione ea quia semper agitetur, eoque simillima rebus immortalibus videatur,* mo-

*moveri enim & reliqua immortalia incessabili agitatu.* Et Arist. libro primo de anima. *Alcmæon dicit animam esse immortalem propter hoc quod assimiletur immortalibus.* Et libro septimo de historia animalium. *Alcmæon Crotoniata ait, mas primum semen genitale magna ex parte incipit ferre anno peracto bis septimo, simul etiam pubescere incipit eodem tempore, ut stirpes semen laturas primum florere.* Et Galenus in libro de historia philosophica & Plutarchus in libro de placitis philosophorum dicunt: „ Alcmæon stellas vagas ex adverso fixis incedere dicit, hoc est ab occasu in orientem. Auditum autem fieri, quod aures intus vacuæ „ sint, vacua autem omnia resonare quoties in ipsa vox aliqua feratur. „ Olfactum autem in cerebro præcipuam animæ partem constituit, at„ que ipsam odores inter respirandum attractos percipere. Gustum ve„ ro cum humiditate & temperato calore, tum mollitie sapores inter„ noscere linguam. Somnum autem sanguinis recessu in venas ipsius „ confluxui deputatas fieri. Mortem vero si prorsus omnis illuc abscedat, „ quia frigidum corpus ita nimium redditur. Expergisci autem, nos „ sanguinis ejusdem reditu. At sanitatem constare credit ex æqua„ litate caloris & siccitatis, frigoris & humiditatis, item dulcedinis & „ amaritudinis, & id genus aliis. Morbos autem excitari quoties isto„ rum unum aliquod ceteris dominetur. Singulorum nanque excessus „ societatem dissolvit, atque ita morbum fieri. „ Dicit etiam Alcmæon ipse, ut Plutarchus scribit, mulini generis mares quidem steriles propter genituræ tenuitatem, item seminis frigiditatem; feminis vero propter vulvam non dehiscentem, item non se laxantem. Hic primus exectionem aggredi ausus est. Primusque fabulas adinvenit, ut Isidorus Etymologiarum libro tradit, ubi sic ait: „ Fabulæ ideo sunt „ introductæ ut ficto mutorum animalium inter se colloquio, imago „ quædam vitæ hominum nosceretur. Has primus invenisse traditur „ Alcmæon Crotoniensis, appellanturque Æsopicæ, quia is apud Phry„ giam in hac re polluit. „ Scripsit lingua Dorica, ait Suidas.

## CAPUT XVI.

### *De Neocle, Ascone, & Ecphante Philosophis Crotoniatis. Hujus fragmenta de Regno & Rege præclarissima adducuntur.*

Fuit & *Neocles* Crotoniata philosophus & medicus illustris, cujus meminit Athenæus. Hic, ait Ælianus de historia animalium libro octavo, dicit rubetas duo jecora habere, alterum quidem occidere, alterum alteri adversantem salutem afferre. Fuit & *Asto*, sive *Ascon* Crotoniata philosophus celebris Pythagoræ auditor, qui Laertio lib. octavo prodente, complura scripsit, sed Pythagoræ inscribuntur. Fuit & *Ecphantes* Crotoniata Pythagoræ discipulus, qui scripsit de regno. De quo Stobæus in admonitionibus de regno meminit, & hæc ejus dicta ponit: „ Quod uniuscujusque animalis natura ad mundum &

„ ejus

„ ejus partes accommodata ſit, multis mihi videtur argumentis con-
„ ſtare. Sic enim conſentiens, connexaque ſingulorum natura opti-
„ mam ſimul & neceſſariam ſequitur ſeriem, quæ ex motu univerſi
„ conſtituta, ut communem rerum omnium ornatum, ita ſingulorum
„ quoque officio durationem conſervat. Quare mundus etiam appel-
„ latur, & perfectiſſimum eſt animalium. In partibus vero ejus, quæ
„ multæ ſunt, & diverſæ natura, id animal primas tenet, quod plus
„ divinitatis continet. Quare inter cæleſtia quidem, quæ immortalis
„ Dei naturam participant, & primario maximeque ſequentur, pla-
„ netæ ſtellæ ſalutantur. In regione vero infra Lunam, ubi corporum
„ motus eſt rectus, dæmonis natura verſatur. Ceterum in terra &
„ apud nos optimus quidem natura eſt homo, diviniſſimus autem rex
„ & meliori conditione inter ceteros affluens, ſimilis quidem corpore
„ reliquis, utpote ex eadem materia natus, ab optimo quidem artifi-
„ ce productus, qui fabricavit eum, archetypum imitatus ſeipſum.
„ Quocirca rex unicum & excellens quoddam opus eſt, imago illius
„ regis, creatori ſuo ſemper familiaris, a ſubditis vero in regno tan-
„ quam lumine conſpicuo. Examinatur enim & probatur digni-
„ tas regia non ſecus quam avium princeps aquila obverſis Soli ocu-
„ lis. Eadem eſt ratio de regno, ut quod divinum ſit & propter ni-
„ miam claritatem oculos obtundat omnibus præterquam legitimis.
„ Etenim multi ſplendorem oculis obverſantes, atque vertigines ar-
„ guunt ſpurios, qui aſcenderunt tanquam in altitudinem inſolitam.
„ Illis vero, qui, ut par eſt, propter naturæ ſimilitudinem regni ca-
„ cumen adiverunt, habitari poteſt, & uſum ſui commodum præbe-
„ re. Eſt igitur regnum res ſyncera, incorrupta & propter excellen-
„ tiam diviniſſima, atque homini difficilis acceſſu. Oportet autem il-
„ lum, qui ſuſcepit regnum puriſſimum, & lucidiſſimum natura eſſe,
„ ne quod clariſſimum ejus eſt, obſcuret ſuis maculis, quemadmodum
„ nonnulli ſanctiſſima loca inquinaverunt, & execrabiles quidem eos,
„ quibus obviam facti ſunt. Rex igitur naturam habeat minime pol-
„ lutam, & quanto reliquis divinior ſit, agnoſcat, ac cetera, quibus
„ decenter inſtructus tum ſeipſo, tum ſubditis optime uti poterit. Ce-
„ teri quidem homines a vitiis ſuis ſanctiſſime purgantur, ſi principibus
„ ſuis ſimiles evadant, ſive legem principem, ſive regem habuerint. Prin-
„ cipes vero, qui non habent quod natura ſua præſtantius imitentur,
„ illi non longius abire debent, ſed ſtatim a Deo utilitatem petere.
„ Nam neque mundum aliquis quæſiverit, in ipſo agens, & pars ejus
„ exiſtens, neque is, qui aliis imperat, illum ignorare debet, a quo
„ ipſe regitur. Maximum autem hoc ornamentum eſt, quod nihil
„ non gubernatum non inveniatur. Oportet principem etiam mori-
„ bus imperium docere. Sic enim ſtatim imperii pulcritudo eluceſcit.
„ Qui Dei virtutem imitatur, & ei charus eſt, quem æmulatus fuerit,
„ & amplius ſubditis. Nullum enim Deo charum homines odio pro-
„ ſequuntur. Nam neque ſydera, neque univerſus mundus Deum odit:
„ nam ſi ducem ſuum odiſſent, non utique ei parerent. Sed quod be-
„ ne imperat, id in cauſa eſt, ut ſubjecta bene regantur, & pareant.
„ Equidem exiſtimo terrenum regem nullius virtutis expertem eſſe

„ debere, qua cæleſtis ille præditus eſt. Sed ut ipſa res eſt peregrina &
„ admiratione digna, utpote cælitus ad homines profecta, ita nimi-
„ rum & virtutes ipſius Dei opera exiſtimandæ ſunt, divino beneficio
„ ei acceſſiſſe. Quod ſi rem a principio conſideres, verum eſſe, quod
„ dico, intelliges. Per communionem enim omnium primam & ma-
„ xime neceſſariam hominum genera terreſtris rex conciliat. Similiter
„ facit ille, qui cuncta in univerſo gubernat. Nihil etenim, ſi tollas ami-
„ citiam & communionem conſiſtere poteſt, quod etiam in civitatibus
„ ita ſe habet, ſi familiarem ſocietatem abſtuleris, & ſi multo inferior
„ ſit, quam divina natura & regia, quæ nihil hujuſmodi ſibi deſide-
„ rant, utpote perfectæ virtutis: ſed aliis indigentibus ſuppeditant, &
„ communi utilitati conſulunt. Amicitia autem civitatis communem
„ mutuo finem ſpectans, ipſius univerſi concordiam imitatur. Porro
„ citra conſtitutionem magiſtratuum nulla civitas habitari poſſet. Re-
„ quiruntur autem ad illam conſtitutionem leges, civilis gubernatio,
„ ſubditique, & præfecti, ſi per ſe conſervanda ſit. Hæc ſequitur
„ commune bonum, concinnus quidam ſtatus, & multitudinis conſen-
„ ſus cum perſuaſione concordi. Ille, qui imperat juxta virtutem no-
„ minatur rex, atque eſt eadem amicitia conſenſuque ſubditis conjun-
„ ctus, qua Deus mundo & in ipſis contentis jungitur. Ceterum opor-
„ tet omnem benevolentiam inſtitui, primum a rege in ſubditos,
„ deinde viciſſim a ſubditis erga regem, qualis nimirum patris erga fi-
„ lium, paſtoris erga gregem, & legis adverſus utentes ipſa, una ea-
„ demque virtus tum ceteris imperat, tum vitæ propriæ moderatur. Nul-
„ lus autem ad vitam ſibi propter inopiam, alterius miniſterium ac-
„ cerſat, quod ipſe ſibi ſecundum naturam ſatis miniſtrare poteſt.
„ Quamvis enim omnium ſit communio, nihilominus quiſque per ſe
„ ſuis contentus vivet. Videtur etenim is, qui rebus ſuis contentus eſt,
„ nullo alio ad vitam tranſigendam opus habiturus. Quod ſi vitam
„ activam degere oporteat, liquet quod etiam ſi alia quæpiam ei ac-
„ ceſſerint, nihilominus tamen ſtatu ſuo contentus manebit. Nam &
„ amicos habebit ſuæ virtutis gratia, quibuſcum agens non alia virtu-
„ te eis utetur, quam illa qua reliquam ſuam inſtituit vitam. Neceſ-
„ ſe eſt enim, ut cetera omnia hanc virtutem ſequantur, cum nihil
„ ipſa præſtantius ei adjungi poſſit. Deus ſane citra famulorum &
„ miniſtrorum operam, neque imperans cuiquam, neque coronans
„ aut præconis voce celebrans obedientes, aut ignominia notans im-
„ moderatos, ipſe ſolus tantam imperii molem gubernat. Sed præbens
„ ſeipſum imitatione dignum, omnibus deſiderium & æmulationem
„ injicit naturæ ſuæ. Eſt autem bonus ipſe, atque hoc ſolum opus
„ agit, idque facile. Qui vero imitantur ipſum hoc ſtudio melius o-
„ mnia peragunt, & illius aſſimilatio ſingulis ſufficit. Non enim alia
„ virtus eſt, quæ Deo accepta facit, & alia quæ ipſum imitatur.
„ Ceterum rex terrenus apud nos cur non ſimiliter ſe ſuiſque conten-
„ tus, & in ſtatu ſuo abſolutus ſit? Aſſimilabit enim ſeipſum uni tan-
„ tum optimo, & omnes alios ſibi undecunque ſimiles fieri ſtudebit.
„ Quod ſi vis & neceſſitas cogat ſubditos, ſinguli promtitudinem imi-
„ tandi remittere ſolent. Non enim fieri poteſt ut abſque benevolen-

„ tia

„ tia alterum alteri simile evadat, quam in primis obliterat timor.
„ Utinam humanum ingenium nulla persuasione opus haberet. Est
„ enim persuasio terrenæ gravitatis vestigium, qua mortale animal par-
„ ticipat. Nam persuasio res est, vicina necessitati, utque ea perfi-
„ cere sua opera conetur, quæ necessitatem declinarunt. At quæ spon-
„ te naturæ honestum amplectuntur, nulla persuasionis reverentia mo-
„ ventur, nec enim timent necessitatem. Posset autem solus rex in ho-
„ minis animo etiam hoc bonum efficere, ut quod melius est imitan-
„ do, decorum sequeretur. Illos vero, qui tanquam ebrietate corru-
„ pti sunt, & propter malam educationem melioris oblivionem inci-
„ derunt, oratio adhibita restituit, laborantes sanat, ejectaque obli-
„ vione pravitatis vitio ipsis innata memoriam inserit. Ex qua per-
„ suasio dicta nascitur, quæ licet malis orta, boni tamen aliquid pro-
„ ducit terram inhabitantibus, in qua quod vitio naturæ deest propter
„ ejus imbecillitatem, oratio inter homines usurpata resarcit, atque
„ explet. „ Et rursus. „ Revera rex erit, qui sacram & divinam ha-
„ buerit animi meditationem, hac enim imbutus persuasusque bono-
„ rum auctor erit omnium, mali vero nullius. Quin etiam quod futu-
„ rus sit justus, utpote ad communicandum promtus, cujus constat,
„ communicatio enim in æqualitate, & ejus distributione sita est. An-
„ tecedit justitia, communicatio participat. Nam fieri nequit, ut in-
„ justus æqualiter distribuat, aut ut non sit ad communicandum prom-
„ tus qui distribuit ex æquo. Continentem vero esse illum, qui con-
„ tentus sit suo statu, quis negaverit? Sumtuositas enim incontinen-
„ tiæ parens est, incontinentia contumeliæ, unde pleraque hominum
„ mala enascuntur. Virtus autem, quæ suis rebus contentos facit, sum-
„ tuositatem, & quæ sequuntur eam, haud quaquam probat. Sed cum
„ ipsa princeps quædam sit, præest quidem omnibus, subesse vero nul-
„ li potest, quod primum Dei, deinde regis proprium est, ut nulli
„ subjiciantur. Sibi vero ipsis imperant. Unde & ἀνταρχὴς apud Græ-
„ cos dictus videatur παρὰ τὸ ἑαυτοῦ ἄρχειν. Quod autem ista sine pru-
„ dentia fieri nequeant, apparet; & quod prudentia mundi Deus sit,
„ manifestum est. Ordine enim & constitutione decenti conjungun-
„ tur, absque mente vero non possent fieri. Proinde rex quoque sine
„ prudentia non poterit sibi comparare istas virtutes, justitiam dico,
„ continentiam, communicandi virtutem, & istis cognatas. „ Et rur-
sus de Magistratu: „ Homines in terra tanquam in exilio sunt, & es-
„ sentia puriori multum inferiores, plurima terra gravantur, adeo ut
„ a parente sua ægre extollantur, nisi quis divinorum status miserum
„ hoc animal meliori parti conjungat, sacrum genitoris aspectum mon-
„ strans, qui a nemine conspici potest. In terra quidem & apud nos
„ optimum sane ingenium præ ceteris animantibus homini datum est.
„ Divinior autem inter homines rex, ut qui multum supra commu-
„ nem naturam emineat, corpore reliquis non dissimilis, utpote na-
„ tus ex eadem materia: sed ab optimo artifice factus, qui fabricavit
„ ipsum, archetypo ex se se sumto. Utinam fieri posset, ut humana
„ natura nulla persuasione egeret. Reliquiæ enim terrestris malitiæ,
„ quæ animal efficiunt mortale, causa sunt, ut sine ipsa degere nequeat.

„ Siquis vero animo fuerit præ aliis divinior, ille nulla in re persua-
„ sione opus habebit.

## CAPUT XVII.

### *De aliis Philosophis Crotoniatis, & præcipue de Democide ejusque gestis apud Darium Persarum Regem.*

FUit & *Arignotus* Crotoniata philosophus Pythagoræ discipulus, qui, ait Lucianus, *sacer* cognominabatur. Fuit & *Salethus* Crotoniata philosophus & Legislator, qui Crotoniatis civibus suis leges dedit, atque inter cetera, lege excepit, ait Lucianus in Apologia, ut mœchi vivi cremarentur. Cumque ipse fratris uxorem polluisset, deprehensus orationem tam luculentam habuit, ut cives remittere pœnam vellent, atque exilio tantum eum damnare: at ille magnitudinem culpæ intelligens in ignem ultro insiliit. Fuit & *Orpheus* Crotoniata poeta *Epopeus*, ait Suidas, idest, qui vera non ficta scripsit. Quem Pisistrati Atheniensium Tyranni familiaritate usum fuisse Asclepiades inquit in sexto grammaticorum libro, qua tempestate apud Hebræos Judices rerum summam gerebant. Cujus sunt Ecanteria, Argonautica Heroico carmine, & alia nonnulla. Fuit Oeagri filius, & primi Orphei Threicei in suo poemate personam induisse videtur: qui se Oeagri fluminis & Calliopes filium cecinit. Orpheum autem Threicium Trojana tempora præcessisse perspicuum est. In Orphei vero Crotoniatæ Argonautico multa referuntur, quæ post excidium Trojanum peracta sunt, & Alcinoi regis mentio fit, & aliorum, qui in Odyssea celebrantur. Licet Aristoteles apud Ciceronem de Nat. Deor. libro primo, dicat Orpheum poetam nunquam fuisse, & hoc Orphicum carmen Pythagorici cujusdam Cercopis fuisse ferunt. Plato vero sæpissime de Orpheo meminit. Asclepiades & Suidas dicunt Orpheum dixisse rerum omnium principium esse phanoum, idest, amorem, qui primus ex Dia apparuit. Fuit a Pythagoricis eruditus, ait Constantinus Lascaris. Fuit & DEMOCIDES Crotoniata Caliphontis filius medicus celeberrimus Darii tempore, cujus meminit Plinius libro primo, e cujus libris nonnulla excerpsit. De quo Herodotus libro tertio ita scribit: *Polycrates ad Oroetem navigans, cum alios, tum vero Democidem Caliphontis filium Crotoniensem medicum, qui eam artem apud suos præclarissime omnium exercebat, secum duxit. Sed Oroetes Polycratem cruci suffixit. Darius mandat* Persis, *qui in Sardibus erant, ut Oroetem interimant. Contigit autem non diu post, ut in venatu ferarum Darius rex, dum ab equo desilit, pedem intorserit, vehementerque laxaverit, nam talis e juncturis amotus est. Existimans itaque apud se, ut prius, habere ex Ægyptiis eos, qui primi putarentur arte medicinæ, eorum opera utebatur. At illi torquendo pedem, ac violenter tractando plus mali faciebant, adeo quidem ut septem dies totidemque noctes Darius præ molestia, qua afficiebatur,* *trans-*

*transegerit insomnes. Octavo die eidem male habenti quidam Democidis Crotoniensis mentionem fecit, cujus de artificio prius jam inde in Sardibus audisset. Darius hominem quam celerrime accersi ad sese jubet, ille ut inter captivos Oroetis inventus, ubi pro neglecto habebatur, in medium productus est, sicut erat pannosus, ac compedes trahens. In medio positum Darius interrogat nunquid eam nosset artem? Democides veritus ne si se proderet, usquequaque Græcia privaretur, dissimulavit. Sed dum videtur notitiam artis præseferre, Darius jussit* eos, *qui hominem adduxerant, verbera & tormenta afferre in medium: tum ille simulatione missa, se plene scire artem illam negavit, sed aliquantulum ejus consuetudinem, quam cum medico habuisset. Factaque ei potestate curandi, Græcis medicamentis utens, & levia post acria admovens Darium compotem somni fecit, & brevi tempore incolumen reddidit, cum jam se invalidum fore ad incedendum desperasset. Ob quam curationem cum eum Darius duobus aurearum compedum paribus donasset, interrogavit Democides, nunquid ideo duplici se malo remunerandum putaret, quod ab eo sospes ipse foret effectus? Hoc dicto Darius delectatus ad suas uxores hominem misit. Eunuchi, qui eum deducebant ad feminas, dicebant hunc esse, qui restituisset animam regi. Tunc earum singulæ auream phialæ thecam suffugientes Democidi donaverunt, tam amplo munere, ut excidentes ex percussione phialarum stateres, famulus, qui sequebatur, nomine Sciton, collegerit non parvam auri summam. Hic Democides hunc in modum e Crotone profectus cum Polycrate consuetudinem habuit. Cum a patre sane iracundo Crotone cohiberetur, nec eum tolerare posset; illo relicto abiit in Æginam, ubi commoratus unum annum primos medicos transcendit, etsi imparatus erat, & nihil instrumentorum habens, quæ ad artem medicinæ pertinerent. Ex quo factum est, ut sequenti anno Æginatæ eum talento conduxerint. Athenienses tertio anno centum minis. Polycrates quarto anno talentis duobus. Ita in Samum profectus est. A quo viro non minimum Crotonienses medici specimen acceperunt. Tunc videlicet cum per Græciam medici Crotonienses primi numerabantur. Secundi Cyrenei. Tunc Susis itaque Democides Dario sanato maximas ædes obtinebat, & cum rege ad mensam sedebat omnibus rebus affluens, præter hanc unam, quod in Græciam redire non posset. Quinetiam Ægyptios medicos regem curare solitos cum essent patibulis suffigendi, quod a Græco medico superati forent, impetrata a rege venia, liberavit. Liberavit item Vaticinum quendam Oleum, qui Polycratem sequutus fuerat, & inter captivos pro neglecto relictus. Denique maximi momenti apud regem Democides erat. Interjecto deinde brevi tempore inter alia contigit, ut Atossæ Cyri filiæ, erat Darii uxor, in mammilla ulcus oriretur, deinde rescissum porro grassaretur. Quod ista quoad fuit exiguum præ pudore occultans nemini indicavit, sed ubi male jam habebat accersito Democide rem ostendit. Ille se redditurum sanam affirmans, adjurat eam, ut sibi vicissim ipsa inserviat, in eo, quod oraverit, oraturum autem nihil, unde dedecus redundaret. A quo, postea quam curata est, edocta, Darium, dum cum eo cubat, ut Democidem virum maxime idoneum ex omnibus ad demonstrandas Persis res Græcas, atque exponendas mittat, monet.*

*net. Darius, ubi primum illuxit accitis quindecim* Persarum *spectatis præcipit ut sequentes Democidem omnia Græciæ maritima collustraret, neve committerent, ut Democides ab ipsis aufugeret, sed rursus eum omnino reducerent. Hæc illis ubi præceperit, secundo loco Democidem ipsum ad se accersitum orat, ut exposita atque demonstrata* Persis *omni Græcia, rursus redeat. Jubetque eum dono ferre patri ac fratribus omnia sua utensilia, affirmans se alia multo plura illi daturum, ac præter dona missurum ait quæ una iter faciat onerariam navim omnifariis bonis refertam. Hæc Darius nullo doloso consilio, ut mea fert opinio, mandavit.* Ille *tamen veritus ne se Darius tentaret tanquam fugitivum, si cuncta sibi oblata caperet, respondit, se quidem sua illic relinquere velle, ut ea reversus sibi habeat. Verum navim onerariam, quam Darius promittebat dono fratribus accipere. Darius postquam hæc Democidi præcepit, homines ad mare dimisit. Isti cum Phœnicem descendissent, & ex* Phœnice *in urbem* Sydonem, *confestim duas triremes instruxerunt, & simul ingentem onerariam multifariis bonis impleverunt. Comparatisque omnibus in Græciam trajiciunt, & adeuntes maritima ejus loca intuebantur, atque describebant, tum pleraque ac celeberrima loca Græciæ contemplati in* Italiam *Tarentum transmiserunt.* Ibi *Aristophilides Tarentinorum rex & ipse Crotoniensis gubernacula Medicarum navium resolvit, pariter & ipsos Persas distinuit, tanquam certos exploratores. Interea dum isti patiuntur hæc, Democides Crotonem abiit in domum suam, quo abeunte Aristophilides Persas missos facit, restitutis his, quæ de navibus abstulisset. Illinc* Persæ *navigantes ac Democidem persequentes Crotonem perveniunt, nactique in foro Democidem prehendunt. Cum Crotoniensium quidam rem Persicam reformidantes tradere parati erant; quidam e diverso injectis manibus Persas fustibus cædebant his verbis commonefacientes:* Viri *Crotonienses considerate quid facitis, qui hominem regis fugitivum eripitis. An ex usu vobis erit hanc injuriam regi Dario intulisse, ac vobis bene cedat ista facientes? Si nos dimiseritis, cui enim prius, quam huic urbi bellum inferamus? Aut quam priorem diripere conabimur? Hæc dicendo nihil magis Crotoniensibus persuaserunt; quinimo non modo Democide sed etiam oneraria navi, quam secum duxerant, privati sunt. Atque ita in Asiam reversi omisso jam studio discendi ulteriora Græciæ duce fraudati. Quibus tamen in digressu iste mandaverat, ut Dario dicerent, Democidem ducere uxorem Milonis filiam. Erat enim apud regem celebre nomen Milonis luctatoris. Quas nuptias mihi videtur Democides eo tempore properasse, magna erogata pecunia, ut ipsum etiam in patria sua spectatum esse Dario appareret.* Scripsit Democides librum. Quo tempore, ut ait Timæus apud Athenæum libro duodecimo, Persæ cœperunt Democidem, Crotoniatæ conati sunt solvere festum Olympicum proponentes præmium argenteum opulentissimum. Quidam vero id fecisse ajunt Sybaritas. Antea enim victores coronis coronabantur aut laureis, aut myrteis & hujusmodi. Talentum autem (quia de eo hic mentio facta est) sexcentis aureis numis valebat, ut latius in libro De æternitate urbis ostendimus: mina vero Attica centum drachmis sive denariis Romanis, hoc est decem aureis numis.

## CAPUT XVIII.

### *De Dinonone, & Philtyde, ubi multa de temperantia mulierum.*

FUit & *Dinonon* Brontini Crotoniatæ uxor, socrus & discipula Pythagoræ. Quæ admodum docta fuit & sapiens, & virtutibus præcellens, cujus pulcrum illud dictum extat: Mulierem a viri sui congressu surgentem sacrificare eodem die debere. Quod ipsum in Theanonem ejus filiam nonnulli referunt. Fuit & *Philtys* sive *Phryntys* Crotoniata filia *Theophrii*, sive ut alii, *Calicratis*, Pythagoræ discipula, ejusque dogmatum studiosa. Scripsit quædam. Hæc in libro De temperantia mulieris apud Stobæum in nuptialibus, præter cetera, ait: „ Mulier omnino bona & modesta sit: nam sine virtute nunquam talis fieri potest. Omnis virtus enim id cui contingit laudabile reddit. Videndi virtus oculos, audiendi aures, equi equum, viri virum, sic & mulieris mulierem. Est autem prima virtus mulieris temperantia, qua virum suum colere & amare poterit. Multi fortassis existimant philosophari non decere mulierem, ut nec equitare, neque concionari. Ego autem sentio opera quædam propria viri esse, alia mulieris, nonnulla utriusque. Communia item alia potius ad mulierem, quam ad virum pertinere, alia contra. Viri propria sunt exercitum aut rempublicam gubernare, concionari: Mulieri autem peculiare est custodire domum, manere domi, expectare, & bene tractare maritum: utrisque communia nomino fortitudinem, justitiam, & prudentiam. Quippe cum corporis virtutes & virum, & mulierem possidere decet, tum animæ similiter. Et ut corpus habere sanum utrisque prodest, sic etiam animæ sanitas. Corporis virtutes appello sanitatem, robur, sensuum integritatem, pulcritudinem. Ceterum sunt ex virtutibus, quæ magis viro conveniunt, ut fortitudo, prudentia, cum propter corporis habitum, tum animæ facultatem. Aliæ mulierem magis decent, ut temperantia. Quocirca hac uirtute instituenda scire opus est ex quot, quibusque hoc bonum mulieri confletur. Constat igitur ex istis quinque: & primum ex sanctitate ac pietate circa matrimonium: deinde ex ornatu corporis: tertio ex egressibus e domo propria: quarto abstinendo bacchanalibus, & matris deum festis: quinto ut sacrificiis erga Deum cura sit moderata: ex jam dictis maxima & præcipua causa temperantiæ est, quæ facit, ut circa conjugium incorrupta sit uxor, nec alieno viro commisceatur. Principio enim hac parte si peccet, offendit natalitios deos, ut quæ domui & cognationi non germanos auxiliatores, sed spurios exhibeat. Quinetiam perfida est erga naturæ deos, per quos juraverat una cum parentibus & cognatis suis se convicturam legitime cum marito ad vitæ communionem, & liberorum procreationem. Et in patriam quoque peccat non persistens in ejus statutis. Dein-

„ de

„ de in hiſce rebus delinquere, quibus maxima pœna conſtituta eſt,
„ mors ipſa propter magnitudinem ſceleris, quod voluptatis cauſa &
„ petulantiæ committitur, omnino nefarium, omnique venia prorſus indignum eſt. Petulantiæ autem finis pernicies eſt. Conſiderandum eſt illud, quod nullum inventura ſit remedium purificatorium
„ hujus delicti, ut templa deum ingrediens, araſque accedens, caſta &
„ Deo eſſe poſſit. Nam huic ſceleri maxime Deus etiam infeſtiſſimus
„ eſt, atque ignoſcit minime. In primis vero honeſtum & matronæ
„ pudicitiam ſuam erga virum per formam liberorum ſuorum teſtari.
„ Quod fit ſi liberi referant typum ſimilitudinis ſui generis. Et hactenus de ipſo conjugio. Ceterum quod ad corporis ornatum, illum
„ probo, qui albus, ſimplex, & minime ſuperfluus fuerit. Veſtes tranſlucidas, varias, diſcolores, & bombyce contextas corpori non induat.
„ Sic enim nimium ornatum, luxuriam, & comtum effugiet, nec
„ improbo zelo alios afficiet. Aurum & ſmaragdum omnino non uſurpet, nam & nimio conſtat, & ſuperbiam præ popularibus arguit.
„ Civitatem autem bene inſtitutam per omnes ſui partes ex æquo recte conſtitui, afficique mutuo conſenſu, & ſimilibus uti legibus atque hujuſmodi rerum opifices expellere oportet. Facies vero non
„ aſcititio & alieno colore decoretur, ſed genuino & proprio corporis, & aqua ſimplici abluatur, ac pudore potiſſime ornetur. Ita enim
„ tunc virum, tum ſeipſam honorabilem magis efficiet. Egrediantur
„ autem domo matronæ populares ſacra facturæ Deo civitatis, principi, & cuſtodi pro ſe & maritis ſuis, totaque familia. Verum nec
„ inſtante nocte, neque veſpera, ſed foro hominibus pleno palam exeat mulier vel ad ſpectandum aliquid, vel emendum ab una ancilla aut plurimum duabus honeſte deducta. Fiant autem ſacrificia
„ diis frugalia, & pro facultatibus. Ceterum Bacchi & matris deum
„ ſacris domi celebrandis abſtineat. Etenim civitatis publica lege conſtitutum eſt, alioqui nec feſtis hujuſmodi interſint. Et ſane inducunt
„ ebrietates, mentemque alienant iſtæ cæremoniæ. Matrem familias
„ autem, quæ domui regendæ præeſt temperantem, pudicam, & intactam eſſe convenit.„ (1) Erubeſcant nunc Chriſtianæ mulieres luxu & delitiis diffluentes.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Erubeſcant Chriſtianæ mulieres &c.* Vidimus nos non ſine ingenti exultatione CLEMENTINAM Magnæ Britanniæ Reginam Urbi atque Orbi Chriſtianæ humilitatis, pœnitentiæ, & excellentiſſimæ charitatis argumenta præbentem, quæ magna ſanctitatis fama in cælum evolavit ann. 1735. ejuſque corpus Regia, ut par erat, pompa, ingentique populorum concurſu in noſtra Vaticana Baſilica conditum eſt.

CA-

# CAPUT XIX.

## *De Damea & Patroclo Statuariis, Glaucio, Phaylo, aliisque Athletis Crotoniatis.*

FUit & *Damea* Crotoniata ſtatuarius celebris. Opus ejus in ſepto oſtenditur, quod Altim vocant. Hic Milonem celebravit, ait Pauſanias in Æliac. Fuit & *Patroclus* Cratylli filius ſtatuarius, cujus meminit Pauſanias in Elicor. Qui fecit ſimulacrum Apollinis, capite inaurato in Olympia dedicatus a Locris Zephyriis. Maxime quoque valuerunt Crotoniatæ palæſtra, in gymnico certamine. Fuerunt itaque ex ipſa urbe athletæ Olympionici celeberrimi complures, qui multas victorias domum reportarunt. Olympionicen autem, ait Cicero in Oratione pro L. Flac. apud Græcos prope majus erat & glorioſius, quam Romæ triumphaſſe. Fuerunt igitur illi ſeptem, quos in unius Olympiadis ludis ceteros ſtadio ſuperaſſe Strabo prodit. Fuit & *Glaucius* Crotoniata, qui, ait Pauſanias in Phocicis, vicit Olymp. xviii. Tertio vero anno hujus Olympiadis judices prœmia poſuerunt. Fuit & *Diognetus* item athleta, qui, ait idem Pauſanias ibidem, vicit anno primo lviii. Olymp. Fuit & *Phaylus* tris Olympionicus celeberrimus, quem decantavit Ariſtophanes poeta in Achanibus. Qui Græciæ periclitanti in rebus Perſicis una navi auxilium tulit. In honorem cujus magnus Alexander multas exuvias Crotoniatis dono miſit, uti Plutarchus in Alex. commeminit, ita ſcribens: „ Alexander ad Crotoniatas quoque „ in Italiam magnam exuviorum partem tranſmiſit ob Phayli decus „ & gloriam impigri & fortis athletæ, qui Medico bello cum Græcos „ ceteri deſtituiſſent Itali, propria triremi Salaminam navigavit, il- „ lius periculi communicationem ſuſcepturus.„ Adeo omnia virtutis opera ſummo ſtudio & benevolentia obſervabat. „ In ludis Pythicis „ ( ait Pauſanias in Phocicis ) duas victorias eſt conſequutus, tertiam „ ſtadio. Ejus ſtatua eſt in Delphis.„ Et rurſus. „ Is vero, qui eas „ exerceret Pentathus dicebatur. „ Pentathum autem certamen ſeu exercitatio quinque artes gymnaſticas continebat, diſcum, curſum, ſaltum, palæſtram, & jaculationem. Vicit enim Phaylus, ait Joannes Tzetzes, lucta, pugilatu, diſco, curſu, ſaltu, & omni genere ludorum. Saltavit pedes quinquagintaſex. Jecit diſcum pedes nonagintaquinque. Item Suidas inquit.„ Phaylus curſor optimus Olympioni- „ cus.„ De quo Ariſtophanes in Veſpis:

*Quando curſorem Phaylum exiſtens valde juvenis adhuc cepi;*
*Impellens convitii calculis duobus.*

Fuit autem & armatus curſor celebris, quem hodometrum, ideſt viæ menſorem vocabant. Fuit etiam quinquennio: de quo eſt diſtichum:

*Quinque ſuper quinquaginta pedes ſaltavit Phaylus:*
*Jecit autem diſcum centum quinque minus.*

 Fuit

Fuit & *Philippus Butacides*, Olympionicus. De quo Herodotus libro quinto infit: „ Dorico & vitæ & mortis comes fuit Philippus Butaci-
„ des vir Crotoniata, qui desponsa sibi Telys Sybarita Crotone pro-
„ fugerat, abnegato matrimonio transmisit Cyrenem, ex hac disce-
„ dens sectatus est familiarem triremem, ac familiarium virorum sum-
„ tum, quod esset Olympionices ideſt victor certaminis ad Olympia,
„ & omnium illic Græcorum speciosissimus. Ob quam corporis spe-
„ ciem ab Ægestanis ea, quæ nemo alius, reportavit. Nam sepultu-
„ ræ ejus heroico monumento extructo Ægestani hostias offerunt. „
Fuerunt & *Astylus*, qui & philosophus fuit Pythagoræ discipulus, & *Iscomachus*, & *Tisicrates* athletæ: de quibus Dionysius Halicarnasseus commeminit, qui plures in Olympiacis ludis victorias sunt assequuti. Quorum Astylus, ait idem libro octavo, vicit Olymp. trigesimaseptima C. Julio & P. Pinario Rufo Conf. Isomachus autem, ait idem libro quinto, vicit bis Olimp. sexagesimaoctava, quo tempore Porsenna Romanis bellum intulit, & anno quinto Olymp. lxix. post reges exactos. Tisicrates itidem bis vicit Olymp. lxxi. Conf. Aulo Semnio & M. Minutio. Et Olymp. lxx. Conf. Aulo Virginio & Tito Vetusio. Astylo cum tribus continuis Olympicis vicisset stadio, diaulo, & dolicho posita est statua. Quem perpetua virginitate fuisse præditum Plato libro octavo de leg. tradit. Est autem diaulus cursus reciprocus, ideſt duplex obeundi scilicet stadium, ac mox redeundi spatium duorum stadiorum longitudine, ideſt ccl. pass. Dolichus vero est spatium duodecim stadiorum, ideſt M. D. pass. vel ut Suidas, viginti quatuor, ideſt m. pass. iii. De Astylo Pausanias in Æliac. ait: „ Astylus Crotoniata Py-
„ thagoræ quidem opus, tres continuas victorias Olympiacas stadio &
„ diaulo est consequutus. Quoniam autem in duabus ultimis in gra-
„ tiam Jeronis tyranni se Syracusanum prædicavit, Crotoniatæ domum
„ ejus carcerem esse constituerunt, & statuam ejus juxta Junonem La-
„ cedæmoniam existentem sustulerunt, & bona insuper publicarunt. „
" Ergo Siculi duos, quos scimus Calabros viros hunc & Diconem Cauloniatam, ut Siculos dicerent, pecunia subornarunt. Sed levis quidem & vani ac dementis hominis est aliena virtute sibi laudem aucupari ". Fuit & *Timasitheus* athleta, quem ætate juvenem Milo in Olympia superare non quivit. Fuit & *Ægon* athleta robustissimus, qui & philosophus fuit Pythagoræ discipulus, qui a Milone persuasus in Olympiam ivit certaturus. Quem decantavit Theocritus Edilio quarto. Ubi Coridonem Ægonis bubulcum sic facit loquentem:

*Interdum quidem ipsam in Æsaro pasco,*
*Et mollis graminis bonum fasciculum do.*
*Aliquando autem saltat obscurum circa Latymnum,*
*Et quidem in Malimnum impellitur, atque partes* Physci,
*Et in Neæthum, ubi bona omnia nascuntur,*
*Egipyrus & Cnyza, & odorifera Meliteja.*
*Laudo illamque Crotonem, & illum in orientem Lacinium, ubi ille pugil Ægon, qui octuaginta solus devoravit panes,*
*Hic & taurum a monte humeris duxit prehendens*

*Un-*

*Ungula & dedit Amaryllidi*. Ejus interpres: „ *Latymnus*, inquit, mons est „ Crotonis nemorosus: Physcus mons ibidem pascua nimium bobus „ idonea habens: Malimnus os paludis juxta Crotonem. „ Ægon, ait Joannes Tzetzes in montes currens tauros superabat, & ungulas a tauris viventibus avellebat, quos humeris sustollens amicis & puellis, & mulieribus donabat.

## SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Physcus mons*. Videndum quo nomine hodie appellatur Mons apud Crotonem, quem *Physcum* vocat Theocritus & ejus interpres & quomodo Latymnus, & quomodo Malimnus *os Paludis*.

## CAPUT XX.

### *De Milone, aliisque Ducibus Crotoniatis.*

FUit & MILO ille sane quam robustissimus *Diotimi* filius, Pythagoræ discipulus adolescens. Qui, ait Solinus, supra hominum naturam erat. Floruit ut quidam tradunt, Tarquinii Prisci temporibus. De quo Plinius ait. Milo Crotoniata taurum quadrimum in Olympico certamine ictu nudæ dextræ occidit, & humeris sustollens stadii spatio portavit, eumque eodem die consumsit. Unde parœmia orta est, *Bovem in faucibus portat*. Hujusce rei meminit quoque Cicero in lib. de senectute, & Athenæus lib. decimo, qui sic ait: „ Milo Crotoniata „ minas viginti carnium comedebat, totidemque panum, bibebatque „ tres choas vini, velut Theodorus Hieropolites in libro de certami- „ nibus testatur. At in Olympicis quum quadrimum bovem supra hu- „ meros assumsisset, per stadiumque circumtulisset, ac postea cæci- „ disset, solus eodem die totum comedit. „ Titormusque Ætolus cum eo bove deposito decertavit, ut narrat Alexander Ætolus. Scribit Phylarchus in historiis libro tertio Milonem taurum edisse cum ante aram Jovis esset vocatus, quare hæc in eum scripsit Doricus poeta:

*Talis erat Milo, qui inter certamina Olympi*
*Quadrimum e terra sustulit arte bovem*
*Supra humeros, agnus velut, ingens victima capta est,*
*Quam leviter circum pertulit hic spatium.*
*Horror erat certe hoc, magis ac mirabile fecit*
*Ante sacrum Pisæ vir peregrine locum.*
*Non taurum tulit in carnem, qui haud conjugis expers,*
*Quem cædens edit solus, & illa die.*

Huic, ait Pausanias in Æliac. sex Olympiæ palæstræ victoriæ fuere. Ex quibus una inter juvenes. In Pythiis autem certaminibus sex inter viros, una inter juvenes. Profectus est & septimo in Olympia luctaturus. Sed *Timasitheum* civem suum Crotoniatam ætate juvenem superare non valuit, quin neque prope eum accedere. Dicitur autem Milo

 suam

ſuam ipſius ſtatuam in Altim tuliſſe. Eſt autem Altis lucus ſive aditus in Olympia circum templum Jovis. De quo Milone Pindarus ode x., & Ariſtodemus. Ajunt autem ipſum ita malum punicum continuiſſe, ut nec conantibus eripere permitteret, nec malum ipſe premendo collideret. In diſco præterea ita conſtitiſſe, ut omnes irruentes, trudentesque, ac de diſco educere nitentes derideret. Præbebat autem & alia hujuſmodi complura ad oſtentationem. Alligata etiam fronti chorda æque ac ſi vittam aut coronam circumpoſuiſſet, anhelitum intra labia continebat, & capitis venas ita ſanguine replebat, ut præ venarum viribus chordam diſrumperet. Dexteræ quoque manus quod ab humero ad cubitum lateri admovebat, quod vero a cubito extat in rectum digitorum protendebat, ex quibus pollice ſurſum reflexo, reliquis ſibi invicem per ſeriem incumbentibus nemo ne maximo quidem conatu minimum digitorumcorrexiſſet. Et divus Baſilius in libro de inſtituenda ſtudiorum ratione: *Milo*, ( inquit ) *in clypeo uncto ſtabat, nec depelli ab eo ulla vi poterat, ſed reſiſtebat non ſecus ac ſtatua quædam plumbo affixa*. Et Plinius libro ſeptimo: *Crotoniatam Milonem athletam, cum ſtetiſſet, nemo veſtigio educebat, malum tenenti nemo digitum corrigebat, cucurriſſe M. ccxl. ſtadia ab Athenis Lacedæmonem biduo*," hoc eſt milliaria cclxxx." Item Strabo libro ſexto ait: *Fama eſt columna quandoque in philoſophorum contubernio laborante Milonem ſubeuntem ſalvos reddidiſſe univerſos, deinque ſeipſum extraxiſſe*. Hic, ait Plinius libro ſeptimo, itemque Solinus, alectoriis gemmis in ventriculis gallinaceorum inventis cryſtallina ſpecie, magnitudine fabæ in certaminibus uſus, invictus fuit. Atque, ait Joannes Tzetzes, Crotoniatis in bello adverſus Sybaritas præfuit. Qui ut Hercules a Crotoniatis coronatus fuit: nam cum centum millibus Crotoniatarum trecenta Sybaritarum millia trucidavit, ut Diodorus & Herodotus ajunt. Hunc Crotoniatæ Junonis ſacerdotem inſtituere, "qui deæ rem divinam faceret". *Hic* ait Cicero in libro de ſenect. *cum ſenex eſſet jam, athletaſque ſe in curriculo exercentes videret, aſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illacrimanſque dixit, At hi quidem jam mortui ſunt: Notans quod corporis vigorem adimit ætas, animi vis ad extremam uſque durat ætatem*. Item Ovid. Meth. xv.

*..... Fletque Milo ſenior, cum ſpectat inanes*
*Illos, qui fuerant ſolidarum morte ferarum*
*Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.*

De morte autem ejus ita ſcribit Strabo: „ Milonem ferunt, cum profundam denſamque per ſilvam iter faceret, longe a tramite deviaſſe, truncum deinde ingentem adactis cuneis invenientem, inſertis manibus pariter ac pedibus in ſciſſuram ejus hiantem, ut penitus diſcinderet, eſſe conatum; tantum autem ſolummodo valuiſſe, ut exilirent cunei, ligni vero partibus ſtatim in ſeſe coeuntibus derelictum in ejus generis laqueo a feris devoratum fuiſſe. „ Id etiam Ovid. in Ibin, & Cicero, & Valer. Max. commemorant." Verum enim vero id minime veriſimile eſſe videtur. Siquidem cum Milo nobilis eſſet & dives, neque ſolus, neque pedeſter in affecta ætate in longinqua extra urbem Crotonem loca progrediebatur". Ejus ſtatua ænea Ephoris

ris erat, ut Philoſtratus libro quarto prodit, ubi ſic ait: „ Ephoris „ Milonis æenea ſtatua erat hoc modo. Erat Milo ſuper diſcum po- „ ſitus, ſimulque vinctis pedibus inniti videtur, ſiniſtra autem ma- „ lum punicum tenet, dextræ vero manus digiti recti & rigentibus ſi- „ miles apparent, caput vitta redimitum. „ Fuit & *Phormio* dux rei militaris peritus: de quo Suidas ait: *Phormio, de quo & Theopompus in Philippicis mentionem facit: Fuit autem Crotoniata, & in Sagræ pugna vulneratus eſt. Cum autem vulnus curatu difficile eſſet, oraculum accepit, ut Lacedæmonem adiret, eum fore illi medicum, qui primus ad cœnam ſe vocarit. Ubi igitur Spartam venit, cum e vehiculo deſcendiſſet, ad cœnam a juvene invitatus eſt. Atque inter cœnandum, ad quid venerat interrogatus, oraculum expoſuit. Quod cum ille audiſſet, ab haſta abradens vulneri impoſuit, utque e cœna diſceſſerunt, cum ſibi videretur ad currum aſcendere ad januam ſuæ ipſius domus apud Crotonem deprehenditur. Verum & divina hoſpitalia munera ipſum agentem vocaverunt Jovis filii ad Bactum, qui apud Cyrenem erat, ac ſurrexit balſami virgam habens. Proverbium autem eſt, Phormionis thori, de ſtratis ſordidis ac frugalibus.* Hic enim Phormio bonus fuit militiæ dux, & in inſtruendis militiæ ordinibus videtur fuiſſe perquam laborioſus. Scribitur autem Phormio duabus navalibus pugnis Lacedæmonios viciſſe. Fuit & *Leonymus* Crotoniata, qui Crotoniatarum exercitus ad Sagram dux fuit. De quo Pauſanias in Laconicis ait: *In Euxino ad Iſtri oſtia inſula eſt nomine Leuca viginti ſtadiorum ambitu, ſilvis denſa, feriſque, ac cicuribus animantibus referta Achilli conſecrata in qua ejus templum eſt, ac ſimulacrum. Ad hanc dicitur primus navigaſſe Leonymum Crotoniatam. Nam bello a Crotoniatis conflato adverſus Locros, Locrenſibuſque ob familiaritatem, quam cum Opuntiis habebant, Ajacem Oileum in prælio invocantibus, Leonymus Crotoniatarum ab hoſtibus vulneratus fuit in pectore, ob quod graviter laborabat. Oraculum autem prædixit, quod ibi ab Ajace vulnus curaretur. Itaque cum ſanatus ex inſula rediſſet, vidiſſe ajebat Achillem, & Oilei ac Telamonis Ajacem, & cum iis Patroclum, atque Antilochum, Helenam præterea cum Achille habitare aſſerebat, ſibique mandaſſe, ut Himeram profectus Steſichoro nunciaret ex Helenes ira ipſum oculorum morbo laborare. Steſichorus hac de cauſa palinodiam compoſuit.*" Fuit noſtra memoria ex hac urbe M. *Antonius Jacominus* Latinis & Græcis literis eruditus."

## CAPUT XXI.

### *De iis quæ ad hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinent, ac de Æſaro & Neætho fluviis.*

EST Croto ſedes Epiſcopalis vetuſtiſſima, utpote divi Dionyſii Areopagitæ diſcipula. Conſtans fama eſt apud Crotoniatas ab uſque Dionyſii tempore poſteris per manus tradita Dionyſium ipſum Romam petentem Crotonem divertiſſe, ( " Venit enim Romam Pontifice Cle-

Clemente ") & Crotoniatas ad Christi fidem convertisse. Quocirca Crotoniatæ in signo civitatis Dionysii effigie utuntur. (1) *Joannes* Episcopus Crotoniensis interfuit Synodo Romanæ sub Vigilio Papa. Et *Petrus* Episcopus Crotoniensis interfuit synodo Constantinopolitanæ sextæ sub Agathone Papa. Et *Theotimus* Episcopus Crotoniensis interfuit synodo Nicænæ secundæ sub Adriano Papa." Meminit de hac Episcopali sede S. Gregorius Papa, quam vacantem commendat Joanni Episcopo Scylatico, ut lib. secundo Epistolar. scribit ". Celebratur Crotone quotoquoque anno nobile emporium. De aeris autem salubritate, ac cæli clementia jam dictum est. Solum hoc felix est & amœnum, & amplum, non vastis rupibus, non stagnis impeditum, sed aut campestre est, aut amœnis collibus distinctum. Cerealium inaudita fœcunditas ac bonitas. Arva insuper locave herbida sunt & pascua, armentorum gregumque pabulis accommodata. Cingitur & urbs vivis ac perspicuis fontibus, & hortis irriguis. In molendis frugibus pistrinis utuntur. Fit hic similago triticea ac globuli probatissimi, ac figlina opera non vulgaria. Fiunt & vina clara. Nascitur in Crotoniato agro rubrica fabrilis, & cappares laudatissimi. Fit sesama & gossipium. Oritur & herba, quæ masticen fundit, de qua alibi diximus. In æde cœnobitarum divi Francisci beati *Pyrrhi* corpus quiescit. Secundum urbem (2) *Æsarus* fluvius labitur, qui olim per mediam urbem, ut ostendi, fluebat. Quem Dionysius Apher vocat amœnum. Et ejusdem nominis portus, ait Strabo lib. sexto. Inter Crotonem & Siberenam LEONII urbis vestigia visuntur. Extat adhuc Episcopalis sedes. A Crotone m. p. sex (3) *Neæthus* fluvius navigabilis labitur. De quo Strabo libro sexto sic scribit: „ Æsarus fluvius & portus, & fluvius alter Neæthus „ nomine, quorum cognomine casu provenisse dicitur. Nam in Achivorum errore quosdam ab Iliaca classe applicuisse, & ad locorum explorationem egressos, Trojanas mulieres navigationis comites tam longi pertæsas pelagi cursus naves incendisse, quas viris desertas esse noverant, „ qua ex causa illi mansisse coacti sunt. Præsertim cum terrarum virtutem cernerent, evestigioque plurimos alios adventantes, & pro „ sanguinis necessitudine ipsos imitantes multas habitandi effecisse sedes, e quibus plures Trojanorum similem appellationem assecuti sunt, „ Neæthumque etiam ex malorum eventu vocabulum vendicavit. „ Et Lycophron in Alexandra:

*Et Neæthus ubi fluit ad mare*
*Interficient autem illum Auxones Pellenii.*

Super quibus verbis Isacius ejus interpres ait: „ Secundum Apollodorum & alios Laomedontis filias, Priami sorores Æthyllam, Astyochen & Medesicasten postquam illuc in Italiam cum reliquis captivis pervenissent, vitantes Græcorum servitutem suasisse aliis, ut naves Græcorum viris vacuas, cum in terram descendissent, comburerent. Unde fluvius Neæthus dictus est, a nays idest navis, & ætho „ ardeo, & mulieres ille naupræstites dictæ sunt. At Græci, qui cum „ illis erant, exustis navibus ibi habitarunt. „ Plutarchus vero scribit fuisse captivam, Romam nomine, reliquis consulentem ut exurerent Græcorum naves, Lycophron autem Setæam fuisse ait auxilium ferentem

tem Lydis; sociamque, ut dixi, Rhodiis. Quæ mulieres hoc deliquio pavidæ viros osculis & amplexibus placaverunt, ut Plutarchus in problematibus auctor est. Hinc mos remansit, ut mulieres propinquos & affines osculo exciperent. Combustæ sunt & aliæ Græcorum naves a Trojanis mulieribus captivis circa Sybarim & Crathim Calabriæ amnes, ut ibi ex Lycophrone dicemus. Hoc flumen Naso Salentinum appellat.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Joannes Episcopus Crotoniensis*. Præter Episcopos, quos Barrius affert, fuerunt & *Flavianus* ann. 540. *Theodosius* ann. 649. Vide Flor. *Nicolaus* a Crotone Episcopus Græcus a Michaele Palæologo Imperatore legatus ad Urbanum IV. Vide Horold. comp. Chron. Francisc. to. 1. ad ann. 1264. *Jordanus* ex Archidiacono Episcopus ann. 1427. Ughell. *Fr. Crocettus a Monte* Minorita ex Episcopo Isulano Episcopus Crotoniensis ann. 1445. *Antonius Luciferus* ex Archidiacono Episcopus Ann. 1510. optime de sua Ecclesia meritus. *Joannes Matthæus Luciferus* Antonii nepos ex Episcopo Umbriaticensi Episcopus Crotoniensis ann. 1524. magnæ dexteritatis ac sapientiæ vir. Ann. 1533. Cardinalis Gaddi Archiepiscopi Consentini summa laude vices gessit. Obiit ann. 1551. ut ex act. Capit. Consent. *Antonius Sanguagalus* dictus *de Molino* ex Episcopo Bosensi in Sardinia Episcopus Strongylensis ann. 1413. inde Archiepiscopus Seberinates ann. 1430. Obiit. ann. 1454. Vide *Ughell. Mutius Sorianus* Archiepiscopus Seberinates ann. 1673. Obiit. ann. 1679. quem diu victurum Ecclesia illa sperabat. MS. Mart. *Joannes Jacobus Luciferus* Episcopus Umbriaticensis ann. 1530. Ughell. *Stephanus Sculco*, Episcopus Hieracensis ann. 1670. MS. Mart. *Annibal Sillanus*, Episcopus Castrensis anno 1653. Obiit. circ. ann. 1667. Ughell. *Pompejus Mangionius* Utriusque Signaturæ Decanus summa pietate atque animi moderatione insignitus. Obiit ann. 1635. sepultusque in Ecclesia Domus profess. Soc. Jesu ubi super lapide porphyretico hæc inscriptio legitur:

D. O. M.
POMPEJO MANGIONIO CROTONIATO
UTRIUSQUE SIGNATURÆ DECANO
PIO, MODERATISSIMO, INTEGERRIMO
OBIIT
JUSTITIÆ PUBLICÆ DIU DEFENSÆ
PERPETUUM DESIDERIUM
ANNO SALUTIS CIↃIↃCXXXV.
ÆTATIS
L X X I I.

*Carolus Berlingerius* in utroque Jure doctissimus Archiepiscopus Seberinates ann. 1679. Hic Ecclesiasticæ libertatis vindex fortissimus per quadraginta annos Ecclesiam suam sapientissime gubernavit, vitæ integerrimus. Obiit Nonas Januarii ann. 1719. sepultus fuit in sua Æde Metropolitana in Sacello S. Leonis, ubi hoc epitaphium dum adhuc viveret incidi jussit.

D. O. M.
CAROLUS BERLINGERIUS
ARCHIEPISCOPUS HUJUS METROPOLITANÆ ECCLESIÆ
SANCTÆ SEVERINÆ
HIC JACET IN SINU SUÆ DILECTÆ
SPONSÆ.

Vide Ughell. cum addition. to. 8. pag. 490. & seqq. *Pompilius* ejus frater Episcopus Besidianensis doctrina & humanitate clarissimus. Ab eodem ann.

ann. 1711. ad sacrum Presbyteratus ordinem Acræ promotus fui.

*Andreas* instituti Capuccinorum laicus sanctæ vitæ vir. Obiit Neapoli circa ann. 1571. Chron. par. 2. *B. Elias* a Saracenis in odium Christianæ fidei occisus ann. 1058. Malaterr. histor. Northman. Maurolic. Martyrol. Gualt. aliique. *Janus Pelusius* Poeta & Orator celeberrimus, quem Urbini Duces in oculis ferebant. Edidit quatuor libros *Lusuum*. Neap. 1567. in 8. alium *Hymnorum, Odum & Commentar. in quosdam poetas* Parmæ 1592. aliaque. Obiit Romæ pridie Idus Febr. ann. 1600. & in Ecclesia S. Eustachii sepultus est, ubi inscriptio legitur. Vide Jo. Juven. de varia Tarentin. fort. Spera, Topp. aliosque. *Joannes Andreas de Nola* Philosophus & Medicus disertissimus edidit librum de re medica, Venet. ann. 1562. in 4. Topp. & Vander. *Joannes Baptista de Nola Molisi* vir impense eruditus edidit Chronicon Crotoniense Neapoli 1649. in 4. Topp. *Joannes Baptista Scurus* in utroque Jure doctissimus, scripsit Romæ super Jure Civili ann. 1602. MS. Mart. *Joannes Dominicus de Nigris* edidit librum *de Animalibus* Neap. 1562. Vide Amat. *Chrysostomus Marinus* Carmelita eruditione conspicuus. Foscarin. in syntaxi. *Hieronymus Gattolus* Chirurgiæ Cathedraticus celebris Neapoli. MS. Gualt. *Joseph Sillanus* Presbyter Congregationis S. Hieronymi in Urbe pietate & doctrina clarus, edidit librum *Ecclesiastico ponderato*, aliumque cui titulus *Aforismi di prudenza* 1704. *Valerius Montalcinus* Dux militum. Vide Flor. *Vincentius Sorianus* Carthusianus doctissimus Procurator S. Martini de Neapoli edidit librum *de Sacramentis* Neap. 1646. quamplurima ejus MS. asservantur in eodem Monasterio. Vide Topp. *Voltursius* in re militari clarissimus Lentulo amicitia junctus. Vide Sallust. de bello Catilin. Vivit modo *Joannes Paulus Pipini*, Archidiaconus Rossanensis, & *Bonaventura Sculco* eruditione clarissimus, ex antiquis Ducibus S. Severinæ, de quo vide Joseph. Catalanum in Commentariis ad Concil. General. pag. xv. ubi ait: BONAVENTURA SCULCO *Crotoniata adornavit historiam Concilii Ephesini* I. *Oecumenici* III. *& Commentariis illustravit Canonem* III. V. *&* XVII. *Nicænum, itemque Canonem X. & XIX. Chalcedonensem*. Aliique non pauci apud nostrates & exteros.

2. *Æsarus*. Aliis *Æsar*. Ab Hebraico אשר *Esar* Latine *Beatus*. Apud Etruscos *Deum* significat. Vide Sueton. in August. De hoc flumine loquuntur Theocritus, Lycophron, Livius, Dionysius Halicarnasseus, Ovidius, Diodorus, Plinius, aliique. Vide supra Cap. VI. Dum Crotonis civitas florebat, fluvius hic per medium discurrebat; nunc vero mille pass. distat. Est & alius Æsarus qui Crathidi admiscetur.

3. *Næthus*. Vide lib. 1. cap. VII. n. 2.

CA-

# CAPUT XXII.

## *De Strongyli Civitate, aliisque Oppidis & vicis, ac præsertim de Cacurio ubi de Francisco Simoneta Prætore, & Jacobo Simoneta Cardinali.*

POst Neæthum m. pass. sex. (1) STRONGYLIS civitas est, sedes Episcopalis edito loco, rupibus undequaque fere septa, abest a freto m. p. tribus, a Seberena duodecim, a Crotone totidem. *Macalla* sive *Macælla* olim dicta, ab emolliendo, ait Stephanus, quod ibi emollitus sit Philoctetes, gentile nomen Macalleus. Est quidem vetustissima, ab Auxoniis, aut certe ab Oenotriis condita. Hujus urbis meminit Lycophron in Alex. ubi ait.

*Et rursus in Macalla templum incolæ magnum*
*Super tumulum extruentes, gravem Deum*
*Libationibus honorabunt, & sacrificiis bovum.*

„ Super quibus verbis Isacius ait: „ Macalla urbs est Italiæ, ubi sepulcrum est, & templum Philoctetis ab incolis conditum eique dicatum, „ cui bovum sacrificia immolant, uti si Deus immortalis esset „. Inde, ut apud quendam scriptorem legi, dicta fuit *Tiropolis*, quæ persecutionis rabiem passa est a Mauris Cretensibus, & Carthaginiensibus. Aquarum scaturiginibus affluit, circum enim urbem fontes plurimi scatent. Fit hic similago triticea laudatissima. Ager hic optimi frumenti & aliarum frugum ferax est, & armentorum, pecorumque pabulis accommodatus. Fit gossipium, & sesama, nascuntur cappares, & fœnicula marina, sunt & testitudines terrestres: Fiunt aucupia turturarum, turdorum, palumborum, & aliarum parvarum alitum. In molendis frugibus utuntur pistrinis & molendinis vento agitatis. Hic (*a*) lapis est Latinis literis sculptus, aliunde huc delatus. In quo capita sunt duo testamenti cujusdam, quo testator vineam collegio Augustalium urbis Peteliæ legat. Hinc quidam Strongylem Peteliam fuisse opinati sunt. Sed longe decipiuntur, nam Peteliam Policastrum esse ostendimus. Parte læva m. p. tribus *Melissa* vetustum oppidum est edito loco ab ape dictum, aut fortasse a Melisso Cretensium rege, aut a Melisseis Cretæ populis conditum: civis Melisseus & Melissius. Cujus meminit Ovidius lib. xv. ut dudum ostendimus. Distat a mari m. p. septem. Ager hic fertilis est. Sunt aquæ sulphureæ. Fit xilon, & sesama, provenit juniperus. Supra Strongylim parte dextra m. p. quatuor (*b*) (2) *Casuonum* castellum est. Abest a freto m. p. septem. In hoc agro alabastrites nascitur, & gypsum e terra foditur. Est & sulfur, & juxta (3) *Cinga* vicus est, ubi fontes sunt salsam aquam manantes. Intus est (4) *Cacurium* oppidum edito loco, in radicibus Silæ silvæ situm, distat a Crotone m. p. duodeviginti a Policastro idest a

Petelia octo. Hic sal fossile nascitur. Extant & sulfureæ aquæ. Fit olei copia. Provenit reuponticum. Ex hoc oppido fuit (5) FRANCISCUS SIMONETA utroque jure peritus, vir medius fidius prudens, & apud Franciscum Sfortiam Mediolanensium Principem magnæ auctoritatis. Atque Mediolani Prætorem egit. (6) *Joannes* ejus frater magni ingenii vir bonarum literarum peritus, apud eundem principem magnæ æstimationis. (*c*) Ingens opus unius & triginta librorum Francisci Sfortiæ gesta continens edidit. Viget etiamnum Mediolani Simonetarum familia, ex qua fuit *Jacobus Simoneta* utroque jure doctus, & divinis literis eruditus. Ob quas virtutes a Paulo tertio Rom. Pont. Cardinalium numero fuit adscriptus. A Cacurio m. p. quatuor est (7) Divi *Joannis a Flore* cognomine ædes Cistereiensium monasterium, a Joanne Joachino Abbate constructum, in quo multorum Sanctorum frusta asservantur. Post Cacurium Lesa fluvius labitur.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Strongylis.* Aliis *Strongylum*. A Græco Στρόγγυλος *rotundus*. Civitas quippe edito loco sita rupibusque undequaque septa rotundam figuram exhibet. Nisi dicere velimus a *Stortyngo* promontorio finitimo de quo supra, nomen sumsisse. Hoc nomine a Græcis sequiori sæculo donata est, cum antea *Petelia* vocitata sit a πέτομαι *volo*, quod ex volatu avium, quibus ager abundat, sumto augurio Philoctetes illam extruxerit, seu potius ampliaverit, ac in meliorem formam redegerit. Dicta etiam fuit *Macalla* a Machaone ut puto Æsculapii filio, qui Philoctetem ibidem ab immedicabili vulnere Herculis sagitta contracto sanavit, ut ait Propert. lib. 2. eleg. 1.

*Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon.*

Sed ut rem penitus expendamus, ac suum quibusque locis jus relinquamus, ad notare juvat in Peteliæ expugnatione, ut ait Valerius Maximus lib. VI. cap. VI. Petelinos, feminis omnique ætate imbelli urbe egesta quo tutius armati famem traherent Annibali restitisse, quousque omnes pro societate populi Romani animam exhalarent. Multitudo itaque illa, quæ Petelia dimissa fuit, consulere utique sibi, ac partim hac partim illac locum nanscisci debuit. Facili igitur negotio conjiciendum putamus partim Policastrum, partim Mesoreaceum, partim alio transisse, eoque numos aliaque monumenta advexisse. Præsertim vero ad ditionis suæ oppida contendisse, verosimillimum est. Quo factum est, ut destructa omnino Petelia, loci illi qui Petelinos suos susceperunt, tractu temporis numos & monumenta objiciendo, Peteliam se esse arbitrati sunt, & quidem recte si gentem consideremus, si vero situm, non ita. Vide lib. 2. cap. IV. n. 5. & lib. 1. cap. XIV. n. 1.

Ceterum si Strabonem audiamus de Petelia ait lib. VI. *Urbs est natura loci munita*. Et paulo post ex Apollodoro in Commentario de navibus Græcorum ad Trojam, facta Philoctetis mentione, quosdam ait dicere eum in Crotoniatarum agrum pervenisse: & post descriptam Peteliam di-

cit

cit intus esse Vertinas, & Calasernam: Ptolemæus quoque & Mela illam ponunt prope Lacinium promontorium. Quæ omnia Strongyli mirifice congruunt, cum & validum sit propugnaculum, & in agro Crotoniato prope Lacinium promontorium reperiatur, imo e regione habeat intus Vertinas & Calasernam. Sed & Virgilius lib. 3. Æneid. Petiliam inter urbes maritimas Æneæ vitandas commemorat, quod de sola Strongyli intelligi potest ad quam appulit Philoctetes.

*...... Hic illa ducis Meliboei*
*Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.*

Et Paternum eodem fere intervallo a Thuriis ponitur quo Petelia in tabulis itinerariis. Vide Lucam Holsten. in not. ad Cluer.

Liquet sane idipsum non modo ex variis numismatibus, ac testaceis, quæ in dies Strongyli effodiuntur, verum etiam ex inscriptionibus quæ ibidem asservantur, & a Grutero adducuntur, quæque a Barrio in hunc locum asportata sine ullo testimonio asseruntur.

KAPVT EX TESTAMENTO.

*Hoc amplius Reipublicæ Petelinorum dari volo HS. X̄. N̄. item vineam Cædicianam cum parte m. fundi Pompejani, ita uti optima, maximaque sunt finibus suis, quæ mea fuerant, volo autem ex usuris semissibus HS. N̄. X̄. comparari Augustalium loci N. ad instrumentum tricliniorum duum, quod eis me Vibo tradidi candelabra & lucernas belychenes arbitrio Augustalium, quo facilius stratinibus publicis obire possint, quod ipsum ad utilitatem Reipublicæ N. pertinere existimavi, facilius subituris onus Augustalitatis. Dum hoc commodum ante oculos habent, ceterum autem temporum usura semisse HS. X̄. N̄. ad instrumentum Augustalium arbitrio ipsorum esse volo, quo facilius munus meum perpetuum conservare possint, neque in alios usus usuras quas ita a Be.P. acceperint transferri volo, quam si necesse fuerit, in pastinationem, vineam quoque cum parte fundi Pompejani, sicut supradixi. Hoc amplius Augustalibus loci N. dari volo, quam vineam vobis Augustales iccirco dari volo, quæ est aminea; ut si cognationi meæ, qua prospexisse me utilitatibus vestris credo consenseritis vinum usibus vestris dumtaxat, quum publice epulas exercebitis, habere possitis. Hoc autem nomine relevatis impendiis facilius prosilituri hi qui ad munus Augustalitatis compellantur, locatio vineæ partis Pompejanæ vineam colere poterint, hæc ita ut cavi fieri, præstarique volo. Hoc amplius ab hæredibus meis volo præstari Reipublicæ Petelinorum, & a Rep. Petelinorum corporum Augustalium, ex prædiis ceteris meis palum ridica, omnibus annis sufficiens pedaturæ vineæ*

*Quam Augustalibus legavi.*

*A vobis autem Augustales peto hanc voluntatem meam ratam habeatis, & ut perpetua forma observetis, curæ vestræ mandetis, quo facilius autem nota sit corpori vestro hæc erga vos voluntatem, totum loci Kaput quod ad vestrum honorem pertinet.*

Extant & aliæ duæ inscriptiones a Barrio allatæ supra lib. 4. cap. 3.

M. MEGONIO M. F. M. N. M. PRON. CORN. LEONI AC IIII. VIR. LEG. COR. R. PP. IIII. VIR DECURIONES AUGUSTALES POPULUSQUE EX ÆRE CONLATO OB MERITA EJUS.

M. MEGONIO M. F. COR. LEONI ÆD. IIII. VIR. LEG. COR. QUÆST. PEC. P. PATRONO MUNICIPI AUGUSTALES OB MERITA EJUS L. D. D. D.

Fuit Petelia Romanorum municipium celeberrimum, ut ex inscriptione quam affert Fabrett. cap. 6. n. 95. MUNICIPII PETELLINORUM. Vide quæ de Petelia Livius fert lib. 23. quæque Barrius lib. 4. cap. 3. adducit. Vide etiam quæ supra retulimus lib. 1. cap. XIV. n. 1. Extat Romæ in Bibliotheca Ottoboniana Codex MS. num. 1121. *Breve Descrizione della Città di Strongilo anticamente detta* PETILIA *nella Provincia di Calabria citra per comandamento di Monsignor Illustrissimo e Reverendissimo Cardinal Altemps fatta dal suo obligatissimo servo D. Gio: Stratioti Canonico del Vescovato di detta Città l'Anno* 1586.

Sed & Cives pro insignibus quinque flammis utuntur, quod ex vetustissima traditione Petelinos superstites, ne Pœnus eorum bonis ac supellectilibus potiretur, quinque tumulis ex eis fecisse, ac igne consumsisse arbitrentur.

Fuerunt ex Strongyli civitate S. ANTHERUS Papa & Martyr. Ciacon. & Ughell. Vide Anastas. Bibliot. *Modius* Episcopus ann. 1178. *Almanus* sive *Almainus* ann. 1352. Flor. & Ughell. *Gaspar de Murgia* ann. 1509. quem Puglisius Coriolanensem contendit. Vide Ughell. *Raymundus* ex monacho Basiliano Episcopus S. Agathæ Gothorum, mox Bojanus, tandem ab Eugenio IV. Archiepiscopus Comsanus renuntiatus est ann. 1439. Græcis Latinisque literis impense eruditus. Vide Ughell. & Topp. *Dominicus Sabatinus* Anglonæ Episcopusi ann. 1702. ad nostram memoriam usque. Nostris vero temporibus *Joseph Muccarus* Conventualis doctissimus ac subtilissimus *Nicolaus Susanna* medicus celeberrimus, *Antonius de Gratia* Presbyter bonis literis instructus, Cardinalis Pici Mirandulani Episcopi Albanensis Vicarius Generalis, *Nicolaus Zitus* S. Luciæ in Urbe Collegiatæ Canonicus meritissimus, aliique non pauci.

2. *Casuonum*. Vulgo *Casabona*. Anno 1733. mense Martio terræmotu interiit, aufugientibus incolis, uno vel altero tantum obruto. Modo paulo superius reædificatur. Fuit ex hoc loco *Bonaventura* laicus Minorita sanctæ vitæ vir, prophetiæ dono illustris. Hic pestem quæ ann. 1657. Consentiæ grassabatur, immaculatæ Virginis Mariæ, quam impense colebat, aliisque colendam proponebat, implorato præsidio, mirabiliter extinxit, postquam ille peste, ut prædixerat, sublatus est. Inde Magistratus Consentinus Deo votum B. Virginem ab omni labe asserendi immunem singulis annis nuncupare consuevit. Vidi ego accepti beneficii documentum publicum Antonii Tango Vicarii Generalis illius temporis Consentiæ typis cusum die 14. Decembris anni 1657. quod affert Dominicus Martyre in suo MS. In Diœcesi Umbriaticensi.

3. *Cinga*. Vulgo *Zinga*. Ab Epaminonda Ferrario a Casula ejus loci domino paulo remotius translata circa ann. 1660. atque in meliorem formam redacta. Nunc oppidum est satis habitatorum habens. Nascitur sal. In eadem Diœcesi.

4. *Cacurium*. A Græco Καυχάομαι *glorior*, ut puto: vel a *Cacumine*, cum oppidum edito loco sit. In Diœcesi Geruntina.

5. *Franciscus Simoneta*. Dictus *Ciccus Calaber*, ad quem plurimæ ex-

extant epistolæ a Francisco Philelphio datæ. Hic post exantlatos prudentia ac dexteritate incredibili pro Ducatu Mediolanensi labores, inimicorum insidiis die 30. Octob. 1480 septuagenarius capite obtruncatus est, sepultusque Papiæ in Cœnobio Dominicanæ familiæ, ubi binæ extant inscriptiones quarum altera hæc est:

*Principis Insubrium fidus quia sceptra tuebar,*
*Acephalon tumulo gens inimica dedit.*
*Me cæcum dicunt, vidi quia multa superstes:*
*Crede mihi, sine me patria cæca manes.*

Altera

*Dum fidus servare volo patriamque ducemque,*
*Multorum insidiis proditus interii.*
*Ille sed immensa celebrari laude meretur,*
*Qui vavult vita, quam caruisse fide.*

Vide Raynald. ad ann. 1487. Cor. histor. Mediol. aliosque.

6. *Joannes ejus frater*. Vide Gesner. in bibl. Paul. Jov. in elog. Philipp. Bergom. aliosque.

Fuerunt ex Cacurio & alii viri celebres. *Franciscus Ciminus* ejusdem loci Baro summæ pietatis & fidei vir. Hic Seminarium Fratrum S. Teresiæ Carmelitarum excalceatorum S. Mariæ de Victoria ad Hortos Sallustianos in Urbe ad Fidem Catholicam propagandam ædificari jam cœptum tribus millibus scutatis annuis primus locupletavit ann. 1608. Quod postea ad S. Pancratium extra muros traslatum est, ubi extat ejus Statua cum epigraphe.

ILLUSTRISSIMO DOMINO FRANCISCO CIMINO BARONI DE CACCURI NEAPOLITANO QUOD SEMINARII CARMEL. DISCALCEAT. AD FIDEI PROPAGATIONEM PRIMUS FUERIT EX ÆRE FUNDATOR.
G. A. F.

*Angelus Simoneta* Joannis frater doctissimus, Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanensis ad Alphonsum Regem & ad Remp. Venetam Orator. Joan. Simonet. in Sfortiad. lib. 8. Cor. hist. Mediol. *Joannes Carnutus* ex Episcopo Carinolensi Episcopus Geruntinus & Chariatensis ann. 1535. Anno autem 1543. in Chariati direptione a Mauris captus, ut constans traditio est, tametsi ab Ughellio nec patria, nec captivitas exprimatur.

7. *Divi Joannis de Flore*. Modo oppidum nobile est, civitati par, supra quinque millia capitum continens. Sub Abbate Commendatario Salvatore Rota Patritio Neapolitano Caroli V. Imperatoris impetrato assensu, anno 1536. ædificari cœptum, ut ex inscriptione quæ extat in eadem Ecclesia:

SALVATOR ROTA PATRITIUS NEAPOLITANUS FLORENSIS ABBAS BASILICAM COLLAPSAM RESTITUIT SIMULACRIS, SACRAQUE SUPELLECTILI EXORNAVIT, ET CENSUM DUPLUM AUXIT, PAGUM DITIONEMQUE ADDIDIT ANNO DOMINI MDXXXVI.

Oppidum hoc situm est intra Silam, quod Neæthus, & Caput album vulgo *Capalvo* piscibus quos lupos sive truttas vocant fecundissimi alluunt. Ager amplissimus est, frumenti quod *Germanum* vocant incolæ ferax. Fit pix probatissima. Sunt & pascua armentorum pabulis accommodata. In præsentiarum Abbas Commendatarius meritissimus est Innicus Martinus Caracciolo ex Ducibus Martinæ Patritius Neapolitanus optimæ indolis, magnæque expectationis, atque incredibilis erga subditos benignitatis. In Diœcesi Consentina.

Variis privilegiis, ac diplomatibus auctum fuit Monasterium Florense. Primum siquidem privilegium concessit Henricus VI. Imperator, quo assignantur Monasterio annui Bizantini aurei quinquaginta *de redditibus*

*tibus Salinæ de Neæthο*. Datum apud S. Marcum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto pridie Nonas Martii 13. Indictionis. Videre poteris hoc privilegium apud Manriquez in Annal. to. 3.

Secundum concessum fuit ab eodem Henrico, quo territorium Abbatiæ certis limitibus assignavit. Datum Neocastri sub eodem anno 1195. die 20. Octobris, quod in Archivo ejusdem Monasterii asservatur.

Tertium est Constantiæ Imperatricis, quo Monasterio prædicto varia tenimenta conceduntur. Datum Messanæ ann. 1198. Vide Ughell. to. 9.

Quartum est Friderici Imperatoris pro extruenda domo secus Monasterium in loco ubi dicitur *Caputalbum*. Datum Panormi ann. 1200. Mense Martio. Vide Ughell. ibid.

Quintum est Friderici II pro confirmatione & concessione tenimentorum &c. Datum in Castris apud Castrum S. Petri in tenimento Bononiæ mense Octobri 1220. Quod asservatur in Archivo Florensi.

Sextum est ejusdem Friderici pro concessione Feudi in *Acherentia*, & *Cacurio*, quod tenuit quidam Rogerius Saracenus. Datum in Castris apud Castrum S. Petri in tenimento Bononiæ ann. 1220. Mense Octobri. Quod asservatur in Archivo Florensi.

Septimum est ejusdem Imperatoris pro confirmatione privilegiorum. Datum Messanæ ann. 1221. Mense Junio. Extat in Archivo Florensi.

Octavum est Breve Gregorii IX. quo eadem privilegia confirmantur. Datum Anagniæ V. Kal. Februarii ann. VI.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Lapis aliunde huc delatus*. Cur lapis aliunde delatus? Ut ostendas Strongylum non esse Petiliam? At omnes esse contendunt, multisque probant rationibus & argumentis.

(*b*) *Casuonum Castellum*. Liber nostrorum Annalium *Catuonum*, quem *Chonos* vocant antiqui.

(*c*) *Ingens opus &c.* Quod Christophorus Landinus in Etruscum sermonem vertit.

Vivit & nunc *Ludovicus Simoneta* a Pio IV. Pont. Max. Cardinalatus insigni donatus, qui in Synodo Tridentina Legatus a Pontifice bonam & proficuam navavit operam pro Rep. Christiana.

# CAPUT XXIII.

## *De Cerenthia olim Pumento, Vertinis, Briatico, & Ciro olim Crimissa sive Paterno, aliisque Pagis*

INde (1) (*a*) CERENTHIA sive *Gerentium* civitas est, quasi melificium, *Pumentum* olim dictum, ab Oenotriis, sive ut Strabo fert, a Philoctete edito loco super saxum conditum, validum propugnaculum, un-

undique ingentibus saxeis rupibus cinctum. Aer hic saluberrimus est. Distat a Cacurio m. p. quatuor, a mari quatuor & viginti. Fuit sedes Episcopalis, cujus meminit Joannes Joachinus Abbas, licet pro Gerentinus, *ma* syllaba interposita Germaentinus depravate legatur. Hujus urbis Episcopus fuit *Bernardus* Abbas socius sive discipulus Joannis Joachini sanctae vitae vir." Sed haec Charitati Ecclesiae juncta est". Hic vina, olea, & mella clara fiunt. Olivae ad amygdalarum magnitudinem crassae, & carnosae conditae in cadis optimae sunt esu. Ager hic fertilis est. Fit similago triticea optima. Extant sulfureae aquae multis locis. Fit sulfur, nascitur sal fossile, & alabastrites, sive lapis alabastritae similis: & lapis, ex quo fit alumen, quo oppidani ob inscitiam in fabricandis aedibus utuntur. Proveniunt cappares, siliqua silvestris, & glycirrhiza affatim. Fiunt & olera pulcra. Non longe sunt (2) *Spinellum* & (3) *Belividerium* pagi. A Cerenthia m. p. sex (4) *Vertinae* oppidum existit," vulgo *Vergine T.* in *G.* mutato" ab Oenotriis, sive ut Straboni placet, a Philoctete conditum: abest a mari m. p. undeviginti. Hic caseus probatissimus fit, & mel optimum. In hoc agro alabastrites albus & niger nascitur, item sulfur, & alumen, & rubrica fabrilis & chalcanthum, & sal fossile, & lapis sive terra Samia gilva & alba, qua aurum & gemmae expoliuntur, tripolim vocant aurifices, nascitur & ferrum, & argentum, item lapis albus argenti materia, ut quidam volunt. Proveniunt reuponticum eupatorium, meum, euphragia, centaureum majus, & aliae nobiles herbae. Nascitur & rhus arbor, item atrolices arbor, & cardus, qui masticen egerit. Extant & silvae glandiferae omnigenae, & tedae. Fiunt venationes aprorum, caprearum, & aliorum silvestrium animalium. Sunt & testudines, fiunt & aucupia multarum avium. Inde est (*b*) (5) BRYSTACIA, nunc BRIATICUM civitas sedes Episcopalis, ex Paterno urbe, de qua mox, huc translata, "aut huic adjuncta," cujus meminit Joannes Joachinus Abbas, etsi Antiblacensis depravate legatur. Situm est oppidum in vertice montis saxei, ab Oenotriis conditum, ut ait Stephanus. Abest a Vertinis m. p. quatuor, a freto tredecim. Conjiciendum est Pumentum, Cacurium, Vertinas, & alia hujus regionis oppida ab Oenotriis condita, a quibus & Severena & Brystacia, sed a Philoctete postea habitata. In aede Episcopali vestis Christi, & beatae Mariae Virginis, & sanctorum Gregorii Papae, Cataldi, Laurentii, Donati, Stephani, Georgii, & Petronillae frustula asservantur. In hoc agro legitur manna, fit gossipium, & sesama. Provenit terebinthus, & cappares. Nascitur alabastrites, & gypsum marmorosum, & lapis molaris. Extant & silvae glandiferae. Fiunt venationes, quales Vertinis. Ad mare rediens (6) (*c*) *Alecium* promontorium reperies cum statione, Crimissa olim dictum, distat a Crotone m. p. quatuor & viginti, "a Lacinio XLIII". In quo laurorum & juniperorum sponte nascentium copia est. Et juxta Crotonem versus *Lipuda* fluvius cadit in mare, (*d*) *Areta* quondam dictus Crotoniatae regionis, ait etymologicus, ab Areta uxore Alcinoi, cujus sepulcrum erat. Super promontorium hoc (7) (*e*) CIRUM sive *Cirrha* civitas est edito loco. Abest a Strongyli m. p.

octo

octo, a mari quatuor. Crimissa olim dicta a promontorio, ab Oenotriis condita, cujus meminit Stephanus, qui ait: Crimissa urbs & ejusdem nominis promontorium, & amnis. Quam habitavit Philoctetes. Strabo vero eam Philoctetem condidisse refert. De hac Lycophron in Alex. de Philoctete loquens sic scribit:

*Illum vero & Æsari fluenta, & parva civitas*
*Oenotriæ terræ, a cenchrine punctum,*
*Crimissa torris recipiet interfectorem.*

Super quibus verbis Isacius ait: „ Philoctetem Alexandri interfectorem fluenta Æsaris fluminis Crotonis, & Crimissa civitas parva „ Oenotriæ & Italicæ terræ recipient. Philoctetes bellum inferens „ Campanis prope Crotonem & Thoryngium Crimissam habitavit, & „ cessans ab oberratione Haleo Apollini templum erexit, cui etiam „ arcum obtulit, ut scribit Orion, hoc modo Philoctetes sublatus „ est. Ab ea Crimisseus „. Et Aristoteles in libro de mirabilibus. „ „ Apud Sybaritas ajunt, Philoctetem coli, qui ex Troja profugus „ inhabitavit, quæ vocantur mollia Crotoniatis, atque Herculis arcus in Apollinis Halei templo consecravit, quos per vim a Crotoniatis in Apollonium translatos ferunt. Ajunt iis locis mortuum „ esse auxilia ferentem Rhodiis, qui cum Thepolemo ad ea loca delati „ contra incolas depugnarunt „. Inde urbs hæc Crimissa dicta fuit (8) PATERNUM, cujus meminit Antoninus Pius in itinerario, quam a Rossano m. p duodetriginta distare dicit. Nunc, ut dixi, Cirum dicitur. Fuit sedes Episcopalis, quæ post vastationem regionis a Pœnis, Cretensibus, & Mauris in Bryaticum translata est " aut Briaticensi sedi adjuncta" *Abundantius* Episcopus Paternensis interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ sub Agathone Papa, qui una cum Joanne Archiepiscopo Rhegino, & Joanne Episcopo Portuensi gessere vicem Papæ. Hic similago triticea optima fit. Exuberat urbs hæc aquis recentibus. Fiunt vina, olea, & mella clara. Nascuntur cappares, & tubera & fœnicula marina, provenit terebinthus, legitur manna. Nascitur & rubrica fabrilis, & silex. Ager insuper hic frugifer est. Extant & horti nemorosi limonis, citris, & malis aureis, arboribus instructi. Fiunt & arborum fructus optimi. Non longe a freto locis quibusdam uvæ maturæ durescunt, at præcipui saporis sunt. In hortis Episcopalis ædis arbor est, quam Plinius libro duodecimo in Bactris esse scribit. Quæ est inquit, terebintho similis, pomo amygdalis, minor tamen magnitudine, præcipuæ suavitatis, aliqui terebinthum esse proprii generis potius, quam similem ei putaverunt. Fiunt in hoc agro aucupia palumborum, turturum, turdorum, ficedularum, & aliarum parvarum alitum. Post Cirum *Flumica* fluvius labitur, (*f*) *Crimisa* & ipse, ut ostendi, olim dictus. Inde est (9) *Crucolum* castellum, sive *Charocalum*, quod charum bonum significat. Distat a Ciro m. p. quatuor, a mari totidem. Hic rubrica fabrilis nascitur, & cos aquaria, legitur manna. Non procul est *Scala* castellum alterum cum oleo & melle optimo, fit gossipium, & sesama. Est & *Marcellus* vicus. In hac ora passim cardus provenit, qui masticen fundit. Inde " *Fluminica* profluens adlabitur. Fluminica

nica enim quasi dimicationis fluvius, apud quem Sybaritæ cum trecentorum hominum millium exercitu cum Crotoniatis dimicarunt".

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Cerenthia*, *sive Gerentia*. Aliis *Geruntia*, *Gerentum*, & *Acherentia*, ut in quibusdam privilegiis Monasterii Florensis. Quare autem Barrius melificium interpretetur, incompertum habeo. Hæc urbs aliquando civibus frequentissima, pestilentia aliisque temporum injuriis plurimum a pristino splendore defecit. In hoc agro extat Regia salifodina, vulgo *di Miliati*. Fuerunt hinc *B. Polychronius* Cisterciensis monachus Episcopus & civis. Hic acceptissimus fuit Rogerio Northmanno, & Monasterium *Calabro* MARIÆ nuncupatum fundavit. Vide Ughell. to. 9. Item Episcopi & cives *Gibertus* ann. 1198. *Guillemus* ann. 1209. MS. Mart. *Guillelmus* alter anno 1394. Ughell. *Joannes de Volti* ex Geruntino Episcopus Crotoniensis ann. 1439. Ughell. *Cæsar Benincasa* a Rublano oriundus edidit Romæ 1670. opusculum *de Officio Vicarii* in 8. MS. Mart. *Manerius* in bello clarissimus sub Rogerio Comite. Maurolic. lib. 3.

2. *Spinellum*. Vulgo *Monte Spinello*. A Familia Spinella ejus loci aliquando domina cognomen sumsit, ut ferunt. In Diœcesi Geruntina & Chariatensi.

3. *Belividerium*. Vulgo *Belvedere di Levante*, aliis *di Malapezza*, ut ab altero quod in Occiduo situm est secernatur, quod *Blandam* esse diximus. In ead. Diœcesi.

4. *Vertinæ*. Oppidum nobile, imo priscis temporibus Civitas, quæ tamen multum a suo splendore decessit. Verum enim vero inter tot asperrimas calamitates quas temporum injuriis perpessa est, spes sibi una effulget sub Duce suo *Nicolao Cortesio*, *Leonardi* & *Cleriæ de Cupis Ornani* Patritiæ Romanæ filio, juvene probatissimo ac subditorum amantissimo, redeundi ad pristinam dignitatem. Fuit quoque hinc *Joseph Cortesius* sacerdos, *Nicolai* Ducis senioris frater, pietate & doctrina clarus, ad nostram memoriam usque. In Diœcesi Geruntina & Chariatensi.

In hoc agro extat *Sabellia* antea vicus, nunc oppidum satis habitatoribus plenum, extructum circa ann. 1640. a Carolotta Sabellia Romana, unde & cognomen sumsit; antea enim locus hic vocabatur vulgo *Scalzaporri*, ut ait Dominicus Martyre in suo MS. Hujus loci nunc Dominus est supra laudatus Nicolaus Cortesius ex Ducibus Vertinarum. In ead. Diœcesi.

5. *Brystacia*. A Græco, ut puto, Βριάω *robustum reddo*; vel ἀπὸ τοῦ βρύειν *Scatere*. Hæc civitas, ut ferunt, ex monte *Ragano*, pluries a Saracenis direpta, ad locum ubi nunc est translata fuit, montibus circumsepta, e quorum umbra nomine immutato *Umbriaticum* appellari cœpit. Fuerunt ex hoc loco *Gervasius*, *Robertus*, *Peregrinus*, & *Raynaldus* Episcopi & cives, ut ait Florius in Calab. illustr. quos inter commemorat & *Abundantium*, omnesque dicit Episcopos Ecclesiæ Paternensis, quæ in Umbriaticum translata fuit. De Abundantio siquidem

dem Paternensi Episcopo fit mentio in sexta Synodo Constantinopolitana ut supra diximus lib. 2. cap. IV. num. 5. De aliis nihil compertum habui. Fuit & *Michael Perista* ex Canonico Episcopus Vmbriaticensis ann. 1420. Obiit 1435. Vghell. *Petrus Ranerius* sive ex hac civitate, sive ex Diœcesi Episcopus Strongylensis creatus die 15. Novembris ann. 1535. ut testantur Acta Consistorialia: miramur quippe quare præteritus sit ab Vghellio. *Elias Astorinus* Carmelita doctissimus, edidit librum *Prodromus apologeticus de potestate S. Sedis Apostolicæ*. Senis 1693. *De vera Ecclesia Christi*. Neap. 1700. aliaque. Vide *Amat.*

6. *Alecium*. Nunc vulgo *Capo dell' Alice*.

7. *Cirum*. Aliis *Cirra*, *Ipsycrò*, sed rectius *Psycrò*. Græce enim ψυχρὸς Latine *frigidum* sonat. Nunc vulgo *Cirò* & *Zirò*. Hæc de eo narrat Janus Theseus Casoperus, qui florebat ann. 1535. lib. 1. epist. ad Joannem Raganum: *Vrbem nostram a Paganis, qui ad radices promontorii templi Junonis Laciniæ toto olim orbe terrarum celeberrimi habitaverant, copiose propagari. Etenim antea majores nostri vicatim nullis fossis muroque circumdati in latis & amœnissimis Lacinii campis degebant. Postea pyratarum incursu, qui omnem oram litoralem Rheginorum, ac Crotoniensium latrociniis infestabant, parva loci intercapedine sedes mutaverunt. Itaque relictis pagis in montana, tamquam in asylum confugerunt: cœperuntque quadringentis, aut eo plus annis* (idest circa ann. 1100.) *exædificare urbem, & quod esset, omnibus ventis, & præsertim Aquilonari, atque Euro exposita, Psycrò Græco vocabulo appellaverunt. Habuit initio angustissimos fines; cœpit enim primitus ad eam tantum viciniam coli, quæ nunc D. Joannis nuncupatur; & ad hanc usque diem Laciniorum durat agnatio, atque gentilitas a loco, unde digressa est, nomen retinens*. Verum a Turcis non semel expilatum est, anno scilicet 1595. & 1598. imo & nostris temporibus.

Ex hac gente fuit S. *Nicodemus* Basilianus, natus circa ann. 900. tametsi aliqui Hieracensem faciant ex longo ibidem incolatu: fuit quippe vitæ sanctitate, pœnitentia, & miraculis celeberrimus. *Galaton* ejusdem Nicodemi magister. Vide Agrest. in ejus vita. *Antonius* Minorita strictioris observantiæ tertiarius sanctæ vitæ vir. Obiit Panormi ann. 1646. MS. Mart. *Antonius Spoletinus*, Episcopus Crotoniensis ann. 1402. Notandus Vghellius, qui Spoletum repetit, cum *Spoletinus* non ad patriam pertineat, sed ad familiam. Vide Jan. Theseum Casoper. lib. 2. Epist. *Antonius* Minorita, Episcopus Catacensis ann. 1435. Vghell. & Flor. *Bernardus Piccolus* ex Archiepiscopo Nicæno Episcopus Strongylensis ann. 1621. Obiit eodem anno. Vghell. *Dragonettus Spatafora* in bello clarissimus, & Liciensis Provinciæ Prorex. MS. Mart. *Aloysius Lilius* Philosophus & medicus, atque in mathesi, ac computis astronomicis toto orbe celeberrimus. Hic tabulas Epactarum cyclum continentes concinnavit pro emendatione Calendarii Romani, quod postea *Gregorianum* appellatum est. Quibus summo studio conquisitis a Grego-

rio

rio XIII. & ab *Antonio Lilio* ipsoque doctissimo, Aloysii jam defuncti fratre, Summo Pontifici oblatis, accedente judicio ac criterio doctissimorum virorum Guillelmi Sirleti, & Vincentii Laurei Cardinalium, opus arduum jamdiu ab aliis frustra tentatum, tandem Calabrorum opera toto orbe plaudente anno 1581. feliciter absolutum fuit. Vide Constit. Greg. XIII. quæ incipit *Exordiente*. Hæc de Aloysio scripsit Nicius Erytrhæus in Pinacoth. num. 105. *Quamobrem tantum hominis ingenium, unde tam ingens utilitas fructusque Ecclesiæ universæ emanavit, dignum est ut numquam ex hominum memoria labatur & cadat, sed in omnium sermone & celebritate versetur*. Vide Topp. *Janus Lucinius* Minorita Philosophus scripsit de Chimica ann. 1546. Gesner. Vading. Topp. aliique. *Janus Theseus Casoperus* eruditione clarissimus scripsit quatuor libros *epigrammatum*, quatuor *de amore*, duos Latinarum *Epistolarum* Venetiis cusos ann. 1535. in 8. Gesner. & MS. Gualt. Vivit modo *Laurentius Mascambrunus* Augustinianæ Familiæ doctissimus, scripsit quædam. In Diœcesi Umbriaticensi.

8. *Paternum*. Hic fuit & alia *Temsa*, ut ex tabulis Peutingerianis colligere fas est: & ex sexta Synodo Constantinopolitana, ubi *Abundantius Episcopus Paternensis* subscripsit: *Sacrosanctæ Ecclesiæ Temsanæ Episcopus*. Vide lib. 2. cap. IV. num. 5.

9. *Cruculum*. Ex hoc loco fuit *Antonius Rizoleus* ex Minimorum familia, sanctitate, pœnitentia, & erga Deiparam cultu celeberrimus. Obiit Spetiani nonagenarius die qua prædixerat 30. Octobris 1596. Lanov. & MS. Mart. *Bonaventura* Minorita strictioris observantiæ sanctæ vitæ vir. Obiit Patavii die 24. Decembris 1675. Ms. Mart. *Aloysius de Aquino* ex Dominicana familia, humilitate, paupertate, morum integritate, ac prophetiæ dono illustris. Obiit Neapoli septuagenario major ann. 1623. scripsit quædam. Marchesf. in diar. Topp. & Ms. Gualt. In Diœc. Rossanensi.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Cerenthia, Gerentum, Pumentum olim dictum*. Hoc est divinare, & verba Strabonis nihil ad rem.

*Gerulia oppidum*, quod *Cerenthiam* corrupto nomine vocant, ereptam credunt post stragem Magnæ Græciæ a Saracenis: Ego antiquam arbitror ejus originem.

*Clea* Amazona, Panthasila Nutrix in hoc agro Crotoniensi urbem dedit, quæ vetustate penitus deleta est. Sunt qui circa Melissam quærendam censeant. Alii prope Triontum amnem. Alii in Promontorio Arsio, in quo apparent urbis vestigia: idcirco non est arbitrandum in littore Brutio datam prope Terinam, ut quidam cum Barrio scripserunt.

(*b*) *Brystacia, nunc Briaticum*. Dicendum nunc *Umbriaticum*; nam Briaticum aliud est oppidum prope Tropæam, verum Brystaciam credere summa dementia est, cum nullis

prorsus nitatur rationibus.

(*c*) *Alecium Promontorium reperies*. Sic Auctor nostrorum Annalium. Antiquis *Promontorium Crimissæ*: Ab Aristotele *Promontorium Choni* appellatur. Nunc *Capo dell' Alice*: nec dictum est a *Ligia* Sirena ibi sepulta, ut quidam nostrorum temere sentiunt, nam Ligia Sirena in Therinæo scopulo sepulta est, ut Lycophron & Isacius auctor est. Nec est Lacinium Promontorium, ut quidam somniant ex nomine, nam Promontorium Lacinium est prope Crotona Civitatem, & vocatur hodie *Capo delle Colonne*. Sed & alibi Barrius scribit promontorium Salentinum esse *il capo di Stalatti* in sinu Scylaceo, & promontorium Brutium *il Capo del Suvero di Castiglione di Nocera*: cum promontorium Salentinum sit *il Capo d'Otranto* a Pomponio Mela *Salen* appellatum, & promontorium Brutium sit promontorium Herculeum Straboni, vulgo *il Capo di Spartivento*.

(*d*) *Areta fluvius prope Crotonem*. Etymologiam vide ab Arete Altinoi uxore ibi sepulta.

(*e*) *Cirum*. Aliis, *Cirrum* seu *Cirrha* Oppidum. Nunc *Luccirò*. *Psycrò* dicitur a Joanne Pontano, ac multis aliis disertissimis viris, quod ego nusquam reperi apud antiquos: mirorque unde hoc eruerint. *Crimissam* etiam contendit dictam olim fuisse Scriptor nostrorum Annalium; ac verum est. Nec eadem est cum *Paterno* Civitate, ut scribit Barrius: nam Paternum jamdiu dirutum est.

(*f*) *Crimissa fluvius*. Nunc Fluminica. Sic omnes.

## CAPUT XXIV.

### *De Chariato, Campana olim Calaserna, aliisque Oppidis & Castellis*.

Ad mare (1) (*a*) CHARIATUM civitas est, sedes Episcopalis, mari abluitur. *Menecrates* Episcopus Chariatensis interfuit Synodo Romanæ primæ sub Symmacho Papa." Meminit de hac Sede Episcopali S. Gregorius Papa lib. V. Epist. quam commendat Bonifacio Episcopo Rhegino mortuo illius Episcopo". Hoc mare piscosum est, pisces laudatissimi capiuntur. In Chariatensi agro fit xilon & sesama: nascuntur fœnicula marina, nascitur lapis molaris frumentarius, & olearius. Ager hic herbidus est, pabulis egregie accommodatus, fiunt & perpulcra aucupia coturnicum, turturum, palumborum, turdorum, sturnorum, & aliarum parvarum avium. Hæc urbs cremata fuit a Turcis eodem anno, quo & Rhegium. Post urbem *Leos* & *Valgius* amnes labuntur. Supra est (2) (*b*) *Campana* oppidum. *Calaserna* olim dictum, ab Oenotriis, sive, ut Strabo vult, a Philoctete conditum. Distat a Chariato m. p. undecim, a Briatico sex. In hujus oppidi templo sanctorum Stephani Prot. Fabiani, Martini, Xisti, & Procopii frusta asservantur. Hic vina, olea, & mella clara fiunt. Nascitur cos aquaria, & silex, & rubrica fabrilis, & chalcanthum, & lapis molaris, legitur manna. Provenit reuponticum, & cardus masticen fundens. Fit pix, nascuntur tedæ ar-

arbores. Sunt & glandiferæ arbores, & castaneta ad porcos alendos opportuna. Est & ager hic herbidus pascuusque. A Campana ad quartum lapidem (3) *Bochilerium* oppidum est inter *Sanctocrucium* & *Laurentium* amnes, abest a mari m. p. duodecim. In hoc agro cos aquaria probatissima nascitur, & silex, & lapis molaris, & lapis Phrygius, & gagathes lapis optimus. Provenit terebinthus, anisium silvestre, dictamum, centaureum majus, & sagapenum. Nascuntur ubertim pinastri, & alaterni. Extant & castaneta, & silvæ glandiferæ porcis alendis commodæ, fiunt venationes, quales Vertinis, & aucupia externarum, palumborum, merularum, turdorum, perdicum, & aliarum parvarum avium. Postea est (4) (*c*) *Paula* oppidum, distat a mari m. p. octo. Ager hic fertilis est, fit & mel optimum, fit & gossipium & sesama. Exciditur cos aquaria laudatissima, provenit & cardus masticen fundens. Inde est (5) *Colopiciatum* castellum cum linis optimis, quod ornamentum & cultum notat. Quod *Fimarelum* flumen præterfluit. Hic gossipium & sesama fiunt. Nascuntur cappares, & fœnicula marina. Subinde (6) (*d*) *Chrysia* castellum est cum olei copia. Abest a mari m. p. ii. in hoc agro nascuntur cappares, & siliqua silvestris. In littore fontes frequentes sunt dulcem manantes aquam. Post Chrysiam (7) *Triontum* flumen navigabile labitur, Hylias olim dictum, Crotoniatarum agrum, a Thuriorum olim dispescens, ut in Thucidide liquet. Qui libro septimo ita scribit: „ Demosthenes & Eurymodon Atheniensium classis exercitus duces posteaquam Thurini ad societatem militiæ se expedierunt, jubent classem in oram Crotoniatam tendere, ipsi vero recensitum exercitum per agrum Thurinum ad Sybarim flumen ducunt. „ Qui cum ad amnem Hyliam pervenissent, præmisissentque Crotoniatæ, qui dicerent nolle se per suam terram meare exercitum, descenderunt ad mare, & ubi Hylias ad illud excurrit castra habuerunt, ubi naves eis ob id præsto fuerunt. Quibus postera die conscensis abiere, subinde adeundo civitates præterquam Locrensium „ donec ad Leucopetram pervenere agri Rhegini „. Itaque post Auxoniorum, Oenotriorum, & Italorum reges, qui vniversæ regioni dominati sunt; post Philoctetem, qui quotæ regionis parti imperavit, & siqui alii ejusmodi in ea regnarint, quatuor Respublicæ in Calabria fuere, quæ toti regioni dominabantur, Rhegina, Locrensis, Crotoniata, & Sybarita. Sibari vero a Crotoniatis solo æquata, ejus Reipublicæ Thurina successit. Cum vero postea Brettii potentia pollere cœperunt, complura harum Rerumpublicarum oppida subegerunt, ac sibi suam Remp. & ipsi constituerunt: adeo humanæ res fortunæ temeritati & inconstantiæ subjectæ, volubiles sunt.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Chariatum*. A Græco χάρις *gratia*, ut fertur; sed verosimilius ab Hebraico קרית *Cariat*, quod secundum Hieronymum ad Eustochium in Epitaphio Paulæ *viculus* interpretatur, aliis *civitas*. De fundatione autem hujus urbis nihil compertum habui, præsertim cum & aliud Charia-

riatum fuerit, ex cujus reliquiis novum extructum sit: Quinimo de Episcopali sede nec præcipuum tempus definiri, nec tam vetusta conjici, nec Menecrates Episcopus ad hanc pertinere posse videtur. Vide Vghell.

2. *Campana*. Dicta est vel a campanæ sonitu, vel a Campana gente, quæ illam inhabitasse dicitur, ut aliquibus placet, vel potius a campis quibus ditata est. Vt ut sit, oppidum nobile est, cum emporio celebri die 11. Junii. Extat & vicus nostris fere temporibus extructus, vulgo *la Croce*. Fuerunt ex Campanæ oppido *Franciscus Marinus* eruditione clarus, anno 1682. creatus Episcopus Isulensis. Edidit quædam. MS. Mart. *Thomas Martuccius* Philosophus, & medicus, scripsit quædam. MS. Mart. in Diœcesi Rossanensi.

3. *Bochilerium*. Vulgo *Bocchigliere* & *Bottigliere*. Oppidum ex aliis pagis extructum. Sunt in hoc agro aurifodinæ. Fit copia vini optimi. In eadem Diœcesi.

4. *Paula*. Vulgo *Pietra Paola*. In eadem Diœcesi.

5. *Calopiciatum*. A Græco καλὸς & πῖος, quod *bonum* & *pingue* sonat. Erravit Ferdinandus Marra super famil. qui conditum voluit ann. 1321. cum longe antea de hoc monumenta supersint: fortasse tunc temporis vel restauratum, vel auctum. In eadem Diœcesi.

6. *Chrysia*. A Græco χρυσίον *aurum*. In ead. Diœcesi.

7. *Triontum*. Jamblicus in vita Pythagoræ cap. 35. ait triginta myriades hostium a Crotoniatis cæsas fuisse περὶ τὸν Τετράεντα ποταμὸν. Verum ex Diodoro rescribendum dempta prima syllaba περὶ τὸν Τράεντα ποταμὸν, *circa Triontum flumen*.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Chariatum Civitas*. Chariatidem appellat Auctor nostrorum Annalium: ac denominatam ferunt a Gratia & amœnitate hujus oræ, cui etiam suppetunt quæ natura largiri solet. Dicebatur etiam Chariatis Diana ex Pausania a loco Dianæ & Nymphis sacro. Chariatides quandoque Nymphæ dictæ, quæ in honorem Dianæ saltabant. Chariatidi mœnia a Gurgulano Græcorum Præfecto data fuerunt. Proverbium: *Actum de Chariatide*.

(*b*) *Campana*. Oppidum, olim *Calaserna*.

(*c*) *Postea Paula oppidum*. Cur Paula Oppidum, si *Petrapaula* a multis dicitur? quomodo ab altera Paula, quæ est ad mare inferum dignoscetur? *Petrapaula* dicta, quod supra altissimam petram sit extructa a Paulo deducendæ Coloniæ auctore.

(*d*) *Chrysia*, vulgo *Crusia*. Ita scriptor Annalium, Chrusia, quam nonnulli credunt esse *Rusciam* a Totila olim oppressam, dum foveret Justiniani partes, quamvis ex verbis Leonardi Aretini aliter credi possit: Locat enim prope littus maris, & Chrusia abest a mari mill. pass. 3. sed dicendum huc traductam post stragem Saracenorum.

*Finis Libri Quarti.*

# LIBER QUINTUS.

## CAPUT I.

### *De Regione Thurina, & praecipue de Rossano.*

POST Triontum idest Hyliam flumen Thurina regio olim incipiebat: primum oppidum (1) *Calovitum* est, distat a Chrysia m. p. quinque, a mari septem. Hic vina & olea optima fiunt, nascitur Chalcanthum & gypsum alabastritae simile, sive, ut quibusdam placet, alumen scissile est. Laudantur & mala punica apyrena, quorum acina ad strobilorum magnitudinem sunt. Provenit terebinthus, & siliqua silvestris, & vitex. Prope oppidum, *Laurentum* flumen excurrit. Inde est (2) *Longoburgum* oppidum juxta Silam silvam. Hic argenti fodinae sunt, & jam nunc argentum conflatur in massam. Glandiferae arbores & hic & alibi passim ferunt agaricum, nascitur meum. Ex hoc oppido fuit (3) BRUNUS medicus chirurgus non contemnendus, Patavii medicinae operam navavit. Scripsit in chirurgia libros duos, qui extant, ac magno in precio habentur. Floruit a Christo nato anno M. cclii. Non longe est (4) *Cropalatum* castrum. Hic etiam gypsum alabastritae simile, sive alumen scissile, & chalcanthum & alumen nascuntur. Proveniunt & terebinthus, vitex, oleander, siliqua silvestris, & crocus silvestris. Laudantur & mala punica apyrena, qualia nascuntur Caloviti. Ex hoc oppido fuit beatus *Bernardinus* divi Francisci Paulitani socius sanctae vitae vir. Post oppidum *Calonatum* & inde *Celanum* flumina decurrunt: Inde (*b*) (5) ROSSANUM est, civitas " nobilis, ac vetusta, ab Ausoniis aut certe " ab Oenotriis, ut quantum auguror condita, validum propugnaculum, egregie natura, inde manu munitum, super saxum, atque undequaque saxeis rupibus septum, & aquarum scaturiginibus exuberans, quod ad loci firmitatem plurimum confert. Aer quoque hic salubris viget distat a freto m. p. tribus " quam *Celanum* flumen adlabitur ". Cum enim Oenotrii, ut ostendi, in condendis urbibus loca tuta ac propugnacula firma deligerent, & morto Peucentio Oenotri fratre, utranque Calabriae oram tenuerint, urbesque in ea complures parvas ac crebras condiderint, censendum est hunc tam aptum urbi locum neutiquam praeterisse. Praesertim etiam quod haud procul hinc Brystaciam, & Cosam construxerint. Hanc postea Rhodii coloniam deduxerunt, ut Joannes Joachinus Abbas scribit in Esaiam " cujus meminit Antoninus Pius in Itinerario. " Postea eam Coloniam deduxere Romani. Quanquam Procopius libro tertio de bello Gothico eam a Romanis conditam velit, ait enim: *Juxta Lambulam vallem, angustumque aditum ad littus* (6) *Russia est promontorium Thuriorum. Supra id m. p. septem cum di-*

*dimidio præsidium validissimum construxere Romani. Quod utique Joannes ante hac ceperat; & quam optime communierat. Id oppidum Totilas cepit deficiente commeatu militibus præsidiariis Belisarii, auxilioque eis non adveniente.* Id idem Agathius libro quarto de eodem bello asserit. Est sedes Archiepiscopalis. *Valerianus* Episcopus Rossanensis interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ sub Agathone. " Et *Saturninus* Episcopus Rossanensis interfuit eidem Synodo ". Ecclesia hæc ab hinc non multos annos Latina facta est, antea enim Græcam linguam ritumque servabat. De hac urbe beatus Bartholomæus in vita beati Nili sic scribit: *Cum omnis finitima regio ab* (7) *Agarenis beati Nili tempestate vastata esset, eorumque prædæ exposita solum Rossanum ab ea vastitate immune fuit. Idque haud quaquam humana ope, sed Deiparæ, quæ locum illum inprimis tutaretur, auxilio factum est. Siquidem cum sæpe Agareni noctu irruissent, arcemque expugnare tentassent, simulatque ad mœnia accessissent scalis admotis fama est e superiore loco mulieri similem purpura indutam illis apparuisse facem manibus gestantem, atque illos propellentem, e muroque deturbantem, idque verum esse testabantur, qui ex illis aufugerant.* Tempore beati Nili, ait idem beatus Bartholomæus, Rossanum magnis terræmotibus quatitur, multis imbribus noctu ac die ingruentibus. Unde complures domus atque ecclesiæ dejectæ sunt. Populo autem ad sanctum pacis templum ingresso terræmotus imbresque cessavere. Nullus autem homo, neque jumentum aliquod periit. In æde Episcopali divi Christophori armus asservatur. Hic vina laudatissima nascuntur. Fit optimi olei copia. Olivæ ad amygdalarum magnitudinem crassæ & carnosæ conditæ in cadis optimæ sunt esu. Fiunt fictilia nobilia. Nascitur gypsum marmorosum, nascuntur cappares, vitex, oleander, crocus silvestris, & terebinthus. Proveniunt etiam, ut ab herbario accepi, dictamum Cretense, anenides, centaureum majus, & aliæ nobiles herbæ. Sunt in hoc agro pagi *Scrufudonium* & *Paludum* cum vinis optimis, ubi alabastrites & sal fossile nascuntur, & cos aquaria probatissima. Item reuponticum & sagapenum. Fiunt externarum, palumborum & sturnorum aucupia. Ad mare *Rossia* promontorium est, *Athenæum* a Dionysio Halicarnasseo dictum, & portus Veneris statio æstiva: ubi Aeneas plures Trojanos exposuit, atque reliquit. Qui per ea loca habitandi sedes posuerunt. Non longe ab urbe est beatæ Mariæ e Patirio cognomine templum, divi Basilii monachorum cœnobium.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

(1) *Calovitum.* A Græco καλὸς βίος *bona vita*. In Diœcesi Rossanensi.

2. *Longoburgum.* Nunc vulgo *Longobucco*. Incolæ credunt hoc oppidum fuisse *Temsam*. Vide quæ diximus lib. 2. cap. 4. num. 5. Fuerunt hinc *Florentius* ex Minimorum familia laicus, S. Francisci Paulitani socius, sanctæ vitæ vir, ut ex actis Cano-

nonizationis S. Francisci. *Franciscus Maria Labonia* eruditione clarus scripsit *de vera loci urbis Temesinæ situatione*. Topp. *Cælestinus Labonia* Augustinianæ discalceatæ familiæ Episcopus Montis Marani ann. 1670. tametsi alii Rossanum repetant. MS. Mart.

(3) *Bruno Longoburgensis*. Medicus in re Chirurgica ceterorum facile princeps. Ejus MS. extant in variis bibliothecis, ut Lipsiæ in Paulina pag. 251. in Rostgardiana pag. 524. Ex Codice membranaceo Romæ in Bibliotheca Ottoboniana num. 2059. in fol. hæc habentur: *Chirurgia Magistri Bruni Longoburgensis script. A. D. MCCLXXXV.* Et ad calcem ejusdem: *Anno ab Incarnatione Domini MCCLII. mense Januarii Indictione X. apud civitatem Paduæ in loco S. Pauli Ego Brunus gente Calabricæ & patre* (fortasse *patria*) *Longoburgensis sub spe Divini favoris per omnia vestigia veterum sapientum persecans huic operi debitum finem imposui. Suscipias ergo gratanter amice charissime, & non erubescas, neque esitis operari cum eo. Nam apud compositionem ejus non fui promtus ad aliud nisi ut colligerentur flores ex secretis veterum, quos ante investigaveram exercitio magno, & ipsos aggregarrm* (fortasse) *aggregarem*) *in eo. Neque etiam animus meus quievit ut solum illud exciperem, quod in libris erat depictum: immo illud cum quo experimento, & ratione perpensa cognitionem decrevi. Quare non alienes animum tuum a fiducia præsentis operis: quoniam est radix & fundamentum totius artis & secretum occultum. Et observa te amice secundum prudentiam tuam ab omni via dubitationis, neque cupiditatis lucri inducat te ad illud apud quod est ignorantia tua, & artium probibitione fama tuæ bonitatis turpibus maculis denigretur. Sed declina ad viam perducentem salutem, & dimitte ægritudines terribiles in quibus non est fiducia sanitatis. Ex hoc enim veniet super te successio laudabilis, fama, & gloria magna. Deus omnipotens inspiret tibi gratiam suam, teque ad cognitionem viæ melioris perducat. Deo gratias, semper, amen*. Vide Jo: Albertum Fabricium to. I. Biblioth. & in elencho Medicorum Veterum to: XIII. Biblioth. Græcæ. Joannem Antonidem de scriptis medicis lib. I. Justum in Chronolog. medic. Chirurgia Magna & Parva. Extant cum Guidonis Theodorici &c. scriptis Chirurgicis Venetiis apud Octavianum Scotum 1490. in fol. Apud Juntas 1546. in fol. Apud Bernardinum Venetum 1559. in fol. Opus suum Brunus inscripsit Andreæ Vicentino, quem Venerabilem amicum appellat.

(4) *Cropalatum*. Ab Imperatore Michaele Curopalata vel extructum vel auctum, ut puto, ob nominis affinitatem. Patria fuit *Thomæ* Minoritæ strictioris observantiæ doctissimi ad nostram memoriam usque.

(5) *Rossanum*. Aliis *Roscianum*, *Russianum*, quasi *Rus sanum*, *Russia*, & *Melepodium*. Alludit Hebraica vox ראש Ros, *vertex*, *summitas*, ut situs demonstrat. Incolæ contendunt ab Elisa filio Javan ædificatum, postmodum ab Rhodianis Coloniam deductam, a quibus nomen immutatum. *Rhodus* quippe, ut fertur, ἀπὸ

τῦ ῥόδυ *a rosa*, quod rosæ in promontorio dum conderetur inventæ sint. Ait quoque Strabo lib. XIV. *Ex Rodiis nonnulli circa Sybarim habitaverunt prope Chaoniam*. Alii autumant ab Æneæ sociis aliquando inhabitatum, & huic conjecturæ consentire videtur Dionysius Halicarnasseus Rom. antiq. lib. I. Hic enim Æneam cum sociis appulisse scribit in ea loca prope Athenæum promontorium, ubi portus est æstivus, qui ab illo tempore *Veneris portus* appellatus fuit. Ut ut sit, Civitas vetustissima creditur, & ab Ausoniis repetenda: sed Coloniis postmodum, præsertim post Sybaris destructionem plurimum aucta.

6. *Russia*. Aliis *Athenæum*. Vide supra.

7. *Ab Agarenis*. Iidem ac Ismaelitæ, qui tamen *Agareni* appellati sunt ab *Agar* ancilla Abraham, de qua natus est Ismael: sed veriti ne idipsum in contumeliam verteretur, *Saraceni* appellari maluerunt a *Sara* Abraham uxore nomine ducto. Vide Sozomen. lib. 6. cap. 28. Alii putant *Saraceni* nomen ductum a *Sarac* Arabiæ provincia nobiliori. Vide Abraham. Echel. histor. Arab. cap. 3. & 5.

## SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

[*a*] *Cropalatum*, seu *Calopalatum*, idest *bonum antiquum*, *aut bonum palatium*: Cum nihil in hoc agro desideretur quod ad vitæ usum exigatur. *Crapeatas* appellat Pontanus, & scriptor nostrorum Annalium.

[*b*] *Rossanum Civitas vetusta*. Fama est hanc Vrbem erectam a Mauritio Constantinopolitano Imperatore, Euphemo Eremita auctore, & impulsore: quod mihi non fit verisimile, cum septingentesimo ab hinc anno hoc accidisse dicant: & Rossani bis fit mentio apud Antoninum, qui anno Christi 140. regnavit, & Attila & Gothi Rossanum obsederint anno Christi 481. quare arbitror longe antiquiorem ejus originem fuisse, sed accipiat unusquisque quod magis arriserit. Sic dictum quod ex milto & arena totum rubeat, ex ruinis Melepolis, vel Meldepolis extructum, quæ a Mellis quæ isthic dabantur, appellata est. Vide Procopium lib. 3. de bello Gothico, & Agatium lib. 4.

# CAPUT II.

## *De Beato Nilo, ejusque gestis.*

EX hac urbe fuit beatus NILUS monachus divi Basilii, & Abbas, vir nimirum magna sanctitate & doctrina. Qui ceu fulgentissimum sidus in Ecclesia Dei emicuit. Hic, ut beatus Bartholomæus ejus civis ac discipulus, qui totam illius vitam exaravit, scribit, ex nobilibus parentibus est ortus. Qui jam puer, cum illi migrassent e vita, a sorore educatus fuit. Hic ab ineunte ætate bonam indolem, at-

atque excellens ingenium præseferens omnes coævos suos prudentia superabat, præceptoresque suos tanta prudentia percontabatur, ut eos in sui admirationem adduceret, unde puero tantum ingenii acumen. Antonii, Hilarionis, Sabæ, Arsenii, aliorumque sanctorum patrum vitas usquequaque præ manibus habebat. Inde vero jam exoletus dæmonis opera cum virgine quadam concubuit, filiamque ex ea suscepit. Ceterum deinde resipiscens, ac se perpetrati deliquii pœnitens, mundi oblectamenta ac divitias deserere statuit. Atque magnam pecuniæ summam a debitoribus exigens, vineamque se ex ea empturum simulans, pauperibus erogavit, ac reliqua bona sua omnia egenis impertiens ad cœnobium beati Mercurii ordinis sancti Basilii secessit monachalem habitum suscepturus. In quo tum plerique sancti viri degebant, atque inter ceteros erant divini illi viri Phantinus, Zacharias, & Lucas, de quibus alibi diximus. Haud procul aliud monasterium erat, cui præerat divus ille Joannes, de quo alibi diximus. Quibus visis ingenti lætitia est affectus. Verum quia humani generis perpetuus hostis ei in hujusmodi opere impedimento esse studebat, ab illius regionis præside literæ allatæ sunt his, qui monasterio præerant, quibus interdicebatur ipsis ne illum monachalem habitum induerent: quod si contemsissent, manus eorum præciderentur. Quare timore perterriti ad sancti Nazarii monasterium illum miserunt. Ibi sanctum habitum summa religione " jam provecta ætate, sed " nondum trigesimum annum agens suscepit. In quo monasterio xl. dies commoratus neque panem, neque vinum, nec demum coctum quid gustavit, sed arborum fructibus atque oleribus contentus erat. Sic bonus ac strenuus Christi miles & athleta a delicata seculari vita repente ad austeram vivendi formam transiit. "Qui licet carni obluctaretur & cum humani generis hoste, qui nobis quotidie negotium facessit, strenue pugnam ederet, statuerat enim, ut dixi, Deo obsequi, praeterea nemini"; ibi cuidam regulo tyranno, qui se decem annos victurum prædicabat, decem duntaxat dies victurum prædixit. Id quod & fuit, decimo enim die infeliciter a suis civibus interemtus est. Quadraginta igitur diebus exactis ad monasterium Mercurii, ut beatos illos viros viseret, rediit. Quorum mutua atque inseparabili amicitia ac benevolentia fruebatur.

Erat per id tempus Calabria altera Aegyptus sanctorum monachorum parens & nutrix. Cum igitur beatus Nilus hominum consuetudinem declinare statuisset, secessumque adamasset, solitariam vitam delegit, Joannem Baptistam æmulatus. Itaque cryptam quampiam incolebat, quæ haud procul a monasterio Mercurii, & ab eo Monasterio, cui præerat beatus Joannes, abest. Quæ in sublimi & arduo loco est sita, aram habens S. Michaeli Archangelo dicatam. Is locus quieti aptissimus erat, ibi vigiliis, psalmodiæ, orationibus, contemplationibus, jejuniis, divinæ scripturæ lectionibus, ceterisque hujusmodi actionibus dieque noctuque jugiter incumbebat, nam somni paululum capiebat." Equidem animum ad studium divinarum literarum adjunxit, probe sciens, quod quam plurimum in eas incumberet, tam citissimum in Dei amore proficeret, justusque

evaderet". Caput apertum, ac pedes nudos ſemper gerens, unica duntaxat tunica, eaque ex caprarum pilis confecta contentus erat. Zona ei erat funiculus nonniſi ſemel in anno ſolutus. Atque uſqueadeo paupertatis ſtudioſiſſimus fuit, ut ne obolum quidem poſſideret. Atramentarium ei erat ex cera compactum. In ſcribendis libris plurimum vacabat. Tempus ſic dividebat, ut, ne quidem minimo " temporis " momento eſſet ocioſus. Nam ab hora matutina ad tertiam uſque libros ſcribebat, ſingulis diebus quaternionem conficiens, ſcribebat enim pſalmos: a tertia autem uſque ad ſextam cruci aſſiſtebat cum Maria & Joanne, pſalterium retinens ac recitans, millies genua flectens: a ſexta vero uſque ad nonam ſedebat lugens, ac perſcrutans legem domini, & ſanctorum ſcripta, inde veſpertino hymno dicto paululum ſpiritum reficiebat deambulans", ac pſalmos recitans," Deumque ſemper ob oculos habens". Divinam ſcripturam, qua erat longe eruditus, fratribus exponebat, Joannem Chryſoſtomum, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, ceteroſque Græcos, nec non Latinos Doctores in manibus habens. Ejus menſa erat lapis magnus ac patella in illo, teſtæ fragmentum. Cibus interdum panis ſolus illi erat, & aqua in menſura, interdum legumina cocta, quandoque vero fructibus tantum contentus erat, & præſertim ſiliquis, quæ ultro naſcuntur, utpote myrteis, & comaris, hujuſmodi pomis. Pertranſit annum unum menſe minus nullo prorſus liquido obſonio ab eo deguſtato. Perſæpe biduum, quandoque triduum, interdum quinque dies totidemque noctes cibo & potu abſtinebat; ſanctam quadragenam ita tranſegit, ut nil penitus præter remunerationem caperet. Rurſus alios ſexaginta dies permanſit bis duntaxat toto hoc tempore cibum ſumens. Jejunium nunquam ſolvit. Quid multis opus eſt verbis? Tot nempe vivendi formas percurrit, quot a ſanctis patribus ſervatas fuiſſe legerat. Lacrimarum vero non guttas, ſed prope rivulos emittebat. Contemplationibus adeo vacabat, ut plerunque in ecſtaſi raperetur. Libidinum incitamenta prædictis exercitationibus, & ſpinarum attritione, necnon urticarum fuſtigatione propellebat. Varias inſuper dæmonum pugnas non modo inviſibiles, ſed etiam viſibiles & corporales ſuſtinuit, quas & Dei ope ſuperavit.

Quodam die dæmon ipſum in capite clava percuſſit, vulnuſque infigit, quod diu cruciatus pertulit, a quo divinitus nocte quam Apoſtolis Petro & Paulo dicatus dies eſt inſequutus, dum pſalmos in Eccleſia cum beato Phantino pſalleret curatus eſt. Rurſus alio die a quodam alio vulnere diaboli opera ſibi infixo ab Angelo ſanatus eſt. Fuit etiam multorum miraculorum patrator. Quippe qui immundis ſpiritibus obſeſſos liberavit, variis morbis affectos curavit. Neque prophetiæ munere caruit, complura enim præſagivit, ac cordium abdita " divinæ mentis afflatu " aperiebat. Inde Agarenis eam Calabriæ partem, ubi ipſe verſabatur, vaſtantibus, id quod jam ipſe prædixerat, eos fugiens ad ſancti Hadriani tum exiguum oratorium, quod eſt in agro Beſidianenſi ſe recepit. Ibique cum duodecim diſcipulis divino cultui vacabat. Inter quos erat beatus Proculus. Quantum

tum autem humilitatem sectatus sit, quis pro dignitate differere suppetit ? Sacris utique initiari nunquam voluit . Mortuo Rossanensi Episcopo uno omnium , & cleri & populi ore hujusmodi munere dignus judicatus, Episcopus creatus est . At ipse ut rem compertam habuit Christi exemplo aufugit ad interiora deserti , ubi tandiu latuit, quandiu alius est electus . Hominum , nobilium præsertim , ac magnatum congressum consuetudinesque uti venenum ac pestem vitabat . Licet omnibus principibus & " Nicephoro " imperatori Constantinopoli degenti fama notus esset " in eorumque oculis habitaret " . Mulierum quoque consuetudines , haud secus ac lethale virus, & aspidem fugiebat . Ajebat enim sic : Diabolus de me ita dicit, Monachus hic lutus est , madefaciam eum aqua , idest mulierum lacrimis , & illum liquefaciam adeo , ut de eo quicquid mihi libuerit efficiam . Nunquam passus est mulieres monasteria aut ecclesias suas ingredi. Complures solis literis ad præsides missis a carceribus & suspendiis liberavit . Quodam die dum prostratus quam humiliter Christo cruci affixo assisteret orans liberari a quadam tentatione , ab eoque benedici , Christus dexteram e clavo extrahens trinam benedictionem illi impertivit . Inde e Calabria secedens in Campaniam pervenit , & in Cassinensi monasterio aliquot annos commoratus est , ab Abbate & monachis ejus monasterii rogatus . Exinde illinc , abiens in monasterio Vallelucion dicto quindecim annos consedit . Postea in agro Cajetæ in monasterio Serperi nuncupato decem annos cum sexaginta monachis permansit . " Ibi Deo jam præcipitata ætate serviens ut cum maxime suam cohortem , alumnosque suos Christiana philosophia informans . ".

Cum Philogatus civis suus Episcopus Placentinus vir imprimis literis eruditus , divitiis affluens, Crescentio consule Romano auctore, populi ac cleri , ad quos Romani Antistitis spectabat electio , consensu , in Romanum Pontificem , Gregorio Quinto a Romanis urbe pulso, crearetur, qui Joannes XVI. sive , ut alii, XVII. vocatus est , & Gregorio ipso inde Othonis tertii imperatoris auxilio in sedem revocato, captus esset , ab Othone ipso oculis, lingua , & naso mutilatus est , & in carcerem detrusus. Quocirca beatus Nilus Romam petiit, ut eum liberaret . Id audientes Pontifex & Imperator ei ad portam Asinianam obviam facti , ipsum medium " inter manus " ad ædes duxerunt , ejus manus summa veneratione exosculantes, rogantesque ut Romæ commorari vellet, spondentes se illi monasterium daturos quodcunque vellet . Ipse vero hoc renuens Roma recessit , & ad suum monasterium remeavit. Gregorius autem paulo post miserabiliter " oculis inflammatis , & e propriis sedibus amotis & maxillarum loco adlapsis " obiit ( Philogatum enim & ipse & Imperator beato Nilo concesserant , sed minime stetere promissis ) Otho vero tandem resipiscens , ac facti pœnitens ad Michaelis Archangeli ædem , quæ in Gargano Apuliæ monte extat , religionis gratia concessit . Inde rediens, ad beatum Nilum divertit . Cumque eminus monasterium conspicatus esset, Ecce , inquit , tabernacula Israel in eremo ,

en

en cives cæleſtis hierarchiæ : hi non ut incolæ , ſed ut viatores hic verſantur . Beatus vero Nilus cum omnibus cœnobitis ei cum cruce obviam perrexit , magnaque humilitate ac pietate Cæſarem veneratus eſt, & in Cœnobium deduxit. Cumque plura una colloquerentur, inter cetera, Otho monaſterium ſe magno cum proventu in quavis ſui regni parte ei daturum obtulit. At beatus Nilus id renuit. Nunquam enim temporalia bona a quoquam accipere voluit. Adjecitque Cæſar digrediens, Pete a me quod tibi eſt cordi uti a filio tuo, ipſe vero libenter ac promte exhibeam. Beatus vero Nilus tale Cæſari dedit reſponſum: Nil aliud opus habeo e tuo regno, o Cæſar, niſi tuæ ipſius animæ ſalutem. Licet enim rex exiſtas, ut quivis tamen alius homo moriturus es, & ad ſummi regis judicium te aſſiſtere oportebit, & rationem bonorum & malorum reddere. Hæc audiens Cæſar lacrimatus eſt, & coronam in beati Nili manus deponens, ab eoque benedictus receſſit. Cumque Romam eſſet ingreſſus orta in populo ſeditione ab urbe fugiens a populo interemtus eſt. Beatus vero Nilus ex eo monaſterio abiens, Tuſculum ſe contulit, ibi Deo famulaturus quod reliquum ſibi vitæ ſupereſſet. Atque haud procul ab oppido monaſterio, cui Crypta Ferrata nomen eſt, conſtructo uſque ad obitum manſit, atque ibique migravit ad Dominum ſenio confectus quintum & nonageſimum annum agens. Ejus feſtum agitur ſexto Cal. Octobris, " licet Platina de Joanne XVII. loquens multa fabuletur, & ipſum Romanum fuiſſe falſo aſſerat. "

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Beatus Nilus*. Nonnulli putant ad nobiliſſimam Maleinorum familiam pertinere. Vide Campanil. Notandus Pancyrolus qui illum natum Tuſcaniæ in Calabria, uxoremque duxiſſe aſſerit. Vide Baron. tom. 9. Natus eſt Roſſani anno Chriſti 910. Baſilianum inſtitutum anno 940. ſuſcepit. Poſt tranſactos in Monaſteriis S. Nazarii, Mercurii, ac ſolitudine annos 15. ad agrum Beſidianenſem divertit anno 955. In Monaſterio S. Hadriani ab ipſo fundato 25. annos abſumſit : inde ad Montem Caſinum ſe contulit anno 980. Tum annis 15. in Monaſterio Vallelucii ſanctiſſime exactis, Monaſterium Serperi per annos 10. incoluit. Romam petiit ann. 997. In eodem monaſterio Serperi ab Othone Imperatore inviſitur, anno ſcilicet 1000. tametſi Sigonius de regn. Ital. ad annum 1002. referat. Inde Tuſculum digreſſus monaſterium *Cryptæ Ferratæ* ædificavit, ibique ſancto fine quievit ann. 1005. Multa ſcripſit quæ extant. Vide Baron. Fuit & alius *Nilus* monachus ſanctitate celebris, qui floruit ann. 1100. Vide Paul. Æmil. Sanctor. hiſt. Carbon.

# CAPUT III.

## *De B. Georgio, Stephano, ac B. Theodora Virgine.*

FUit & ex hac Roſſanenſi urbe beatus *Georgius* vir ſanctitate conſpicuus, qui ſub beato Nilo duce Deo militavit. Hic in ſeculo nobilis, & locuples erat, ſanctum habitum ſenex ſuſcepit. Qui adhuc in ſeculo exiſtens Angelicam viſionem vidit, & Angelorum melodiæ concentum ſibi audire videbatur. Inde monachus factus humilitatem & obedientiam maximo eſt amplexus opere. Cum adoleſcens quidam Beſidianenſis Hebræum quempiam peremiſſet, eoque fugiente, ejus affinis a judicibus pro Judæo mortuo Judæis cruci affigendus traderetur, beatus Nilus ab illius conſanguineis hujus rei certior factus, literas beato Georgio ad judices dedit, in quibus hæc ſcripta erant. „ Vos qui judi„ces eſtis, legem ſervare debetis, quæ præcipit, ut pro ſeptem Judæis „ unus Chriſtianus moriatur. Aut igitur donet ſex alios Judæos occi„dendos, aut vinctum Chriſtianum liberate. Quod ſi legem ſervare „ nolitis, hunc, quem cum his ad vos literis mitto, pro Judæo mortuo „ cruci affigite, & vinctum liberate, ut cum uxore & filiis vitam agere, „ eiſque vitæ neceſſaria ſuppeditare poſſit „. Judices lectis literis id beato Georgio referunt (neſciebat enim ipſe quidnam beatus Nilus ſcripſerat) petuntque ab eo ſi id ſibi cordi eſſet. Ipſe vero reſpondit, ſe paratum eſſe omnia, quæ beatus Nilus magiſter ſuus ſcriberet, perficere; adjecitque, ſi nullus eſſet, qui crucem componere ſciat, egomet eam conficere optime ſcio. Id audientes judices & vinctum liberarunt, & beatum Georgium ſoſpitem ad beatum Nilum remiſerunt. Tantumque profecit, ut licet nunquam literas didicerit, pſalmos tamen ita canebat, ut omnibus audientibus de ſe præberet admirationem. In Dei via atque obſequio vehementer profecit, eique placuit in continentia, afflictione, obedientia, humilitate eximia, & propriæ voluntatis abnegatione, quod martyrium & eſt, & nominatur. (1) Obiit in cœnobio divi Hadriani laborum præmia percepturus. In hoc magnopere beatus Nilus Deo gratias egit, certo ſciens quod vere probatam frugem atque acceptabilem oblationem, primitiaſque ipſi obtulit, beatum Georgium.

Fuit & ex hac Roſſanenſi urbe beatus *Stephanus* beati Nili & ipſe alumnus. Hic agreſti atque humili loco ortus, patre orbatus jam adoleſcens vigeſimum annum agens monaſticæ vitæ amore ſuccenſus beatum Nilum convenit. Quem beatus Nilus, ut domum ad matrem & ſororem alendas regrederetur, hortatus eſt. Cui ille, Minime, inquit, redibo; non enim ego, ſed Deus illas alit. Quem beatus Nilus ſimplicem videns ſecundo anno ubi cryptam illam juxta monaſterium Mercurii incolere cœpit, monachalem habitum induit. Hic tam ſimplex fuit, ut illum alterum Jacob patriarcham, aut ſimpliciſſimum Paulum divi Antonii Abbatis diſcipulum jure diceres. Eum beatus Nilus humanitate & manſuetudine admonens ſolertem & urbanum reddere ſtudebat. Triennio autem tranſacto cum ſic nec hilum proficere cerneret,

ret, austeris verbis ac conviciis cœpit increpare, ne rudis remaneret. Aliquando etiam manu eum perterrefaciebat. Ipse vero æquo hilarique animo omnia sustinebat, & neque durissimam exercitationem, neque assiduas vigilias extimescebat, sed in omnibus beatum Nilum æmulari studebat. Quamobrem Dei ope diabolicarum tentationum expers fuit. Sæpe enim beatus Nilus ipsum percontatus est, quibusnam cogitationibus perturbaretur, respondebat, ne una quidem, tantum dormito plurimum, & ob id perturbor. Tum beatus Nilus scabellum fecit pedem unum tantum habens, quod ei impendit dicens: Tu quidem duos pedes habes, & scabellum habet unum: en tres pedes, in eo sedens exercitationem non negligenter operaberis. Hic dicto audiens nullibi postea nisi in scabello illo sedebat. Qui sæpe a dormitatione victus in terram cadebat. Eo beatus Nilus veluti novacula quadam ad inobedientes & intolerabiles exercendos utebatur. Excessit e vita in Serperi monasterio "alterum & "septuagesimum annum agens. Qui licet senex & ob senium & multas infirmitates nimium curvatus esset, nunquam tamen a labore cessabat. Et animam exhalanti beatus Nilus dixit: Stephane? Is statim sedens manus ligavit, & animo in beatum Nilum attendebat, cui beatus Nilus, Benedic, inquit, fratribus, quoniam deficis. Ille vero manum extendens, fecit quod sibi fuerat imperatum. Et rursus beatus Nilus ait: Quiesce paululum, quoniam non amplius vim habes. Ille autem recumbens obediens fuit, & mortuus est. Qui etiam in morte obedientiæ servator extitit. Hunc beatus Nilus lugebat dicens: O bone Stephane, qui mihi adjutor & collaborator fuisti, post tot annos separamur, & vicissim privamur. Et tu quidem vadis ad requiem, quam tibi præparasti, ego vero ad pœnam remaneo. Tu athleta, & martyr es, ego quidem tibi carnifex fui. Id dicebat quoniam ad senectutem usque non destitit eum affligere, sciens ipsum certatorem gloriosum esse.

Fuit & ex hac Rossanensi urbe beata *Theodora* virgo Deo grata, sanctis virtutibus plena, ac prudens, quæ Christianam philosophiam exercebat in loco quodam *Arenoso* nuncupato. Hæc a pueris monasticam atque asperam vitam duxit, ac quibusdam aliis sanctis monialibus virginibus præerat. Quæ jam exacta ætate beatum Nilum uti filium, a juventute diligebat. Quam beatus ipse Nilus vicissim ut matrem eximia veneratione colebat, eamque cuidam monasterio beatæ MARIÆ dicato, quod Eupraxius Italiæ regius judex in Rossanensi agro erexerat, præfecit. In quo beatus Nilus plures virgines collocavit, atque inter ceteras sororem, & matrem beati Stephani.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Obiit in Cœnobio*. Die scilicet 24. Novembris circa ann. 980. ut ex Calendario Basiliano.

CA-

# CAPUT IV.

## *De Beato Bartholomæo.*

(1) FUit ex hac urbe beatus BARTHOLOMÆUS, vir sanctitate plenus, beati Nili discipulus, cujus vitam scripsit. Hic nobilibus, & piis, atque divini amoris studiosissimis parentibus ortus, doctis præceptoribus traditus fuit. Erat quidem optimæ indolis, præclarique ingenii puer, canam præseferens mentem. Quippe qui non ludis, jocisque, aliisque ejusmodi rebus, quibus ea ætas irritata plurimum oblectari solet, sed orationi & lectioni operam navabat. Atque inter cetera, jejunium ei præcipuum erat, quod ad finem usque nunquam solvit. Itaque a puero monasterio circum Rossanum existenti a parentibus traditus est. Ubi sic se gessit, ut etiam senes moribus antecelleret. Audita inde beati Nili fama, qui tum in Serperi monasterio commorabatur ad eum se contulit. Quem beatus Nilus cum fuisset intuitus, ejus præclaram indolem contemplatus, expansis ad cælum manibus, alacriter suscepit: sibi persuasissimum habens quod pulcherrimum suæ virtutis imitatorem esset relicturus. Proinde ut primum habitu indutus adeo se illius imitatorem præstitit, ut omnes in admirationem sui concitarit. Quandoquidem jejuniis, vigiliis, orationibus, meditationibus, & divinorum eloquiorum auscultationibus jugiter vacabat. Maxima item humilitate & obedientia mentem expoliebat, & illustrabat, libros pulcherrime scribebat. Hunc beatus Nilus unice diligebat, ejusque vita, magis quam aliorum sexaginta, quos secum habebat, lætabatur. Romam, ac Tusculum beatum Nilum sequutus est. Hymnos complures ad Deiparæ multorumque sanctorum laudes quam docte & eleganter edidit. Mortuo beato Nilo ab omnibus ei in Cryptæ Ferratæ monasterii regimine suffectus est. Qui tamen invitus juventutem afferens hanc provinciam suscepit, ac beatæ MARIÆ templum erexit. Cumque ejus probitatis, ac sanctitatis fama crebesceret, omnes principes & optimates, non modo populi, maxima eum veneratione prosequebantur. Romanus Pontifex juvenis voluptatibus delinitus execrabile quoddam delictum perpetravit, hunc Benedictum nonum esse arbitror, ac tandem resipiscens, veniamque perpetrati deliquii quærens, beatum Bartholomæum sibi intercessorem elegit, quo sperabat fieri posse ut Deo reconciliaretur. Quamobrem ipsum ad se accersit, eique summa cum reverentia & humilitate delictum aperit, congruentemque medicinam ab eo petiit. At ille non throni excellentia perterritus, non honoris dignitatem aspexit, non munerum, aut honorum rationem habuit, ut plurimi faciunt, sed ad morbum, qui curatu difficilis erat, aspexit. Itaque congruam illi medicinam adhibens: Non licet, inquit, tibi rem sacram facere, sed vaca, ut divinum Numen tibi propitium reddas, quod peccatis adversum te irritasti. Pontifex illico throno derelicto Pontificatui se abdicavit. Cum ingens caritas famesque ingruisset, omniaque ipse pauperibus & peregrinis elargitus esset, nec haberet quod amplius im-

penderet, nec egenorum calamitates aspicere posset, a monasterio recessit, Romamque versus iter faciebat. Cumque fessus sopori se dedisset, apparuit ei in somnis beatus Gregorius Papa, qui ipsum, quod Monasterium destituisset, objurgavit, hortatusque est, ut in illud remearet, & spem suam in Dei misericordia poneret, vasculumque ei dedit, quod admirabili odore quodam fragrabat. A somno igitur expergefactus rediit in monasterium. Cui Tusculanus quidam tritici modios centum impendit, quod ipse pauperibus erogavit. Ejus vitam monachus quidam ejus discipulus elucubravit. Ejus festum agitur, tertio idus Nov. Extant in Cryptæ Ferratæ monasterio libri duo Græce scripti, in quorum altero ipsius beati Bartholomæi, in altero beati Nili vita scripta est. Haud dubium & multos alios Calabros viros divi Basilii monachos per ea tempora sanctitate floruisse, tantis ac talibus ducibus florentibus, utpote beatis Phantino, Zacharia, Helia, Joanne, Bartholomæo, aliisque. Post Rossanum *Colonetum* fluvius labitur, inde (*a*) *Lucinus* fluvius alter excurrit Rossanensem agrum a Coriolanensi dirimens.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Fuit ex hac urbe.* Præter monachos sanctitate conspicuos, quorum gesta hic narrantur excerpta Græcis ex MS. Cryptæ Ferratæ, & a Cardinali Sirleto, aliisque in Latinum sermonem translata, fuisse & alios præsertim ex illis sexaginta S. Nili sociis quibuscum in Montem Casinum se contulit, fas est conjicere.

Fuerunt etiam ex Rossani Urbe Joannes VII. Summus Pontifex, doctrina & pietate conspicuus. Vide Anastas. Ciacon. Oldoin. aliosque. *Cosmus* Episcopus ann. 820. *Nicolaus* ann. 1105, *Dionysius* tempore Rogerii Regis, *Cosmus* alter ann. 1187. *Paschalis* ann. 1198. *Basilius* ann. 1218. *Basilius* alter ann. 1240. *Elias* ann. 1255. Episcopi, & Cives. Vide Flor. *Angelus* ex Archipresbytero Archiepiscopus ann. 1265. *Paulus* 1268. *Basilius* 1301. *Rogerius* 1307. *Gregorius* 1312. *Gregorius* alter 1348. Hic fecit baptisterium ann. 1364. *Isaacus* 1365. *Joannes* 1403. Archiepiscopi item & Cives. *Jacobus* ex Canonico Rossanensi Episcopus Besidianensis ann. 1338. Vide Ughell. *Nicolaus Citus* Episcopus Umbriaticensis, ut ex regestu illius Curiæ, & ex Synodo, sed ab Ughellio præteritus. *Cæsar Foggia* Episcopus Vmbriaticensis ann. 1547. Interfuit Concilio Tridentino. *Paulus Æmilius Sammarcus* Episcopus Vmbriaticensis ann. 1608. ut exactis Synodal. *Antonius Jenisius*, sive *Cale* ex Episcopo S. Marci, Martyranensi, & ann. 1451. Isulensi, tandem Episcopus Crotoniensis. Vide Vghell. *Angelus Græcus* poeta celebris apud Regem Neapolis legatus, Episcopus Martyranensis ann. 1463. *Joannes Thomas Perronus* Episcopus Neocastrensis ann. 1639. Hic Ecclesiam terræmotu dirutam restauravit. Obiit ann. 1677. Vghell. *Thomas Casellius* ex Dominicana familia doctissimus ex Episcopo S. Leonis in Calabria, Britonirensi in statu Ecclesiastico, Oppidensi itidem in Calabria, tandem anno 1550. Episcopus Cavensis,

ſis, bis interfuit Concilio Tridentino. Obiit Romæ XIV. Calend. Aprilis 1571. & in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam ſepultus eſt ubi extat inſcriptio:

D. O. M.
THOMÆ CASELLIO PATRITIO
ROSSANENSI ORD. PRÆDICATORUM LITERARUM PERITISSIMO CATHOLICÆ DOCTRINÆ
PROPUGNATORI ACERRIMO
EPISCOPO CAVENSI
QUI PRO SANCTA REPUBLICA
CHRISTIANA INNUMEROS
LABORES SUSCEPIT
VIXIT ANNOS LX. OBIIT DIE
19. MARTII 1571.
MARIUS PROTONOBILISSIMUS
PATRITIUS NEAPOLITANUS
PONI CURAVIT.

Vide Vghell. Card. Pallavic. Juſtinian. Topp. alioſque.

*Balthaſſar de Judice* ex Canonico Roſſanenſi Epiſcopus Caputaquenſis ann. 1412. *Joannes Aloyſius Campagna* ex Epiſcopo Montis Piloſi ann. 1566. Epiſcopus Montulenſis ann. 1569. Vghell. qui tamen Montis Piloſi Epiſcopum dicit ann. 1591. *Petrus Magri* Epiſcopus Policaſtrenſis ann. 1635. Obiit Coriolani ann. 1651. ex inſcriptione quæ extat in Eccleſia Fratr. Capuccin. *Raphael Bonellus* Epiſcopus Raguſæus MS. Gualt. *Silveſter de Franco*, *Nicolaus* & *Anſelmus* inſtituti Capuccinorum vitæ ſanctitate clari. Chron. *Antonius Toſcanus*, *Marinus*, & *Ægidius* Minoritæ ſtrictioris obſervantiæ vitæ integri. Chron.

*Bartholomæus Malenus* in Lucaniæ Provincia Prorex ann. 1290. Campanil. *Bernardinus Barbarus*, aliis *de Caſtro* in bello clariſſimus. Extat inſcriptio in Eccleſia Metropolitana.

DIVÆ MARIÆ
BERNARDINUS BARBARUS
CÆSAREÆ MAJESTATIS
CAROLI V. TRIBUNUS, MILES
FORTISSIMUS HOC POSUIT
SACELLUM
ANNO DOMINI MDXXXII.

*Balthaſſar Bajus* Regi Ferdinando charus & diplomate auctus ſub anno 1465. *Cæſar Caponſaccus*, *Philippus Zurlus*, *Fortinus*, *Franciſcus de Amarellis*, *Franciſcus de Muro*, *Joannes Tagliaferrius*, *Joannes Baptiſta* & *Hieronymus Britti*, *Livius de Foggia*, *Aloyſius Roſſius*, *Marcus Protoſpatarus*, *Marius Toſcanus*, & *Stephanus Malenus* in bello Hydruntino, contra Turcas, Duces clariſſimi. MS. Gualt. *Troylus de Muro* Dux militum celeberrimus. Collenuc. & Cor. hiſt. Mediolan. *Gaſpar Florinus*, Cantorum magiſter, edidit quædam. MS. Gualt. *Joannes de Albertis* Philoſophus & Medicus diſertiſſimus, *Diogenes Calaber* per antonomaſiam appellatus. MS. Gualt. *Joannes Baptiſta Palazzius* ſcripſit quædam. MS. Gualt. *Joannes Baptiſta Piatti*, edidit Neap. 1591. orationem, quam Roſſani habuit dum Vrbano VII. Summo Pontifici (jamdudum Roſſanenſi Archiepiſcopo) parentaretur. Topp. *Io: Leonardus de Amarellis* in Juriſprudentia clariſſimus, Cathedraticus Meſſanæ, ubi obiit anno 1667. ut ex Inſcriptione quæ ibidem extat. Mugn. *Ludovicus Adimarus*, doctrina & pietate conſpicuus, ſcripſit hiſtoriam Iconis B. Mariæ Virginis, quæ Ἀχειροποιήτη *Achiropeta* ideſt *non manufacta* appellatur, & Roſſani ſumma veneratione colitur. Marracc. bibl. Mar. & MS. Mart. *Marcus Antonius Curtus* Sigiſmundi Poloniæ Regis equorum Magiſter, & diplomate auctus ſub die 20. Sep-

tembris 1549. MS. Gualt. *Marius Paramatus* Medicus edidit librum *de potu frigido* in 4. & *de Angina pestilentiali* MS. Mart. Nostris vero temporibus *Franciscus Ramondinus* Archidiaconus eruditione conspicuus, *Academiæ* Rossanensis Princeps de qua Gimm. hist. liter. *Carolus Blasius* eruditione clarissimus, *Franciscus Malenus* optime de Patria meritus, aliique non pauci apud nostrates & exteros.

## SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Lucinus fluvius*. Lucinus fluvius in agro Thurino prope Coriolanum *Lusias* prius dicebatur, ut auctor est Ælianus lib. X. cap. 39. de hist. animal. *Qui sit* inquit *in Thuriis Lusias appellatus fluvius, tamen etsi pellucidos liquores habet, nigerrimos tamen pisces procreat*.

# CAPUT V.

## *De Coriolano, Acra, Luciis, aliisque Pagis.*

SUbinde est (1) *Coriolanum* oppidum nobile, ac vetustum, quod ejusdem nominis fluvius adlabitur, ab Ausoniis aut ab Oenotriis, ut opinari licet, conditum. Distat a Rossano m. p. octo, a mari tribus. Hic mercatus annuus celebratur. Extat & fons nobilis. Coriolanensis ager rerum omnium copia exuberat. Nam frumenti & aliarum frugum, ac fructuum ferax est. Fiunt vina & olea clara. Fit gossipium & sesama. Nascuntur cappares, provenit terebinthus, vitex, siliqua silvestris, & fœniculum marinum. Extant & pulcra limonum, citrorum, & malorum aureorum nemora, quorum fructuum ingens fit copia. Fiunt & aucupia turdorum & aliarum parvarum avium. Mare insuper hoc admodum piscosum est. In quo, præter reliquos pisces, palamitum ingens copia capitur. Intus est (2) (*a*) *Acra* oppidum ab effectu; acra enim summitatem significat, quod in montis vertice situm sit, cujus meminit Stephanus: Acra, inquit, urbs Japygiæ, altera Italiæ. Quod (*b*) *Muconius* fluvius præterfluit. In quem si morbidæ oves sese immerserint curantur. Ab oppido m. p. duobus (*c*) *Cotilis* fluvius alter decurrit, & uterque Crathim influit. A cujus vado ad oppidum, montis dorsum sensim assurgit arduo ascensu. Fit hic oleum & vinum nobile, & inter salsamenta laudantur pernæ. Extant & silvæ glandiferæ porcis alendis opportunæ. Sunt in hoc agro pagi *Cosmum*, *Machia*, & *Baccharisium*. " In hoc agro est divi Hadriani templum, divi Basilii monachorum cœnobium ". Meridiem versus m. p. octo ab Acra (3) (*d*) *Lucii* oppidum est edito loco, Thebæ olim, ut arbitror, dictum, cujus meminit Plinius, qui Thebas Lucanas interiisse Catonis auctoritate ait. Non enim Thebæ Lucanæ dictæ sunt, quod in Lucania ultra Laum & Syrim amnes fuerint; sicut nec Pandosia, nec Petelia, nec Grumentum Lagariæ conterminum Calabriæ urbes, quæ Lucanorum fuisse dicuntur, sed quod, ut ostendi, Samnites in ea loca colonos, a duce Lucio Lucanos

nos dictos, miserint. Et Plinius cum de Thebis mentionem facit, statim subdit de Pandosia, quam Theopompus Lucanorum urbem fuisse ait. Thelesphorus Consentinus eremita magna sanctitate vir, de quo alibi diximus, scripta quædam Joannis Joachini, & Cyrilli in monasterio existente apud Thebas se reperisse dicit. Id monasterium in agro Luciorum est beatæ Mariæ dicatum delubrum. In quo Abbas Joachinus interim commoratus est. Et in eo beatus Lucas Joachini discipulus Abbas fuit, & inde Episcopus Consentinus, item beatus Bernardus Abbas & inde Episcopus Gerentinus. In hoc agro provenit vitex, legitur manna. Nascitur arbor frequens fructus ferens magnitudine mespili, sed oblongos acri saporis, atrolicem vocant accolæ. A Luciis m. p. quatuor (4) *Rosæ* oppidum est edito loco, nec longe *Javisum* fluentum labitur, quod Crathi miscetur. Hic chalcanthum nascitur.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Coriolanum* vulgo *Corigliano* Civitas vetusta, reliquiis Sybaris plurimum aucta. Coriolanum siquidem quasi χωρίον ἐλαίων, *locus olivarum*, quibus abundat. Fuerunt hinc *S. Leo Lucas* Abbas Monasterii Mulensis, de quo vide Bollan. 1. Mart. ejus corpus Montileoni requiescit. *SS. Leo de Summa*, & *Nicolaus Abinante* Minoritæ Sacerdotes, qui cum aliis, Sancto Daniele duce, pro fide Christi in Aphrica martyrium sustulere. Chron. *Joannes Bernardinus Grandepoli* Episcopus Litteriensis ann. 1576. Obiit ann. 1590. Vghell. *Jo. Baptista Ponteus* Episcopus Vmbriaticensis ann. 1682. Obiit 1688. cui in Episcopatu successit *Joseph Ponteus* ejus frater ann. 1689. Obiit 1692. Ms. Mart. *Andreas* Minorita doctissimus, in Ægypto celebris. Gonzag. hist. Seraph. & Ms. Gualt. *Antonius* instituti Capuccinorum laicus, vitæ sanctitate clarus. Obiit ann. 1681. Paulucc. *Franciscus Longus Coriolanus* per antonomasiam appellatus, ejusdem instituti, pietate & doctrina celeberrimus, edidit librum *de Casibus reservatis*. Lugduni 1618. *Esercizio per salutare la SS. Vergine* Venet. 1621. *Summa Theologiæ* &c. Romæ 1621. *Summa Conciliorum* Antverpiæ 1623. *Breviarium Chronologicum* Lugduni 1623. aliaque apud Mireum, Vading. & Topp. *Barnabas* & *Bernardinus Abinante* ille Regum Aragonensium Familiaris, ut ex inscriptione, quæ Coriolani extat, hic in bello adversus Turcas clarissimus. Bofs. & Puglis. *Franciscus Oliverius* Græce & Latine doctissimus. Spera lib. 4. *Franciscus Pisciotta* Conventualis scripsit Annales Franciscanos. Franchin. *Jo: Maria Murgia* in bello clarissimus. Puglis. *Jo: Marcus Aquilinus* in Jurisprudentia conspicuus, scripsit super Infortiatum & super novum Digestum Venet. 1580. in fol. Paris. Gualt. licet Toppius Besidianensem faciat. *Hieronymus Galopoli* eruditione insignis, multa edidit. Vide Topp. *Marcus Antonius Mazziotta* instituti Basiliani Generalis emeritus. Agrest. *Horatius Lumbisanus*, Philosophus & Medicus disertissimus, edidit librum *De peste* Neap. 1629. aliaque. Allat. Topp. & Vander.

No-

Nostris vero temporibus *Petrus Thomas Puglisius* Carmelita multa edidit quæ videre poteris apud Eliam de Amato, aliique permulti apud Puglisium. Vivit modo *Felix Solazzius Castriota*, in utraque lingua & eruditione clarissimus, Episcopus Besidianensis. Scripsit quædam. In Diœcesi Rossanensi.

2. *Acra*. Aliis *Acira* & *Aciris*. A Græco Ἄκρα *summitas*. Nunc vulgo *Acri*. Quidam conjiciunt hoc oppidum a Sybaritarum reliquiis ædificatum esse, quidam auctum. Ut ut sit, modo oppidum est satis habitatorum habens. Patria *Hilarii* instituti Capuccinorum vitæ integri & *Angeli* ejusdem instituti concionatoris celeberrimi. In Diœcesi Besidianensi.

3. *Lucii*. Vulgo *li Luzzi*. Hujus loci dominium pertinet ad Familiam Firrai nobilissimam Sed & hic natus est Joseph Firraus S.R.E. Cardinalis, de quo supra egimus. Fuerunt ex hoc oppido *Petrus Sangermanus* Reginæ Joannæ equorum Magister ann. 1433. Ms. Gualt. *Scipio Saliturus*, Regius Consiliarius, ann. 1640. obiit ann. 1644. edidit quædam. Vide Topp. Nostris vero temporibus *Hieronymus Sangermanus* Presbyter bonis literis instructus. In eadem Diœcesi.

4. *Rosæ*. Oppidum nobile, peramplum habens agrum, frumento, vino, ac fructibus copiosum. Nascitur chalcanthum. Hic natus est *Cajetanus Argentus* a Consentinis civitate donatus. Vide quæ diximus supra in adnotat. Cap. VII Lib. II. In eadem Diœcesi.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Acra oppidum*. Sic ab omnibus tum antiquis, tum recentioribus, præter Pontanum, qui *Acrim* appellat: oppidum in edito loco positum, idcirco *Acra* appellatur.

(*b*) *Muconius fluvius*. Miconem, & Mixonem appellant antiqui, ut Janus Parrhasius auctor nobis est in tertiam Virgilii eclogam. Nunc *Muccone*.

(*c*) *Cotilis fluvius*. A cautibus, vel a vehendis cotibus dictus, quas secum trahit, nec miscet se Crathidi ut Barrius vult, sed influit in Sybarim. *Cutiliæ aquæ* in Sabinis eadem ex causa nominatæ.

[*d*] *Lucii oppidum*, *Thebæ olim*. A Thebesio dicti, nec sunt Thebæ ut Barrius sentit: & Telesphoro Consentino parva hisce in rebus habenda est fides. Floruit enim temporibus, quibus nulla habebatur bonarum literarum cognitio.

CA-

# CAPUT VI.

## *De Besidia Civitate, ejusque Principibus, ubi de B. Proclo Basiliano, & B. Martino Minorita.*

POst Acram vero Septentrionem versus m. p. octo (1) (*a*) BESIDIA, *Besidianum* vulgus appellat, civitas vetustissima est, *Bescia* olim dicta ab Ausoniis condita, ut ait Stephanus, a Romanis interposito *i* & *c* in *d* mutato Besidia, ut Temsa Temesa, & Medma Medama. Fuere autem Ausonii, ut lib. primo ostendi, Aschenazi pronepotis Noe posteri, qui post diluvium primi Italiam, hoc est Calabriam incoluerunt. Livius sicut Blandam, Blandas, & Thurium Thurias, sic hanc urbem Besidiam, bel. Pun. lib. x. Besidias plurativo numero inclinat, quam una cum aliis quibusdam ad P. Servilium Consulem ultro in deditionem venisse dicit. Civis Besidiensis, & Besidianus. Est sedes Episcopalis. In regesto Cælestini Tertii scriptum est, quod sedes hæc pertinebat ad sanctam Sedem. Habet urbs octo colles, in medio autem urbis mons assurgit, in quo est arx. Affluit & scaturiginibus aquarum, fiunt & panni frondinei. Parœciales ecclesiæ xv. Est itaque hæc civitas simul vetustate, simul tuæ dignitatis titulo perinsignis. Primus hujus urbis princeps fuit *Lucas*, *Antonii* Marcensium domini filius, cui successit *Hieronymus* filius, huic *Berardinus*, & ei *Petrus Antonius* genitor tuus, vir quidem & corporis robore, & animi magnitudine, tum munificentia præpollens. Siquidem ingeniis favebat, bonarumque literarum studiosos muneribus prosequebatur. De cujus in literatos liberalitate id unum exemplum proferre satis esse duco. Cuidam literato viro, ut a *Joanne Antonio Sanseverinio* consanguineo tuo accepi, qui nec ei librum dicarat, nec quicquam in ejus laudem scripserat, ducentos aureos numos muneri dedit, conversusque ad Joannem ipsum Antonium, Hujusmodi, inquit, sunt prosequendi muneribus. Hic figlina nobilia fiunt omnis generis. Fiunt & cultri inter alia ferramenta non ignobiles. Fit & oleum optimum, fit xilon & sesama, legitur manna. Inter hortensia laudantur pepones. Fiunt lina non vulgaria. Est præterea ager hic frugifer. In quo est sancti Hadriani templum, divi Basilii monachorum cœnobium, ubi beatus Nilus Abbas plures annos cum duodecim sanctis monachis consedit Deo obsequens, inter quos, erat beatus *Proclus* Besidianensis, qui, ut beatus Bartholomæus in vita beati Nili scribit, cunctarum disciplinarum peritissimus fuit, ac magnam sibi bibliothecam comparaverat. Hic prius quam Monachus fieret, in patria sua existens adhuc juvenis admodum in Dei servitute sic se se exercebat. Singulis diebus jejunabat ad vesperam usque, ac lectioni operam dabat, cibis & potibus ad libidinem inflammantibus abstinebat. A vespera usque ad matutinum omnes oppidi sui ecclesias lustrabat psalterium totum recitans, & ad singulas ecclesiarum portas pœnitentiam agens quacumque sibi ipsi consciebat. Hæc omnia clam agebat. Is monasticum studium amplexus, & a beato Nilo virtutis perfectionem adeptus, adeo continentiæ & exercitatio-

tioni ſeſe injecit, ut cuncta ſua membra mortificarit, acerbis ægrotationibus reſtiterit ad extremum ſpiritum. In hoc monaſterio beatus Georgius Roſſanenſis beati Nili diſcipulus, de quo dudum diximus, diem clauſit extremum, ſepultuſque eſt. Fuit & ex hac urbe beatus *Martinus* Minorita, cujus corpus Agelli jacet.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Beſidia*. Nunc vulgo *Biſignano*. Civitas vetuſtiſſima, ſeptem colles habens, non octo ut Barrius ſcribit. Sunt qui a Beſcio Aſchenazæo duce conditum volunt. Alludit Hebraica vox בושת *Boſcet* Lat. *verecundia*. Urbem hanc illuſtrarunt Epiſcopi & cives, *Androneus* ann. 743. *Vluttus* 970. ut ex vita S. Nili, *Raynaldus* 1182. *Janfridus Solima* in utroque jure doctiſſimus ann. 1295. *Guillelmus* eodem anno. Vide Ughell. & Flor. *Janfridus* alter, quem aliqui Lucios repetunt ann. 1216. *Fridericus* 1331. quem anno 1339. perditiſſimi quidam ac nefarii homines occiderunt. Vide Baron. & Ughel. *Bernardus Trentacapillius* ann. 1487. Ughell. *Petrus a S. Liberato* monachus Caſinenſis Epiſcopus Brundusinus ann. 1225. *Aſcanius Ferrerius*, ſive *Ferrarius* Epiſcopus Montiſpilosi ann. 1548. cui ſucceſſit *Vincentius* ejus frater ann. 1550. qui poſtea ad Eccleſiam Vmbriaticenſem translatus eſt. Gualterius in Ms. utrumque Roſſanenſem facit. *Marcus Salvidius* Epiſcopus S. Leonis ann. 1544. *Nicolaus Acerna* ex Besidianenſi ad Nolanam Eccleſiam tranſlatus ann. 1331. Vide Vghell. *Joſeph Carus* Epiſcopus Rubensis ann. 1665. Ms. Mart. *Hyacinthus Sangermanus* Epiſcopus Nuſcanensis ann. 1680. Ms. Mart. Vivit modo *Dominicus Laymus* Epiſcopus Vulturaræ ann. 1734.

Vitæ ſanctitate præter a Barrio adductos floruere permulti. *Antonius* Presbyter eruditiſſimus Camillo Burghesio ſummum Pontificatum prædixit. Oldoin. in Ciacon. *Marcus Antonius Solima* Parochus, vitæ integer, ſpiritu prophetiæ afflatus, qui Ven. Humilem, de quo mox, Chriſtianam perfectionem docuit, ut ex actibus, Ms. Gualt. & Mart. *B. Archangelus* ex Minimorum familia. Lanov. *Angelus* Minorita ſtrictioris obſervantiæ concionator celebris, Meſoreacei die qua prædixerat obiit. *Vincentius* laicus ejuſdem inſtituti vitæ integer. Chron. *Bernardinus* inſtituti Capuccinorum doctrina & pietate clarus. Gravin. in lib. Vox turturis. *Joannes Baptiſta* ejuſdem inſtituti angelicam vitam duxit. Chron. Ven. Servus Dei *Humilis* Minorita ſtrictioris obſervantiæ laicus, in ſeculo *Lucas Antonius Pirozzius*, natus VII. Kal. Septembris 1582. ab ineunte ætate morum innocentia, rerum cæleſtium contemplatione, pœnitentia, ſpiritu prophetiæ, & miraculis celeberrimus. Obiit Beſidiæ VI. Kal. Decembris ann. 1637. Socius fuit Fr. Franciſci Deſiderii Fillenenſis ejuſdem inſtituti ſanctæ vitæ viri, ut ſupra diximus. Ex proceſs. & Chron.

Fuit & *Auguſtinus de Benedictis* ex Minimorum familia doctiſſimus, edidit *Commentaria ſuper Canticum B. Mariæ Virginis* Florentiæ 1612. aliaque apud Lanov. & Topp. *Peleus Pretio* edidit librum *de Icone S. Domi-*

*minici in* Soriano Neap. 1647. Ms. Mart. *Petrus Gaeta de Varavallis*, Eques Hierosolymitanus, de sua Religione optime meritus. Ms. Mart. Vide Amat.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

[a] *Besedia*: Bisedia, seu Besediæ, Bescia olim, ut Stephanus auctor est: Nunc *Bisignano*. Petrus Bembus in suis historiis vulgari nomine abutitur, ac *Bisinianum* appellat. Quidam Germanus, *Baletram* olim dictam contendit; sed longe errat gentium.

# CAPUT VII.

## *De Tarsia, Thurio, & Sybari.*

POst Besidiam (1) *Tarsia* oppidum est (a) *Caprasæ* olim Antonino Pio in itinerario, inter Isaurum & Crathim amnes. Est Tarsensis ager fertilis: nascitur vinum nobile, provenit terebinthus, & siliqua silvestris. Post Tarsiam *Senitum* flumen decurrit. Inde *Laurentum* castrum est edito eoque salubri loco situm, quod *Sybaris* fluvius præterfluit, cui subtus castrum (b) *Isaurus* fluvius miscetur. Castro huic mons imminet, ex quo circumvicina regio conspicitur. Quod castrum pater tuus Barnabæ Piscario divi Jacobi Ordinis Equiti muneri dedit. Nunc ipsum Marcellus ejus ex fratre nepos, qui modo tuas in Calabria vices gerit, possidet. Subinde est (2) THURIUM oppidum *Terramnovam* vulgus appellat mutatis literis, quasi Thurium novum, in colle oblongo situm inter Crathim & Sybarim amnes navigabiles & pisculentos, propius tamen Crathi, quam Sybari. SYBARIS urbis reliquiæ. Distat a Tarsia m. p. quatuor, a Coriolano octo, a freto totidem. Loci situs Diodori descriptioni convenit. Quia vero Thurium Sybaris urbis ut dixi, reliquiæ sunt, de ea prius nobis dicendum est, postea de Thurio. Fuit (c) SYBARIS vetustissima urbs a Trezeniis, & a Sagari Ajacis Locri filio condita, ut Solino placet, haud multo post bellum Trojanum. Nam Ajax, cujus filius Sagaris hanc urbem condidisse dicitur, Trojano bello adfuit præsens. Condita autem fuit inter Sybarim & Crathim amnes, vicinior tamen Sybari, quam Crathi, a quo nomen accepit. Sybaris autem fluvius a Sybari fonte Achajæ dictus est. Strabo enim libro octavo Sybaris fons in Achaja esse ait, a quo Sybari Italico derivatum est nomen. Urbemque ipsam Sybarim ab Iseliceo conditam putat lib. VI. De qua ita fert: „Sybaris fuit condita ab Achivis Trezeniis. Hujus autem condendæ auctor „ fuit Iseliceus inter duos fluvios Crathidem & Sybaridem. Quæ eo ex- „ cellentiæ & felicitatis excrevit, ut quaternas rexerit gentes, & „ quinque ac viginti urbes suo subderet imperio, ac contra Crotonia- „ tas trecentorum hominum millium exercitum duxit. Super Crathide „ vero domicilia habentes sex millium & ccl. pass. in circuitu. Totam „ autem hanc felicitatem intra dies septuaginta Crotoniatæ intercepe-

 runt,

„ runt, adeo deliciis & luxuria intemperantes diffluebant. Urbe enim
„ potiti inducto fluvio cuncta demerserunt. Pauci ex ea clade superstites
„ adunati cohabitabant. Quos temporis intervallo Athenienses, aliique
„ Græci prorsus extinxerunt. Nam in societatem civitatis pervenientes
„ eos per contemtum habentes trucidarunt, & urbem alium in locum
„ prope transpositam ædificarunt, & eos Thurios ducto de fonte voca-
„ bulo nuncuparunt. Qui cum diutius beatam duxissent ætatem, tan-
„ dem in Lucanorum servitutem tracti sunt. Cumque illos Tarentini
„ infestarent, ad Romanorum tutelam confugerunt, qui quidem mitten-
„ tes pro virorum paucietate accolas mutato nomine civitatem Copias
„ appellavere„. Proinde quæ antea Lucaniam suo subdiderat imperio, in Lucanorum postea aliquando potestatem devenit: sic fortuna instabilis est & volubilis, utique idem Strabo ait: *Sybaritæ Possidoniam*" idest Pestum" *ad mare posuerunt*. Et rursus: *Talaus Lucaniæ urbs Sybaritarum colonia fuit*.

Fuit autem Sybaris a Crotoniatis eversa Milonis, ut ostendi, ævo, Darii Hidaspis tempore, ut liquet in Herodoto libro quinto & sexto. Qui floruit Olymp. lxv. regnavitque annis undetriginta. Fuit igitur eruta circiter Olymp. lxx. Aristoteles Pol. Libro quinto seditionis ejus causam scribens ait: „Seditiones concitat peregrinitas, donec in eamdem si-
„ mul conspirationem devenerit. Ut enim non ex quavis multitudine
„ constituitur civitas: ita etiam neque in quovis tempore. Quapropter
„ quicunque jam inquilinos susceperunt advenas, omnes fere seditioni-
„ bus jactati sunt. Ceu Sybarim una cum Trezeniis incoluerunt Achei.
„ Postea majorem in numerum crescentes Achei Trezenios pepulerunt.
„ Unde ortum odium est Sybaritis. Et in Thurios idem fecerunt Syba-
„ ritæ contra illos, qui eos receperunt. Nam plus habere volentes quasi
„ de suis agris pulsi sunt„. Id etiam scribit Plato libro primo de legibus. Sybari direpta, ait Herodotus libro sexto, universi Milesii, qui puberes erant, (*d*) capita deraserunt, & ingentem luctum adjecerunt. Ex omnibus enim civitatibus hæ præcipue mutuo hospitio jungebantur. Prælium autem, ait Plinius libro septimo, & Cicero libro secundo de Nat. Deor. quo Sybaris deleta est, eodem die, quo gestum erat, auditum Olympiæ fuit. Sybaritæ, ut ait Athenæus libro duodecimo, primi artes strepitum facientes in urbe esse non permiserunt, ne illis somnum interrumperent, somnique undique penitus intumultuosi essent. Quin etiam neque gallum in urbe nutriri licebat. Mos erat apud eos, Timæus ait, pueros ad adolescentiam usque vestes purpureas ferre, & cincinnos auro implexos. Versabantur autem apud eos, ait Timon, ob mollitiem homunciones pusilli, & scopei, quos quidam stilponas appellant, & catelli Milesii, quibus oblectabantur, qui eos in gymnasia sequebantur. Deferebant vestes Milesiis lanis confectas. Erat enim ipsis cum Milesiis amicitia, ut Timæus ait. Gestabant & floridas tunicas pretiosis cingulis præcincti. Equites Sybaritarum supra quinque millia crocea indumenta super thoraces habentes in deliciis agebant, unde ortum erat adagium apud Græcos: *Sybaritæ per plateas*. Divites cum in agros proficiscebantur, etsi vehiculis veherentur, iter tamen unius diei tribus diebus conficiebant. Erant etiam ipsis cuniculi viarum ducentium in agros.

Plu-

Plurimis autem ipsorum erant cellæ vinariæ juxta mare, ad quas per elices & cuniculos illos vina ex agris deducebant. Et partim quidem extra regionem vendebant, partim navigiis in urbem transvehebant. Celebrabant frequenter convivia publice. Et ii, qui laute cibos parabant, honorabantur, similiter & coqui, qui obsonia optime præparabant. Unde ortum erant adagium *Sybaritica mensa*. Ante potum brassicas edebant, ne eos vinum læderet, neve temulenti fierent. Utebantur misso ex oleo & garo, quo utebatur etiam Heliogabalus, ait Lampridius. Quem quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt. Sybaritæ primi invenerunt matulas & pyela. Erat urbs in concavo posita, ubi æstate mane & vesperi frigus ingens vigebat, meridie vero intolerabilis æstus. Existimabant fluvios plurimum ad sanitatem conferre. Unde dictum est, volentem in Sybari ante fatum minime mori, neque orientem solem, neque occidentem videre oportere.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Tarsia*. A Græco ταρἀσσω *commoveo*, vel τέρσω *arefacio*, ut puto. Fortasse ταυρασία *Taurasia* unde *Tarsia*. Vide Luc. Holsten. in notis ad Steph. verbo ταυρανία. Ut ut sit, sub Boemundo Northmanno Comite de *Tarsia* anno 1156. ut ait Summont. lib. 2. cap. 1. *Tarsiæ* nomen inolevit, vel ab oppido, vel a cognomine incertum. Hinc fuit *Guillelmus* Augustinianæ familiæ Sanctitate & miraculis clarus. Nicol. Crus. par. 3. *Joannes Ruffus* Regi apprime charus scripsit *de equorum natura* quod MS. asservatur Neapoli in bibl. S. Joannis ad Carbonariam MS. Gualt. *Nicolaus Tortomanus* musicæ peritissimus, edidit librum de hacre Neapoli 1622. MS. Gualt. *Marcus Aurelius Severinus*, reipublicæ literariæ decus & ornamentum, natus est postridie Kal. Novembris anno 1580. Adolescens utraque lingua ac Jurisprudentia potitus, Budæo æmulans, Commentarios in Pandectas scripsit, tum Campanellæ auditor Philosophiæ Telesianæ navavit operam, tantumque in mathesi, ac re medica profecit, ut vicissim literati viri vel ultra montani Neapolim ad illum invisendum confluerent, non secus ac *ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis* Hispaniarum *Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus; & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit*, ut ait S. Hieronymus ad Paulinum. Hoc elogium Severino mirifice quadrat vel ex eo quod eorum aliqui ab Urbano VIII. summo Pontifice interrogati, quid rari Neapoli vidisse contigerit, *Severinum* responderunt, jamdiu & ipsi Pontifici Europæque perspectum. Thomæ Cornelio, Stelliolæ, Alphonso Borellio, ceterisque viris doctissimis summa familiaritate conjunctus fuit. Maledicorum tamen invidiam declinare non potuit. Tandem Neapoli grassante peste interiit mense Julio ann. 1656. Multa scripsit, edidit que. Vide Laurent. Crass. Thom. Cornel. Topp. Nicod. Vander, Greg. Calopres. aliosque. Extat Tarsiæ celeberrima Bibliotheca, quam hujus loci Princeps nulli parcens impensæ sibi comparavit.

2. *Thurium*. Vulgo *Terra nova* quasi *Thurium novum*. Vide infra cap. 10. & seqq.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Caprasæ*. Sunt qui credant Caprasim esse Oppidum, quod *Canicellam* appellamus.

[*b*] *Isaurus fluvius*. Seu *Isarus*. Nunc *Esare*. Duo amnes apud Calabros sub Æsaris nomine, alter qui per mediam Urbem Crotonem fluebat; alter hic: neuter tamen lapidum copiam volvit: quamvis Ovidius de Crotoniate loquens, *lapidosas* vocet *Æsaris undas*.

(*c*) *Sybaris*. Eusebius Sybarim, Crotonem, & Syracusas eodem tempore conditas scribit.

[*d*] *Capita deraserunt*. At Cæsar dolore barbam capillumque summisit. Sueton.

# CAPUT VIII.

## *De Sybaris destructione*.

MIserunt Sybaritæ ad oraculum legatos, quorum unus fuit Amiris, percontantes quousque felices essent? Pythia respondit:

*Felix tu eris honorans genus deorum,*
*Beneque venerantes primum hominem Deo,*
*Tunc tibi bellum, & intestina seditio veniet:*

Id audientes semper felices fore putarunt, quod nunquam magis hominem, quam Deum honoraturi essent. Non longe post accidit ut Sybarita quidam famulum etiam ad sacra fugientem verberaret, confugientem vero tandem ad patris sepulcrum herus illud veneratus verberare destitit. Tunc Isamiris Pythiæ oraculum mox complendum fore prospiciens, insaniam simulans, omnia bona sua vendidit, & Peloponnesum profectus est. Unde proverbium ortum est, *Isamiris furit*, ut Suidas scribit. Occiderunt quoque & triginta Crotoniatarum oratores. Item solventes tyrannidem Tely omnes eos, qui rempublicam mutare conati sunt, etiam ad aras confugientes interfecerunt. In qua cæde versa est deæ statua. Pavimentum sanguinis fontem scaturiit. Primores videre visi sunt deam ingredientem per medium forum, & bilem vomentem. Ælianus autem de varia historia libro tertio de Junonis ira sic scribit: „ Cum „ Sybari citharœdus caneret in certamine, quod in honorem Junonis „ erat institutum, inter Sybaritas propter illum orta est seditio. Cum- „ que mutuo ad arma venirent, citharœdus cum ipsa stola confugit „ ad aram Junonis. At illi ne in isto loco quidem manus a citharœdo „ abstinuerunt. Paulo vero post sanguis videbatur in Junonis templo „ scaturire, non secus quam ex perenni fonte. Sybaritæ, cum ad ora- „ culum Delphicum consultum misissent, tale responsum acceperunt:

*Cæde meis mensis, manibus non sanguis adhærens,*
*Destillansque recens, prohibe tibi limina templi,*
*Non tibi fata canam magnæ Junonis ad aram,*

*Non immortales hoc dii patientur inultum.*
*Siquis enim prudens, scelerata e mente profectum*
*Committat facinus, gravis hunc prope pœna sequetur;*
*Non exorabit, neque si genus ab Jove summo*
*Ducunt ipse suo collo, collisque nepotum,*
*Hoc luet, & generi cumulatim dona ferentur.*

Aphricanus in libro de re militari de Sybaritarum felicitate, luxu, & ruina inquit: *Sybaritæ eo deliciarum devenere, ut equos in convivia introducerent ita institutos, ut audito tibiæ cantu statim se attollerent arrectos, & pedibus ipsis prioribus vice manuum gestus quosdam chironomiæ motusque ederent ad numerum saltatorios. Sed cum tibicen quispiam contumelia fuisset affectus transfugit ad Crotoniatas hostes paulo ante prælio a Sybaritis superatos, & quod e republica foret illorum, pollicetur, si fidem modo habeant, sua opera Sybaritarum cunctorum equites in ipsorum venturos potestatem. Credita res est, & belli dux creatus a Crotoniatis, tibicen convocat omnes quotquot ejusdem forent in urbe artificii, modulamentumque iis indicat. Atque ut visum tempus procedere in hostem jubet. Sybaritæ fastu præturgidi, quod equitatu superabant, eunt contra, præliumque conserunt. Hic autem repente dato signo tibicines universi conspirant. Ecce confestim modulamine agnito, cantuque illo vernaculo tollunt eriguntque semet in pedes equi Sybaritæ, sessoribus excussis, & quod tripudium domi didicerant, etiam in acie exhibebant. Ita capti omnes equites humi jacentes, & omnes equi tripudia repræsentantes.* Et Plinius libro octavo *Equorum docilitas tanta est, ut universus Sybaritani exercitus equitatus ad symphoniæ cantum saltatione quadam moveri solitus inveniatur."* Eo in bello, quo Sybaris deleta est, Doricum Spartanum opem tulisse Crotoniatis Herodoti tempestate ferebatur. De qua re ita ipse lib. quinto scribit: *Doricus sumta classe, quam ex Aphrica duxerat, Italiam prætervehebatur. Ea tempestate, ut ferunt, Sybaritæ cum Tely rege suo bellum Crotoniatis erant illaturi. Id metuentes Crotoniatæ, Doricum, ut sibi opem ferret oravisse. Hic precibus inductus una cum illis adversus Sybarim contendit, eamque cepit. Hæc Sybaritæ Doricum & qui cum eo erant fecisse ajunt. Crotoniatæ negant quempiam se peregrinum in bello adversus Sybaritas ascivisse præter unum Calliam Helæum Amidæorum vaticinum, & hunc a Tely Sybaritarum tyranno ad ipsos transfugisse, hoc modo quod sacrificans de eundo adversus Crotonem, non litaret. Hæc isti ajunt, quarum rerum utique testimonia hæc afferunt. Sybaritæ quidem phanum ac templum prope Crastim lapidum materiam, quod Doricum capta urbe ajunt extruxisse Minervæ cognomine Crastiæ: & hoc ipsius Dorici volunt esse maximum testimonium, quod præter vaticinia agens interemtus est. Si enim nihil, nisi id ad quod mittebatur fecisset, nec transgressus esset; Ericinam regionem obtinuisset, & obtentam possedisset, non ipse cum exercitu absumtus esset. At Crotoniatæ multa monstrant peculiariter donata Calliæ Helæo in agro Crotoniensi: quæ etiam ad meam usque memoriam prognati Calliæ colebant. Dorico autem & ejus posteris nihil omnino fuisse donatum. Cui si in bello*

*lo Sybaritico fuisset Crotoniatis auxilio, multo plura quam Calliæ fuisset donandum* " Theocritus Idylio, quinto sub Æpuli & Pomilionis persona in Sybaritano agro Cyperum (*a*), cynospaton, anemone, cytisum, ægilum, & fraga nasci, item optimi mellis & dulcis olei & vini copiam fieri scribit: laudat mollem lanam.

## SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Cynospaton*. Non legitur apud Theocritum in Sybaritano agro nasci Cynospatum, & anemona: sed quod Cinosbatos idest *rubus caninus* & anemone non sunt comparandi rosarum floribus.

# CAPUT IX.

## *De divitiis, Poetis, Philosophis & Numismatibus Sybariticis. Aliqua de Crathide & Sybari fluviis expenduntur.*

OBtulerunt Sybaritæ, ait Pausanias in Æliac. Jovi Olympico thesaurum, quem juxta thesaurum Epidamniorum collocarunt. Ex hac urbe inter ceteros opulentes fuit *Smyndirides* longe ditissimus. De quo Herodotus libro sexto ita scribit: *Clistenes Sycionis tyrannus Agaristam filiam nuptui dare destinabat ei, quem præstantissimum Græcorum omnium comperisset. Cum igitur ludi in Olympia celebrarentur, & ex eis Clistenes curriculo quadrigali victor extitisset, nunciari jussit voce præconis, ut siquis se dignum putaret, qui Clistenis gener esset, is ad sexagesimum diem aut prius Sycione præsto foret. Quoniam Clistenes intra annum a sexagesima die incepturum exequi nuptias destinabat. Itaque omnes Græci aut sua ipsorum aut familiæ claritate sibi confidentes Sycionem proci contenderunt: Quibus Clistenes & curriculum & palæstram ad certandum præparaverat. Ex Italia illuc se contulit Smyndirides Hippocratis filius Sybarita (florebat autem maxime Sybaris ea tempestate), qui unus vir in plurimum deliciarum processerat*: Contendit autem Sycionem, ait Suidas propria navi, quæ quinquaginta remiges habebat omnes suos servos. Duxit etiam ingentem aucupum, coquorum, & piscatorum catervam, qui non modo ceteros omnes, sed etiam Clistenem ipsum deliciis & luxu superabat. Fuit & ex urbe Sybari *Alcistenes* plumarius nobilissimus, qui celebratissimam vestem opere" Phrygio" plumario reipublicæ Sybaritæ elaboravit, atque contexit. Quæ utrinque deorum, variorumque animalium spirantibus formis acu pictis mire distincta erat, colore purpureo. Erat hæc vestis, ait Joannes Tzetzes, margaritis & lapidibus pretiosis ornata. Una manica habebat Alcistenem ipsum, altera Sybarim patriam suam. Vendita fuit centum viginti talentis, hoc est aureorum numorum septuagintaduo millia. Quam Aristoteles inter mirabilia ponit; ait enim in libro de mirabilibus: „ Alcistene Sybaritæ vestem tradunt, tanta magnificentia „ con-

„ confectam esse, ut cum in Laciniæ Junonis panegyri, ad quam tota
„ confluere solet Italia, proposuisset spectandam, omnium oculos a re-
„ liquis in se converterit. Hanc ajunt a Carthaginiensibus emtam a
„ Dionysio seniore tum regnante centum viginti talentorum pretio,
„ "idest septuagintaduo millia numorum aureorum". Purpurea erat tota
„ amplitudine quindecim cubitorum, animalculis intertextis distincta.
„ Superne quidem Susis, inferne vero Persis, in medio autem Juppiter,
„ Juno, Themis, Minerva, Apollo, Venus elucebant. Ad latera Al-
„ cistenes, utrinque autem Sybaris „. Meminit & vestis hujus Polemon
apud Athenæum libro duodecimo.

Fuit & *Thurus* Sybarita fabularum auctor, cujus meminit Theon sophista. Fuit & *Hemitheon* Sybarita poeta, cujus meminit Ovidius libro tertio de tristibus. Fuit & (a) *Alexis* Sybarita poeta comicus Menandri poetæ comici patruus " ut quidam volunt, sive ut alii, Menandri filius", qui ducentas quinquagintaquinque fabulas scripsit, inter quas unam Brettiam nominavit. Quare *Sybaritica fabula* nomen sumsit ab auctore Sybarita, de qua meminit Aristophanes in Vespis. Theodoretus etiam in libro exercitamentorum ait *Sybarita fabularum inventor*. Item Aphronius sophista inquit: *Sybaritas primos inventores fabularum apologiarum fuisse*. Interpres autem ipsius Aphronii, & interpres Hermogenis dicunt Sybaritas fabulas effinxisse primos ex solis animantibus rationalibus, Alcmæon vero Crotoniata, & Æsopus etiam ex irrationalibus. Æsopicæ autem dicuntur, quia Æsopus apud Phrygios hac in re polluit. Extant multa præclara Alexis dicta aqud Stobæum pluribus locis. A quo Alexi Latini poetæ, ait Gellius libro secundo, quædam sumsere ac vertere. Qui in comœdia, quæ Pythagoræ vita inscribitur, ait idem Gellius libro quarto, refert Pythagoram ipsum animalia edisse. Suidas vero Alexim ipsum Menandri filium fuisse scribit. Fuit & *Stephanus* Alexis filius, ut Suidas tradit, poeta comicus. Fuit & (1) *Menander*, Alexis ex fratre nepos, poeta, ut idem Suidas fert. Fuit & *Callistenes* Sybarita philosophus & historicus. Adducit ipsum Stobæus in collectaneis de morbis. Fuerunt & hi alii philosophi Sybaritæ Pythagoræ discipuli, ut Jamblicus scribit *Aeneas*, *Deax*, *Diocles*, *Euanor*, *Empedus*, *Ispasus*, *Menester*, *Metopus*, qui plura scripsit, cujus meminit Stobæus, licet ipsum Metapontinum faciat, *Proxenus*, *Polemæus*, *Timasius*, *Tirsenus*, *Tirseines* mulier. Fuit & *Philetas* Sybarita, qui, ait Pausanias in Eliacor. xli. Olymp. superavit juvenes in cestum pugnantes, & xlv. gravioris armaturæ peditum cursus in stadium cum plausu est receptus. De fertilitate agri, ubi Sybaris urbs erat, Varro rei rusticæ libro primo inquit:
„ In Sybaritano agro jugerum modium centesimum reddere solitum di-
„ cunt „.

Signabant Sybaritæ in denario" Mercurium altera manu caduceum, altera marsupium tenentem, & ex altera facie civitatem Sybarim sedentem, & dextra cantharum, sinistra fundam tenentem ob delicias & luxum ": Minervam galeatam habentem in galea, tritonem deum marinum, Neptuni tubicinem, & ex postico Sybarim fluvium effigiatum, idest tauri figura, altera manu harundinem, altera urnam habentem & effundentem aquam, Græca inscriptione ΣΥΒΑΡΙΣ. Quandoque signa-

gnabant caput galeatum instar Palladis, & ex postico nunc Sybarim fluvium sub tauri figura retro respicientem, nunc cancrum & caput tauri Neptuni victimam. (*b*) Crathis autem & Sybaris fluvii, inter quos fuit Sybaris urbs, estque & nunc Thurium urbs, multorum poetarum præconiis nobilitati sunt. Crathis auriferus est & pisculentus. Dictus est autem Crathis, ait Strabo libro octavo, a Crathi Achajæ fluvio, qui a fluminibus incrementa suscipiens sic a miscendis aquis appellatus est. Ad quem Crathim Calabriæ fluvium Annam Didonis sororem post illius mortem adventasse Ovidius libro tertio Fastorum scribens ait:

*Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes*
*Parvus ager, Cameren incolæ turba vocat.*

De fluvio ita Vitruvius libro octavo ait: *Crathis, cum pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum. Ex eoque quamvis sint alba procreant aliis locis leucophea, aliis locis pulla, aliis coracino colore.* Item Plinius libro trigesimo primo de hujus & Sybaris fluvii natura sic scribit: *Theophrastus ait, in Thuriis Crathim candorem facere, Sybarim nigritiam bobus ac pecudibus, quin etiam homines sentire differentiam eam, nam qui Sybarim bibunt nigriores esse, durioresque, & crispo capillo, qui ex Crathide candidos, molliores que, at porrecta coma.* Et Strabo libro sexto: *Crathis homines in eo lotos cæsarie candidos, & flavos facit, ac multis medetur morbis. Si equi vero de Sybaride biberint sternutamentis agitari constat. Quamobrem ab ejus potu greges amovent. Pecudes morbidi si se Crathis aqua madefecerint, curantur.* Rursus Ovid. Meth. libro xv. ait:

*Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris*
*Electro similes faciunt, auroque capillos.*

Lycophron in Alex. Crathim fluvium Altenum & morborum curatorem appellat, ait enim:

*Morborumque curator Adaunis vocabit*
*Quando exulantes obsacrificium Altheni influentis.*

Super quibus verbis Isacius ait: „ Althenus fluvius dicitur, quasi Al- „ thænans, id est sanans, secundum Timæum, omnium quæ illo la- „ vantur animalium vulnera.

Et rursus:

*Crathis vero vicinus & Mylacum finibus*
*Ager cohabitores recipiunt Colchorum polis*
*Inquisitores, quos filiæ misit molestus.*

Isacius: „ Crathis fluvius Italiæ, cujus aqua in illo lavantium co- „ mam flavam reddit, ut scribunt Hesigonus historicus, Socionque, at- „ que Agatosthenes philosophus, tum Euripides tragicus inquiens:

*Si humectet exornans flavam reddens comam Crathis;*
*Crathis vero ager recipiet illos pulsos.*

„ Sybaris fluvii latices conspersi, & potu etiam suo continentes „ reddunt & castos, ait Leonicus „. Item Galenus in libro de bonitate aquæ ait. „ Sybaris fluvius viros ingenerativos facit. Laudantur

tur

tur & cibi quidam Sybaritani. Quare Metagenes poeta apud Athenæum lib. 6. ait:

*Placenta fertur magna Crathi flumine*
*Sua subacta sponte, flumen alterum*
*Devolvit undas carnium cum nastulis*
*Sybaris vocatus, batides coctas simul.*
*Lolagines tunc parva volvunt flumina*
*Coctosque phagros, & locustas alterum*
*Condita salsa, cum quibus bellaria*
*Sartagines pericomma, forcimen simul*
*In ora sponte quæ fluebant omnia,*
*Ac ad pedes amylum tuebar circulo.*

Hæc de Sybari urbe ac fluvio habui quæ dicerem. Modo vero de Thurio urbe Sybaris urbis quondam reliquiis, quam vulgus corrupto vocabulo Terramnovam vocat, dicendum est.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Menander.* Hujus Comœdias Terentius Latine vertit ut ipsemet fatetur in Eunuchi Prologo: *Nunc quam acturi sumus Menandri Eunuchum &c.* Hujus senarium usurpat S. Paulus Apostolus Epist. 1. Cor. 15. 33: ut ait S. Hieronymus in epist. ad Magnum Orat. Rom. in qua sic scribit: *Paulus Apostolus Epimenidis Poetæ abusus versiculo est*: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. *Cujus heroici emistichium postea Callimachus usurpavit.* Et paulo post: *In alia quoque Epistola Menandri ponit senarium* φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαὶ *idest: Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Alias Sybaritarum Comœdias Plautus, Cæcilius, aliique vertere. Vide Gell.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Alexis.* De Alexi Comico Sybarita, multa & præclara Athenæus. Ex hoc Alexi quamplurima mutuati sunt Comici Latini, & præsertim Terentius, ut alibi exposuimus: de quo nihil Gellius in secundo; quamvis Gellius super hoc Gellium citet: loquitur enim de Menandro, a quo multa mutuatus est Cæcilius. Lib. autem 4. c. 11. nescio quid de Alexi, qui Pythagoram animalium visceribus vescentem scribit in Comœdia, quæ Pythagoræ vita inscribitur.

(*b*) *Crathis.* De Crathide multa etiam Theocritus & ejus interpres, multa Ælianus de hist. animal. Val. Prob. in Virg. primo Georg. Herodotus in hist. Coell. Rhod. & quamplures alii. Ælianus ut supra lib. 6. c. 41. Val. Prob. & Coell. Rhod. & Palladas Græcus Poeta Crathidem dictum volunt a nomine Pastoris Sybaritæ, qui Crathis dicebatur, & ab hirco in flumen ejectus, ex zelotipia Capellæ quam Crathis in deliciis habebat. Sed Ælianus & Probus hirci naturam ignorare videntur in fabella

Crathidis: cum ex omnibus brutis hoc animal zelotipia non capiatur: qua de causa hircos appellant eos qui hac ægritudine non lancinantur. Vide Sueton. Attamen Strabo, Pausanias, & Herodotus dictum contendunt a flumine Achajæ ejusdem nominis, qui prope Æginam labitur.

# CAPUT X.

## *De Reliquiis Sybaris, ex quibus Thurium constructum est.*

EST autem Thurium urbs, ut dixi, edito loco, colle oblongo veluti in specula inter Crathim & Sybarim amnes, propior tamen Crathi, quam Sybari. Ejus ager totus campestris est & frugifer, ac pabulis accommodatus. Qui totus pene ex urbe ipsa conspicitur. Ejus potentia olim ac nobilitas magna fuit. Cujus regio ab *Hylia* fluvio, nunc *Triento* dicto, ad *Acalandrum* amnem usque protendebatur. De qua sic Plinius ait: „ Thurium oppidum inter duos amnes Crathim & Sybarim, „ ubi fuit urbs eodem nomine. „ Et Diodorus Siculus Bibliothecæ libro duodecimo A Sybari tamen urbe repetens sic scribit: „ Thuriorum his „ causis urbs condita traditur. Quibus seculis superioribus in Italia „ Græci Sybarim oppidum condidissent, ubertate ac fœcunditate soli, „ factum est, ut brevi res & opes ejus coalescerent. Hæc inter duo flu- „ mina posita Crathim Sybarimque, a quo nomen acceperat oppidum. „ Ejus incolæ amplo simul & frugum feracissimo incumbentes agro, „ ingentes inde divitias, & opulentiam miram congessere. Tum pleris- „ que alienigenis in civitatem & munera civilia ascriptis, adeo res pro- „ vecta est, ut multo reliquas Italiæ urbes antecedere opum vi putare- „ tur. Necnon etiam populi numero & multitudine exuperabat, ut „ trecenta millia civium ea tempestate capita illic recensita tradantur. „ In qua Teles quidam populi dux cum in magna plebis esset gratia au- „ ctoritateque præstaret potentissimum quenque calumniari apud po- „ pulum, atque variis criminibus accusando dilacerare cœpit. Do- „ nec tandem voti compos, Sybaritis persuasit, ut quingentos ex ditis- „ simis civibus ejicerent urbe, fortunasque & opes eorum in publicum „ redigerent. Quo facto, fugata magna civium vis, qui vago errabundi „ auxilio Crotonem petunt. Ibique ad aras in foro erectas supplicum „ more confugiunt. Quo audito Teles legatos ad Crotoniatas mittit, „ qui jussu suo postulent, ut vel exules dedant, vel si id renuant, exin „ sibi indici bellum, armaque & vim expectent. Convocato senatu cum „ inter se consultare, multaque agitare pergerent, num dedant Sybari- „ tis exules præstaret, an bellum contra potentiores suscipiendum esset, „ senatu populi concione varia, & ancipiti sententia hærente primum „ quidem plebis animi ad dedendos supplices inclinari videbantur, pa- „ vore belli perculsa multitudine.

„ Post hæc Pythagora philosopho rogantibus consulente, atque „ multa obtestante supplices incolumi deum fide, ad quam confuge- „ rant, esse protegendos. Revocata sententia bellum pro supplicum

„ sa-

„ ſalute tuenda ſuſcipiendum decernunt. Itaque armato in ſe etiam ad-
„ ventanti hoſtium Sybaritarum agmini trecentis millibus ſtipato Cro-
„ toniatæ centum millibus obviam ire properant, Milone gladiatore
„ duce. Qui conſerta pugna vigoris corporei invicto robore cornu hoſti-
„ um contra ſe in acie inſtructum primus in fugam vertit. Hic vir ſexies
„ in Olympia victor extitit. Robur corporis, quo præſtabat comitem
„ habens. Fertur coronis Olympiacis ornato corpore in Olympicis vi-
„ ctoriiſque partis in eam aciem deſcendiſſe. Herculis autem ritu leonis
„ ſpolio, clavaque armatus præcipuam victoriæ adeptæ cauſam huic
„ tribuiſſe armaturæ. Cujus virtutis inſolita magnitudo ſummam civi-
„ bus admirationem attulit. Fuſis vero hoſtibus, cum Crotoniatæ per
„ iram irritatis animis neminem capi vivum juſſiſſent, quoſcunque in
„ fuga comprehenſos necant. Unde major tanti exercitus pars cæſa in-
„ teriit. Qui urbem ingreſſi eam diripiunt, cunctiſque paſſim vaſtatis
„ cultoribus vacua loca deſertaque reddunt. Quæ annis poſt eam cla-
„ dem octo & quinquaginta Theſſali eo concedentes reſtauravere, at-
„ que incoluere. Poſt ſecundam reſtaurationem per eadem ſubjecta,
„ tempore præfecto Athenis Callimacho rurſus extrui & cohabitari
„ cœptum eſt. Quæ brevi poſt in alterum locum translata altero quo-
„ que nomine impoſito mutavit appellationem. Cujus auctores fuiſſe
„ Lampus & Xenocritus hoc modo traduntur. Ab his enim, qui ſe-
„ cundo patria ejecti profugerant Sybaritis in Græciam legati ad Lace-
„ dæmonios & Athenienſes miſſi ſunt, deploratum errores, & auxilia
„ ſua puſtulatum, ut reducerent eos in patrias ſedes, ſecumque ſibi ut
„ placeret eam ſibi urbem ex parte coloniam facere vellent. A Lacedæ-
„ moniis auditi fruſtra, nil impetratum. Res Athenienſibus placuit,
„ moxque decreto eis auxilio decem naves completas Sybaritis ſubſidio
„ mittunt. Quas Lampus & Xenocritus ductabant. Miſſis quoque per
„ Peloponneſi urbes præconibus edicto præponi ac provulgari fecerant,
„ urbem ſe communem his facturos, qui eo commigrari voluiſſent. Cui
„ cum plerique aſſentirentur, oraculo Apollinis maxime adducti, per-
„ cuntantibus nanque reſponderat, tale quærendum, quo ſibi conde-
„ rent urbem, ejuſmodi ſolum, ubi aquam menſura ſumtam potarent,
„ cibum contra ſine menſura caperent.

„ In Italiam itaque navigant, atque Sybarim delati loca ſcrutari
„ pergunt, ſicubi veſtigia loci a Deo juſſi per oraculi interpretationem
„ ſe offerrent. Cumque haud procul Sybari inveſtigatione ſolicitis fons
„ occurriſſet, cui Thuriæ nomen erat, latices erumpentes ærea fiſtula
„ procul fundens, quam accolæ Dimnam, Modiumve appellare con-
„ ſueverant, re ſimul & nomine ad omen & interpretationem oraculi
„ provecti, eum locum ſibi a Deo oſtenſum ac juſſum judicant. Quem
„ circumacto muro communiunt, urbemque ibi condentes eam fontis
„ nomine Thuriam vocant. Tum urbis ſpatium ad longum porrectum
„ in quatuor plateas, & fori loca diſtribuunt. Quorum unum Hera-
„ cleam appellant, alteri Aphrodiſide nomen dant, tertium Olympiada,
„ & reliquum Dionoſiada vocitari inſtituerunt. Per latitudinem vero
„ tribus rurſus foris ſpatia loca diducunt, nominaque ſingulis impo-
„ nunt, alteri Heroa, alteri Thuria, tertio Turinam. Intervalla vero inter

„ hæc intermiſſa domiciliis extructis replent. Videbaturque ea urbs &
„ ſpecie commoda, & eleganti admodum opificio educta. Ceterum brevi
„ tempore concordia nulla Thurios continere valuit, ſed gravis & ſæva
„ admodum haud temere ſeditione res eorum vexari, diſcerpique cœ-
„ pit. Nam Sybaritæ incolæ vetuſti primos quoſque magiſtratus, ſum-
„ maſque dignitates per uſurpationem veluti hereditario ſibi jure debi-
„ tas inter ſe partiri, ab onere abeſſe, contributiones, reliquaque diſ-
„ pendii & bonorum munia poſterioribus & novis civibus proſequenda
„ demandare. Tum ad ſacra Deum, myſteriaque peragenda mulieres
„ patricias antiquæ originis cives primo deligi, primoque inſtitui loco.
„ Poſt has ſecundo novam urbis reſtauratæ prolem, veluti deteriori ju-
„ re progenitam. Ad hæc mœnibus finitimum, eoque commodiſſi-
„ mum pro ſorte cuique dimenſum poſſidere, remotiore novis hoſpiti-
„ bus pro colendi incommoditate diſtributo. Animis itaque dictæ ini-
„ quitatis indignatione commotis, ſæviente jam diſcordia, cum novi
„ adſcriptique cives antiquis & numero plures, & re ſuperiores viribuſ-
„ que præſtarent, tumultu excito vetuſtos Sybaritas ferme ad interne-
„ cionem cunctos ferro abſumunt, ipſique deinceps urbem jam libera
„ adminiſtratione obtentam diſponere pergunt. Cumque agro & opti-
„ mo & amplo ſupra cultorum, uſuſque ſui modum abundarent, ac-
„ cerſitis ex Græcia pleriſque eo frequenter colonis, reipublicæ munia
„ digerebant, agrumque rurſus æqua ſorte dimenſum per capita diſtri-
„ buere. Ceterum illi rempublicam præſtanter, agrumque colendo
„ magnas brevi divitias, opumque vim cumulavere, atque amicitia cum
„ Crotoniatis, ſocietateque conciliata res ſummas optimis artibus ad-
„ miniſtrabant. Populari ſtatu civitatem conſtituentes in decem tribus
„ cives omnes diſtribuere. Quibus a gente cuique ſua ſunt indita cogno-
„ menta. Tres quidem ex colonis a Peloponneſo accitis appellarunt Arca-
„ des: totidem ex locis extra Peloponneſum ſitis, ex una & eadem gente
„ ductas Bœotiam, Amphiſtryonida, Dorida, reliquas quatuor ex aliis
„ diverſiſque nationibus Ladem, Athænaidem, Euboidem, Heſio-
„ tin „. Item Suidas ait: „ Athenienſes duum millia virorum ad ædifi-
„ candam Thuriam urbem miſerunt, inter quos & Lampus fuit vates,
„ qui ædificationis rationem explicaret „. Sebaſtianus Corradus in
Epiſt. Cic. ad Att. lib. iii. Thurios oppidum nunc neſcio quod Ro-
dium vocari ſomniat. "Et Carolus Sigonius non *Thurios* legit ſed
*Thurinæos*"

Quidam hanc urbem non a Thuria fonte dictam volunt, ſed a for-
titudine, Thurion enim Homerus robur appellat. Quod quidem no-
men urbi huic quoque convenit. Plutarchus in Pericle ſcribit Periclem
Athenienſium ducem coloniam in Italiam Sybarim dimiſiſſe, quos
Thurios appellavere. Fortaſſe Pericles in ſecunda urbis reſtauratione
Thurium colonos Athenienſes miſit. Hanc urbem alii (1) THURIUM,
alii *Thuriam*, alii *Thurias*, alii *Thurios* appellant, genus & numerum va-
riantes. Incolæ Thurii, & Thuriani, & Thurini dicuntur. Trogus
autem libro xx. ait: „ Thuriorum urbem condidiſſe Philoctetem ferunt,
„ ibique adhuc ejus monimentum viſitur, & Herculis ſagittæ in tem-
„ plo Apollinis, quæ fatum fuere Trojæ. „ Frequens (ait Euſtathius
„ in

„ in Dionysium Aphrum ) est Thuriorum in historiis nomen, quos „ Thuriomantes, quasi Thurios vates comicus appellat „ .

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Thurium*. Appellatum etiam *Copiæ*. Vide Strab. lib. VI. Sed potius videtur fuisse aliquis locus Thurio proximus, cui nomen id pluralis numeri *Copiæ* tributum fuerit; cum perexiguus ad Crathidis ostia sinus vulgo ab accolis vocitetur, *Il Cupo*; & specula in ejus litore, *Torre del Cupo*. Vide Cluer.

# CAPUT XI.

## *De legibus Thurii, ubi de Herodoto, Annibale, aliisque notatu dignis.*

THuriis leges scripsit Zaleuchus Locrensis, ut Athenæus refert. Licet Diodorus Siculus leges, quas Zaleuchus Locrensibus dedit, Charondam Thuriis dedisse effutiat. Apud Thurios lege sancitum erat, ait Plutarchus de curiositate, quæ vetat taxari cives, præter adulteros & curiosos. Thurii, ut Teophrastus apud Stobæum in sermone de leg. & consuet. de rerum vend. loquens ait: „Neque in foro, sicut alia, fieri „ præcipiunt, sed tribus proximis vicinis parvum aliquod numisma una „ dari jubent memoriæ testimoniique causa. Itaque necessarium fit his vi„ cinos, illis magistratum incusare si rem non acceperint, aut bis ab eo„ dem acceperint, aut habentes non esse de rebus emptis dicant „. Et paulo post: „ Determinatur enim, uti apud Thurios, ut arrha quidem confe„ stim, pretium vero eodem die exhibeatur. Pœna igitur statuitur em„ ptori arrhæ privatio, non recipienti autem pretium solvatur. Et hic „ mos est Thuriis, ut inæquali pœna mulctentur. Pretium enim arrham „ multoties excedit „. Arist. Pol. libro secundo de mutatione reip. Thuriorum ita scribit: „ In Thuriorum republica id accidit. Cum enim le„ gem haberent, per quam non nisi intermisso quinquennio militum „ præfecturam gerere liceret, juniores quidam rei militaris periti, & „ apud multitudinem pro custodibus probati, cum ceteros, qui in re„ bus gerendis versabantur, spernerent, ac facile se consequuturos ar„ bitrarentur, legem illam tollere agressi sunt primum, lata altera le„ ge, ut liceret perpetim eosdem præfectos esse. At cum populum illos „ promte admittentem, ii magistratibus, qui præerant suffragiis, „ quique appellabantur consultores, commoti sunt prius ad resisten„ dum, tamen postea destiterunt: Putantes hac una lege quamvis solu„ ta, ceteras nihilominus esse permansuras. Postea vero prohibere vo„ lentes, ne aliæ moverentur, nihil proficere valuerunt. Sed mutata est „ eorum respublica in potentiam eorum, qui res novas aggrediebant„ tur „. Et libro quinto. „ Contigit vero, id quod modo diximus in „ Thuriis: quod enim a majori censu erant magistratus in minorem fa-

„ cta

„ cta est mutatio, & in plures gubernatores, & quia agros totos possidebat nobilitas contra legem. Nam gubernatio ejus civitatis magis erat „ paucorum. Itaque plus habere poterant. At populus bello exercitatus, „ ac potentior effectus quam illorum custodes, eos nobiles compulit, „ quicunque contra legem tenebat agros, dimittere „. Thuriis Herodotus historias scripsit, vixit, & obiit anno cccx. ab urbe condita, ait Pli. libro xii. sepultusque in foro, ait Thucidides libro septimo. Claruit autem, inquit Diodorus Siculus libro tertio, Xersis Persarum regis tempore. Qui *Thurius* vocatus est, eo quod particeps fuisset coloniæ in Thurios missæ, ait Strabo libro xiiii. Hanc urbem Dionysius Siciliæ tyrannus obsidere tentavit. De qua re Ælianus de varia historia libro duodecimo ita scribit: „ Adversus Thurios navigabat Dionysius, con- „ traque ipsos trecentas naves agebat. Boreas vero ex adverso reluctans „ navigia confringebat, universasque navales ejus copias delebat. Ex „ eo rem divinam boreæ faciendam Thurii instituerunt, & publicis de- „ cretis civem suum pronunciarunt, atque domum certam facultatesque ei assignaverunt, singulisque annis sacrificia obtulerunt, eumque „ auxiliatorem amicumque scripserunt „. Erant Thuriis Annibalis statuæ, ut Plinius lib. trigesimoquarto prodit. Qui ait: „ Annibalis sta- „ tuæ tribus in locis visuntur Thuriis, intra cujus muros solus hostium „ emisit hastam „. In mari, hoc est Sybari, ait Pausanias in Æliac. portus erat manu factus Adriani Cæsaris opus. Sybari, qui nunc Thurii dicuntur, ait Varro rei rust. libro primo quercum esse ait, quæ hieme folia non amittit, quæ est in oppidi conspectu. Id etiam scribit Theophrastus libro primo, & Pli. lib. xvi.

Fuit hæc urbs Romanis fœdere & societate conjuncta. Quam cum a Brettiis & Lucanis obsideretur, Romani per C. Fabritium Lucinum consulem defendebant, ut Val. Max. libro primo refert. Fuitque nobile municipium populi Romani, ut in Commentariis C. Iulii Cæsaris libro tertio liquet. Hic scripsit ad Atticum Cicero. Hanc oram Livius libro decimo ab urbe condita Salentinam appellat, hancque Thurium urbem a Cleonymo obsessam scribit. Ait enim: „ M. Livio „ Q. Aemilio conf. Classis Græcorum Cleonymo duce Lacedæmonio „ ad Italiæ littora appulsa Thuriasque urbem in Salentinis cepit. Ad- „ versus hunc hostem consul Aemilius missus prælio uno fugatum „ compulit in naves, Thuriæque redditæ veteri cultori, Salentino- „ que agro pax parta „. Cleonymum autem hunc Tarentini adversus Romanos accersere, ut Strabo tradit. Thurii semel tantum a Romanis descivere data sibi causa. Quare Livius belli Pun. libro quinto ait: „ Thurini ad Annibalem defecerunt. Movit eos non Tarentino- „ rum magis defectio, Metapontinorumque, quibus itidem ex Achaja „ oriundi etiam cognatione juncti erant, quam ira in Romanos „ propter obsides nuper interfectos „. Thurini primi ex externis Romanos aurea corona & statua donarunt, ceu Plinius libro trigesimo quarto effatur, ait enim: „ Publice statua ab externis posita est Romæ „ C. Aelio tribuno plebis, lege perlata in Septimium Statilium Luca- „ num, qui Thurios bis infestaverat, & ob id C. Aelium Thurini „ statua & corona aurea donarunt „. Iidem postea Fabritium dona-

runt

runt ſtatua liberati obſidione. In bellis autem civilibus Thurini Cæſaris partes, ſicut & reliqua tota Calabria, ſecuti ſunt, quare a Pompejo obſeſſi ſunt, ut Appianus bellorum civilium libro quinto prodit. Ait quidem: „ Pompejus Thurios & Conſentiam obſedit, regionem quo- „ que equitibus attribuit „. Et paulo poſt: „ Pompejani a Thuriis re- „ jecti ſunt.

## CAPUT XII.

### *De Numis Thurinorum, & ubertate.*

SIgnabant Thurii in denario Minervam galeatam, & in galea delphinum, & juxta tridentem inſcriptione Græca ΤΟΥΡΙΩΝ, & ex poſtica facie Polypum piſcem. Polypus quidem quod prehendit nunquam dimittit, quod reipublicæ robur & firmitatem ſignificat: item mutat colorem ad ſimilitudinem loci, in quo erit, quod reſpublica utcunque potens quandoque temporibus ſervire debet. Quandoque ſignabant Palladem galeatam, & in galea tritonem, & ex altera facie taurum iratum cum piſce. Siquidem Thuriam fontem, a quo nomen ſunt mutuati, venerantes numis ſub imagine (1) tauri effingebant, hac inſcriptione ΘΟΥΡΙΩΝ ΕΥΦΑ ideſt ΕΥΦΑΝΙΟΝ ideſt Thuriorum clarorum & famoſorum, ſicut Sybaritæ eorum majores Sybarim fluvium ſub imagine tauri effingebant. Nam, ait Ælianus libro primo de varia hiſtoria, quidam fluvios & fontes venerantes, eos pecudum & hominum figuris aſſimilantes figuras ipſas effingebant. Interim ſignabant Palladem cum galea coronata, & ex altera facie taurum gradientem, & piſcem. Aliquando effingebant victoriæ caput Cleandridæ Thuriorum ducis nomine inſcriptum, & ex altera parte tropæum, hoc eſt thoracem & duo ſcuta. Hic autem Cleandridas Spartanus fuit, ut ſcribit Strabo, qui Lucanos Thuriis bellum inferentes his prælio vicit, licet longe majorem exercitum haberent. De quo plura Polienus libro ſecundo. Thuriis texuntur panni, quales Murani. Legitur in Thurino agro manna, provenit terebinthus, vitex, & ſiliqua ſilveſtris. Fiunt lina & mella nobilia, naſcuntur & vina laudatiſſima. Quæ Plinius libro quartodecimo inter generoſa Italiæ vina numerat. Quæ ſecundum nobilitatis locum poſt Lagaritana totius hujus tractus obtinere ſcribit, ait enim: „ Longinquiora Italiæ ab Auxonio mari non carent „ gloria vina Severiniana, & Conſentiæ genita, & Temſæ, ac Bal- „ biæ, Lucanaque antecedentibus Thurinis. Omnium vero eorum „ maxime illuſtrata Meſſallæ potu ac ſalute Lagaritana non procul a „ Grumento naſcentia „. Et rurſum libro eodem de quarundam uvarum natura ait: „ Capnias & Baccaniatæ & Varrupia uvæ in Thurinis „ collibus non ante demetuntur, quam gelaverit „. Eſt autem Capnias, velut Ariſtoteles de Generatione animalium libro quarto auctor eſt, vitis, quæ albam uvam producit, aliquando vero nigram, quia ſua natura inter albam & nigram eſt. Strabo quoque libro ſexto inquit: „ Vi- „ num Thurinum inter vina nobiliſſimum „. Oleum etiam Thurinum opti-

optimum est. Quare Amphis referente Athenæo libro secundo ait: „ Apud Thurios oleum est celeberrimum „. Oleum Thurinum egregium celebravit etiam Alexis poeta ut scribit Athenæus libro secundo. Thunus item Thurius, ait Julius Pollux, laudatissimus est. Laudat quoque Plinius libro trigesimosexto hujus urbis gypsum, ait enim: „ Gypsum calci cognatum e lapide coquitur in Thuriis „. Et libro trigesimoprimo de muria loquens ait: *Laudantur Thuriis muria*. In Thuriis, ait Ælianus de historia animalium libro tertiodecimo, fluvius (*a*) Lusias appellatus tametsi pellucidos liquores habeat, nigerrimos tamen pisces creat.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Tauri*. Non sine allusione ad Hebraicam, sive Phœniciam vocem תור *Thor*, quod *bovem* sonat; sæpius enim *o* in *u* permutatur. Inde Latine *Taurus*. Thurium itaque non a Græca sed ab Hebraica sive Phœnicia provenit dialecto, ut fert Plutarchus in Sylla, ait enim: *Thur siquidem Phœnices vaccam nuncupant*. Opinari equidem par est, Thurium Sybari vetustius fuisse, tametsi post Sybaris eversionem in Rempublicam excreverit.

## SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Lusias*. Nunc *Lucinus*, & *Lucidus* appellatur.

# CAPUT XIII.

## *De Ippodamo Philosopho Pythagoreo, ubi nonnulla de Politia.*

EX urbe Thurio fuit IPPODAMUS philosophus Pythagoricus. De quo Clemens Alexandrinus Stromate secundo inquit: *Ac mihi quidem pulcherrime Ippodamus Pythagoricus videtur describere amicitias, una quidem ex scientia deorum, altera vero ex hominum suppeditatione, tertia vero ex voluptate animantium. Est ergo una quidem philosophi amicitia, altera vero hominis, tertia autem animalis*. Extant quædam Ippodami dicta apud Stobæum in sermone de rep. sic enim Ippodamus ipse in lib. de rep. præter cetera ait: *Dico autem universam rempublicam in tres ordines divisam esse: & unum quidem esse bonorum ordinem publica negotia gubernantium: alterum ex viris robustis constari: tertium ex illis, qui res necessarias explent, ac suppeditant. Nomino autem primum ordinem consiliarium, secundum auxiliarem, tertium mechanicum. Et priores duos proprios esse dicimus vitam liberam degentium, tertium vero victum labore quærentium. Ac consiliarium quidem optimum esse, mechanicum deteriorem, auxiliarem medium*

*dium. Eundem consiliarium imperare oportet, mechanicum parere; auxiliarem vero utrunque. Consiliarius enim quid agendum sit, consiliis præfinit, at auxiliaris dum propugnat, totam mechanicam multitudinem regit: quatenus autem ei præscribuntur consilia, regitur. Ceterum singuli trium istorum ordinum denuo in tres alios subdividuntur. Consiliarii enim pars quædam est primaria, alia rectoria, alia senatoria, vel in communi consulens. Primaria quidem in consessu suo præsidens, ante omnia de rebus consulit, ac deinde ad senatum refert. Rectoria media est, & ad reliquos regendos creata: Senatoria ex reliqua multitudine constans a primariis proposita suscipit, suffragia fert, & quæ in judicium veniunt confirmat. Sed ut paucis dicam, primarios quidem sibi visa ad communem senatum referre opus est. Hunc rursus per prætores ad populum. Similiter & auxiliatores ordines, sive robore virium præstantis pars aliqua regit, altera propugnat; reliqua pars, eaque major, promiscua & militaris est. Prima autem sive rectoria est, ex qua castrorum præfecti, ductores ordinum, manipulorum duces, & antisignani constituuntur, ac denique omnes, qui muneri cuipiam præficiuntur. Pars propugnans ex robustissimis, animosissimis, audacissimis quibusque consistit. Promiscua vero & militaris omnis reliqua multitudo est. Mechanici autem ex labore viventes generis pars una agriculturam exercet, & in regionis cultu occupata. Alia incumbit artibus, instrumenta & commoditates vitæ negotiis exhibens, alia peregrinatur, & mercaturam facit, quæ in civitate quidem abundantiam in exteras regiones evehit. Constitutio igitur civilis communionis ex tot ac talibus partibus consistit. Deinceps de conjunctione & unione ipsarum differemus. Quoniam vero omnis communitas civilis omnimodam cum lyra similitudinem recipit, eo quod apparatu, concinnatione, & tandem pertractione aliqua usuque musico indigeat.*

*De apparatu quidem Reipublicæ, idest ex quot & quibus partibus consistat, jam ante mihi explicatum est. Restat ut in præsentia de conjunctione decenti atque unione ipsarum verba faciam. Itaque politicam communionem tribus modis apte concinnari assero: nempe doctrina & rationibus, studiis consuetudinum, ac legibus, ac per ista tria hominem instituì, honestiorem fieri. Rationes enim docent, induuntque desideria ad virtutem incitantes. Leges partim metu detinentes coercent, partim honoribus & præmiis allicientes invitant. Consuetudines autem & studia animum formant, & quasi cereum fingunt, naturali habitu ob assiduam lectionem imbutum. Ceterum oportet hæc tria convenire in honesto, utili, & justo, & in singulis, si fieri potest, ad ista omnia collimare, sin minus ad duo saltem aut unum, ita ut & ratio sive doctrina, honesta, utilis, atque justa sit, similiter & consuetudo, & lex. Præferendum est autem honestum, ab eo justum, tertio loco utile habendum est. Et in universum conari decet, ut hisce modis civitatem, quam maxime fieri potest, consonam partibusque suis concinnam efficiamus, ne seditionibus, & contentionibus agitetur. Hoc autem eveniet si juvenilium animorum affe-*

*ctus instituantur, & ad mediocritatem reducantur, quod ad jucunda & molesta attinet: deinde si opes ac reditus ex agricultura mediocres sint boni, experientia aliqua periti: largitionem vero & sumtum poscentibus, opulenti, atque tandem his omnibus officio suo, ut decet fungentibus debiti tribuantur. Porro virtus tribus ex causis promovetur, metu, cupiditate, pudore. Metum incutere lex poterit, pudorem consuetudines, bonis enim moribus assuetos turpe quid admittere pudet. Doctrina vero desiderium parit. Nam reddita rei causa, animum allicit, attrahitque cum alias, tum si adhortatione juncta fiat. Quocirca tribus, sodalitates, contubernia, & conventus tum militares, tum civiles adolescentibus commendare oportet, ita tamen, ut seniores sibi conjunctos habeant. Quandoquidem ut adolescentes moderatione & correctione egent, ita senes benevolentia & conversatione jucunda. Quandoquidem igitur per tria hominem diximus honestum evadere, scilicet consuetudine, lege, & doctrina. Considerandum est, quomodo consuetudines, aut corrumpi, aut custodiri possent. Inveniemus ergo duobus modis consuetudini corruptionem accidere. Nam aut propter nos, aut propter externos. Per nos quidem, vel quia fugimus molesta, quoniam sequimur jucunda. Nam qui molestias declinant, non tolerant labores, voluptatum autem cupiditas in causa est, ut bona amittantur. Siquidem labore bona conciliantur hominibus, voluptatis studium mala comitantur. Quare incontinentes ac molles facti, & animis magis effeminati fiunt, & in expetendo prodigi.*

*Ceterum ab externis consuetudines inficiuntur, cum peregrinus populus nobiscum habitat mercatura, felicitate affluens: aut urbis vicini voluptarii & molliculi sunt, & morum suorum contagio propinquos afficiunt: Quapropter opus est ut Legislatores, & multitudinis præfecti sedulo animadvertant, num diligenter observantur mores, & æquales in omnibus pergant. Item an multitudo civitatis patria, idest hominum indigenarum sincera maneat, nec alia gente misceatur & an bonorum opumque magnitudo æqualis permaneat, aut non multum variet. Cum enim superflua possidentur, plura & superflua conquirendi desiderium solicitat. Hoc quidem pacto mores & consuetudines custodiantur. Porro doctrina & oratio perpendetur, examinando probandoque sophistas, an secundum leges, & instituta civilia, idoneumque, seu proprium vivendi genus, utilia proloquantur. Non mediocrem enim, sed maximam infelicitatem hominum animis sophistarum dissertationes ingenerant, si quid ausi fuerint innovare præter commune judicium in divinis humanisque rebus: quo admisso neque veritas major, neque vita tutior honestiorque futura sit, sed majori potius caligine ac perturbatione involvenda, & metu omni vacuus exultat ingenio petulanter, & malignum est variis modis. Utendum est autem oratione civili cum gravitate quadam: ita ut ab animi affectu proficiscatur, & simulata non sit, sed morata, velutique nativum dicentis ingenium exprimat auditoribus. Tales autem opiniones hujus fere generis omnes sunt, aut nullum esse numen, aut quamvis sit, non hoc tamen præditum esse affectu in genus humanum, ut ipsum inspi-*

*ciat*

*ciat & curet, sed relinqui id & negligi ab ipso. Etenim hujusmodi sententia semel recepta stultitiam injustitiamque gignit in hominibus, quanta non facile verbis exprimi potest. Quivis enim inobedientia plenus civili & reverenda, disciplinariis modis abutitur, ita ut prorsus ex animi sui affectu, nec ulla simulatione, de rebus loqui videatur, & oratio morata, ac veluti nativum dicentis ingenium ob oculos ponens, appareat. Ceterum legibus confirmabitur respublica si mixta fuerit, aut concinnata ex omnibus aliis, iis inquam, quæ non præter naturam se habent, sed secundum naturam. Nam tyrannidis nullus est usus civitatibus, & fere etiam oligarchiæ. Primum itaque regnum insertum esse oportet, secundo aristocratam. Est enim regnum res quædam ad divinam imitationem comparata, & ægre ab humano ingenio conservari potest, ut quæ cito per luxum & contumeliam immutetur. Quare non prorsus eo utendum est, sed quoad ejus fieri potest, & reipublicæ conducit. Aristocratia vero multo magis inferenda est, eo quod plures sint principes, qui se invicem æmulari solent, & imperium sæpius ab uno in alium transfertur. Democratia quoque omnino est necessaria, civem enim, qui totius reipublicæ pars est, non nihil ex ea honoris aut præmii accipere decet. Sed minime indulgendum est vulgo, quippe quod audax in agendo, atque præceps existat.*

## CAPUT XIV.

### *Ippodami sententia de vitæ brevitate ac felicitate.*

ET rursus Ippodamus ipse apud eundem Stobæum in sermone de vita brevi: „ Omnia sane mortalia propter necessitatem naturæ in „ mutationibus volvuntur, dum aut a meliori ad deteriorem statum „ transeat, aut contra. Res enim natæ augentur, auctæ vigent, cum „ viguere senescunt, & tandem corrumpuntur. Accidit autem corru„ ptio rebus a natura productis dum per ipsam naturam ad invisibi„ lem ejus terminum rediguntur, a quo rursus ad mortalem statum con„ veniunt per mutuas generationis & corruptionis vices, quæ ambitu „ reciproco talem circulum constituunt. Quædam propter humanam „ stultitiam præ luxuria & societate ferventem, interitum sibi accer„ sunt. Quin etiam familiæ & civitates magna felicitate turgentes, am„ plisque opibus abundantes, una cum bonis suis tantopere laudatis pes„ sum eunt. Ceterum usu venit omnem principatum tribus tempori„ bus circumscribi, uno & primo, quod spatium acquirendi continet, „ altero quod fruitionem, & postremo quod amissionem complecti„ tur. Primi nanque infelices sunt, qui congesserunt opes. Secundi vero „ felices facti eas amiserunt postea. Quæ igitur a diis gubernantur, „ cum naturæ sint incorruptæ perpetuo ab incorruptis rebus servari so„ lent. Quæ autem inter homines mortalia sunt mutatione semper va„ ria afficiuntur a mortalibus. Saturitatis enim, & petulantiæ finis est „ interitus: Inopiæ autem & rerum angustiæ humanæ vitæ probitas „

Et rursus idem Ippodamus apud eundem Stobæum in sermone de felicitate:,, Animalium quædam felicitatem capere possunt, alia non. Sunt
,, igitur ejus capacia quæcunque rationem habent. Felicitas enim sine
,, virtute non consistit. Virtus autem nascitur ex eo, quod rationem
,, habet primario. Non capiunt autem felicitatem, quæ ratione carent.
,, Nam ut quæ oculis carent, videndi nec præstantiam assequuntur, ita
,, quod ratione caret, nec opere, nec excellentia ratione præditi donatur. Ratio veluti organum est, cujus effectus est virtus, excellentia
,, autem felicitas. Porro ratione præditorum animalium quædam per
,, se perfecta sunt, & nullam aliunde opem requirunt, nec ut sint, neque ut bene sint. Talis sane Deus fuerit. Non sunt autem per se perfecta, quæ opis externæ indigent, qualis est homo. Rursus ex numero illorum, quæ non per se perficiuntur, quædam perfecta, alia imperfecta sunt. Perfecta quidem, quæ partim causas proprias, partim externas habent. Proprias ut quæ bonum ingenium & voluntatem secum adferant. Externas, eo quod bonam legum constitutionem,
,, & præfectos bonos accipiunt. Imperfecta vero, vel neutrum istorum,
,, vel alterutrum duntaxat habent, vel omnino pravum animæ affectum. Quales etiam homines nonnulli reperiuntur. At perfectorum
,, hominum discrimina duo sunt. Nam aliqui ipsorum Natura perfecti
,, sunt, alii genere vitæ. Natura perfecti, qui boni tantum sunt, idest
,, virtutem possidentes. Virtus enim uniuscujusque naturæ excellentia
,, & perfectio est. Oculi quidem virtus ejusdem partis naturæ præstantia
,, perfectioque est, hominis autem humanæ naturæ excellentia, necnon
,, perfectio. Ceterum genere vitæ perfecti sunt, qui non solum boni, sed
,, felices etiam fuerint. Felicitas nanque perfectio est humanæ vitæ, vita autem humana ex multis actionibus consistit. At felicitas actiones
,, absolvit. Nam omnis actio virtute aut fortuna duce fit. Virtus consideratur in ipso usu: fortuna in successu. Atqui Deus nec ab alio virtutem edoctus, bonus evasit, neque fortuna duce felix. Natura enim
,, bonus est, & natura felix. Talisque semper & fuit, & erit, nec unquam talis esse desinit, cum incorruptibilis, naturaque bonus existat.
,, At homo non est natura felix, sed, disciplina, & cura indiget:
,, nempe ut bonus fiat virtute: ut felix evadat fortuna eget. Quocirca
,, ex his duobus humana felicitas conficitur, laude, & beatitudine.
,, Hæc ex fortuna, illa ex virtute provenit. Virtutem igitur habent
,, homines propter divinitatis commercium: fortunæ vero prosperitatem, mortali ratione. Separantur autem mortalia a diis. Et idcirco
,, bonus vir, qui deos sequitur, felix est, qui mortalia infelix. Nam
,, prudentia prædito bona est prospera fortuna & utilis. Bona quidem
,, propter utendi notionem, utilis vero, quoniam actionibus confert.

,, Egregium itaque est, ubi fortunæ prosperitas prudentia ac menti
,, conjungitur, veluti secundis ventis currentem, & ad virtutem respicientem, ita actiones designare, sicut cum gubernator syderum intuens motus navigat, sic enim non modo Deum sequitur, verum
,, etiam bonum humanum ad imitationem divini instituet. Atqui &
,, hoc manifestum est, quod vitæ diversitas ex animi affectu & ipsa
,, actione oriatur. Ceterum affectus necessario aut bonus, aut pravus

,, fu-

„ fuerit, actio autem felix, aut infelix. Affectus bonus est, qui
„ virtutis particeps sit, pravus qui malitiæ. Actiones autem felices
„ quidem in prosperitate consistunt, ut quæ pro animi sententia eve-
„ niant. Infelices contra in prosperitate: frustramur autem eventu.
„ Quamobrem non solum discere virtutem oportet, sed etiam acquirere,
„ utique ipsa sive custodiendi, sive promovendi nos gratia, sive quod
„ maximum est, propter familiarum & civitatum emendationem. Re-
„ rum enim bonarum non solum possessionem, sed fructum quoque
„ habere convenit. Hæc autem omnia contingent, siquis civitatem
„ bonis legibus constitutam nanciscatur. Et hæc omnia ego amaltheæ
„ cornu nominatum esse dixerim. Nihil enim non est bonæ legum con-
„ stitutioni, sine qua maximum humanæ naturæ bonum neque gigni-
„ tur, neque natum & auctum durare potest. Hæc ipsa enim virtutem
„ & progressum, qui ad virtutem fit, complectitur. Quippe tum bona
„ ingenia ejus beneficio producuntur, tum mores, studia, legesque
„ fiunt optimæ, item rationes rectæ & æquæ, pietas, sanctimonia,
„ & reverentia. Itaque ille, qui felix futurus, & vitam suam bene
„ prospereque victurus est, ipsam in bona legum constitutione trans-
„ igat oportet. Quin etiam præter jam enumerata rei necessitas ita
„ fieri jubet. Non enim pars quædam est communionis, atque cum
„ illis profectus evadit, quibuscum non modo communicat, verum
„ etiam bene communicat. Nam sunt quædam quæ in pluribus simul,
„ non autem in uno fieri queant. Alia in uno duntaxat, non item
„ in pluribus. Nonnulla tum in pluribus, tum in uno: ac ideo in uno
„ quoniam & in pluribus consistunt. Harmonia enim, concentus, & nu-
„ merus, in pluribus essentiam suam habent, quippe nulla eorum pars
„ est, quæ totum absolvere possit. Felicitas autem & virtus animæ in
„ uno, & in pluribus extare potest, itemque in toto, & in omni, &
„ ideo in uno, quia pluribus etiam inest: & in pluribus, quoniam in
„ toto, & omni quoque existit. Totius nanque naturæ profectio sin-
„ gula etiam perfecit: & rursus perfectio singulorum, ipsum totum &
„ omne absolvit. Hoc ita consequitur quoniam totum natura præcedit
„ partem, non autem contra pars totum. Nam si non fuerit mundus,
„ neque sol erit, neque luna, neque erraticæ stellæ, neque fixæ. Mundo
„ autem existente illorum quoque partium singulæ erunt. Itidem se res
„ habet in animalium natura. Videlicet si non sit animal, non oculus,
„ non os, neque aures erunt. At si existat animal, statim & ista sin-
„ gula consistent. Porro quemadmodum se totum ad partes habet: ita
„ virtus etiam totius ad virtutem partis. Nam nisi harmonia & pro-
„ videntia divina mundus regeretur, non possent amplius in bono sta-
„ tu permanere, quæ in mundo continentur. Similiter si bona legum
„ constitutio in civitatibus non vigeret, nullus civium bonus aut felix
„ esse posset. Item nisi animal sanitate frueretur, non posset manus
„ aut pes validus & sanus esse. Nam harmonia mundi virtus est, feli-
„ citas civitatis, sanitas & robur corporis. Singulæ autem in ipsis par-
„ tes ad ipsum totum & universum referuntur. Oculi enim pro toto
„ corpore visum exercent: itemque reliquæ partes & particulæ propter
„ totum & omne constitutæ sunt „.

CA-

# CAPUT XV.

## *De Theano, aliisque Philosophis, Athletis, & Rhetoribus Thurinis.*

FUit & ex hac urbe Thurio *Theano* philosophiæ sectatrix Pythagorica, ait Suidas, filia Leophroni, uxor Caristi, sive, ut alii, Brontini Crotoniatæ Pythagorici. Scripsit de Pythagora, De Ippodamo Thurio cive suo, De virtute, Admonitiones muliebres, & Apophtegmata Pythagoreorum. Fuit & ex hac urbe *Eradoctius* historicus, cujus meminit Aristoteles libro tertio rhetoricorum. Fuit & *Cyromachus*, qui primus scripsit De philosophorum opinionibus. Fieri potest, ut Alexis, & Menander ejus frater, & Stephanus filius Thuriis nati sint, non Sybari, Thuriique dicendi, non Sybaritæ, nam Suidas ait: Alexis Thurius, Thurii Sybaris olim dicti sunt. Fuit & *Damon* athleta, qui, ut Pausanias in Lacon. & Æliac. & Arcad. ait, quater vicit stadio in Olym. scilicet anno secundo & quarto cl. Olymp. & anno secundo & tertio Olymp. cii. Fuerunt & *Euthydemus* & *Dionysodorus* fratres athletæ celebres. Quamvis Plato eos Chios fuisse putet, quorum sapientiam mirabilem esse dicit. Cui Plato ipse librum inscripsit, Euthydemum. In quo ita de eis scribit „ Euthydemus & Dionysodorus frater patria „ Chii, ut arbitror, ad Thurios migrarunt, qui in omnibus sapientissi- „ mi sunt & perfecti athletæ, & ad omne certandi genus potentes sunt, „ corpore primum pugnare maxime valent, & in eo genere pugnæ, „ quo omnia superantur. Armorum enim periti sunt maxime, & ar- „ morum peritos reddere, siquis mercedem det, etiam ceteros possunt. „ Deinde judicialem pugnam & ipsi tractare expedireque & unum- „ quenque instruere possunt, tum scribendis, tum perorandis causis. „ Et hactenus quidem horum duntaxat periti erant, nunc autem per- „ fectæ athleticæ facultati finem imposuerunt. Quod enim deerat cer- „ tandi genus, nuper sic assecuti sunt, ut nemo illis valeat reluctari, „ adeo dicendo valent, promtique sunt ad quodvis dictum seu factum „ reflectendum „. Hos infra Etesippus Thurios vocat." Itaque Plato sex Calabris viris libros inscripsit huic, & Hippyæ, Hipparcho, & Theætheto Rheginis, Timæo Locrensi, & Phelaugi Crotoniatæ". Fuit & ex hac urbe *Patrocles* poeta, cujus meminit Clemens Alexandrinus. Fuit & *Cephalus* rhetor, pater *Lysiæ* rhetoris, ait Joannes, Tzetzes, divitiis affluens, & nobilis, servator Atheniensium. Nam cum triginta tyranni Piræum occupassent, eos Cephalus bello superavit, quibus octingenta scuta ademit. Fuit omnibus oratoribus justior sine crimine, sed Athenienses in eum ingrati fuere. Nam ipsum mille drachmis multarunt." Ergo *Lysias* Rhetor Thurinus fuit, sed Atheniensis habitus, quod a pueris Athenis in literarum studia incubuit, oratoriamque artem exercuit, publiceque est professus, & pater ejus Atheniensium dux fuit, & fortasse civitate donatus. Quamquam Raphael Volaterranus homo Tuscus falso scribit Cephalum Syracusanum fuisse, & Ly-

fiam Athenis natum fed puerum jam in Thurios Coloniam migraffe rediiffeque annos natum quadraginta feptem. Irridet Cicero in Bruto Timæum Siculum hiftoricum quod Lyfiam Siracufanum fcribit. Vult attamen Cicero in Bruto Lyfiam Athenienfem fuiffe ". Fuit & Q. Manlius Thurinus Romæ Prætor.

## CAPUT XVI.

### *De Octaviano Augufto, ejufque genealogia. Nonnulla ad Hiftoriam Ecclefiafticam & prophanam fpectantia.*

Ex pago quopiam hujus urbis, Thurinæ inquam regionis (1) OCTAVIUS AUGUSTUS duxit originem. Cujus proavus reftio, avus argentarius, pater vero aftipulator fuit, Romæque vixit, Senatorque factus (*a*) Cæfaris fororem duxit uxorem, ex qua Octavium filium fufcepit. Tametfi quidam ipfum regia profapia ortum fuiffe contendant. Cum ipfemet ab equeftri familia originem fe habere ingenue fateatur. Suetonius enim ubi aliorum de Augufti origine opiniones fcribit, adjecit. „ Ipfe Auguftus nihil amplius quam equeftri familia ortum fe fcribit vetere ac locuplete, & in qua primus Senator pater fuus fuerit. Marcus Antonius ei proavum exprobrat reftionem ex pago Thurino, avum argentarium. „ Et paulo poft: *Infanti* (2) *cognomen Thurinus inditum eft in memoriam majorum originis, vel quod in regione Thurina recens eo nato pater Octavius adverfus fugitivos profpere rem geffit. Thurinum cognominatum fatis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æneam veterem ferreis ac pene exolefcentibus literis hoc nomine infcriptam, quæ dono a me Principi data inter cubiculares colitur.* Sed & a Marco Antonio in epiftolis per contumeliam fæpe *Thurinus* appellatur. Et ipfe nihil amplius quam mirari fe refcribit pro opprobrio, nomen prius fibi objici. Idem profcriptionis tempore ad ftatuam ejus afcriptum eft: *Pater Argentarius, ego Corinthiarius.* Cum exiftimaretur quofdam propter vafa Corinthia inter profcriptos curaffe referendos. Quod autem Suetonius in dubitationem adductum dicit, vel ideo Augufto Thurinus cognomen inditum eft, quod in regione Thurina recens eo nato pater Octavius adverfus fugitivos profpere rem geffit, neutiquam verum effe poteft. Non enim imperatorum ducumque liberis a devictis provinciis populifque cognomina indebantur, fed ipfimet imperatores ea fibi fumebant. " Quamquam Octavii pater non regionem Thurinam imperio fubegit, ut ab ea cognomen fumeret; fed in ea fugitivos regionem infeftantes delevit ". Neque Octavii pater a devictis fervis cognomen fumpfiffet, " alioquin fugitivum cognomen fumere oportuiffet, " cum neque M. Craffus, qui Spartacum vicit, fibi triumphum decerni poftulaverit, ut Plutarchus ait, quod perindignum effe videbatur de fuperatis fervis triumphare. Rurfum fi ei Thurinus cognomen inditum effet ob egregiam pa-

patris Octavii virtutem, quod adversus fugitivos in regione Thurina prospere rem gessisset, nequaquam Marcus Antonius id, necnon humilem & abjectam originem ei exprobrasset, eumque per contumeliam Thurinum appellasset, sed idcirco hæc ei exprobrat, quod in pago Thurinæ regionis ab humili, non a regia, aut vetere clara Romana familia originem traxerit. Cicero etiam in epistola ad ipsum Octavium ei generis humilitatem exprobrans, eumque Marco Antonio genere inferiorem, originemque ab argentario avo ducere, inter alia sic ait: *Aut quem accipient de suis posteris nuncium illi veteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? Quid de sua patria audient, quam spoliis, triumphisque decorarunt? An esse quendam annos xxiiii. natum, cujus avus fuerit argentarius, astipulator pater, uterque vero precarium fecerit quæstum? Sed alter usque ad senectutem ut non negaret, alter a pueritia ut non posset non confiteri. Eum agere, rapere rempublicam, cui nulla virtus, nullæ bello subactæ, & ad imperium adjunctæ provinciæ, nulla dignitas majorum conciliasset opem potentium, sed forma per dedecus pecuniam & nomen sceleratum impudicitiæ dedisset.* Et off. primo: *C. Octavius primus ex illa familia consul factus est, novus homo.* Optime quidem Cicero & M. Antonius Octavii originem sciebant.

In hoc Thurino agro colonia Latina deducta est. Ait enim Livius belli Mac. libro quarto: „ In exitu hujus anni Q. Ælius Tubero „ tribunus plebis tulit ad plebem, plebesque scivit, ut Latinæ duæ „ coloniæ, una in Brettios, altera in Thurinum agrum deducerentur. His deducendis triumviri creati, quibus triennium imperium „ esset. In Brettios Q. Hævius, M. Minutius Ruffus, M. Furius „ Crasipes. In Thurinum A. Manlius, P. Æmilius, L. Aprustius. „ Coloniæ quidem nobilia oppida deducebantur. Quare fieri potest, ut in agro Brettio Mamertum colonia deducta sit, in agro Thurino Besidia. Fuit Thurium sedes Episcopalis, sed ob urbis vastitatem in Rossanum translata est. *Theophilus* Episcopus Thurinus interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ. Et *Joannes* Episcopus Thurinus interfuit Synodo Romanæ sub Symmacho, & sub Hilario. Inter Coriolanum & Thurios (3) MAURUM civitas erat, quæ interiit, fuit sedes Episcopalis. *Lucianus* Episcopus Maurensis interfuit Synodo Romanæ sub Julio papa primo. Combustæ sunt & in his locis Græcorum naves a mulieribus Trojanis captivis, ut Lycophron in Alex. tradit ubi sic ait:

*Crathis autem monimenta videbit interfecti*
*E regione Alei Patarei templum.*
*Setæa misera, tibi autem ad petram mors*
*Manet infortunata, ubi compedibus vincta pedes*
*Miserrima ferreis expansis ulnis*
*Morieris, igne combures dominorum classem*
*Abjectam conquerens juxta Crathim*
*Vulneribus suspensam funestibus, corpus*
*Scopulus autem ille tuæ cognominis fortunæ*

*Pon-*

*Pontus prospicere dicetur* .

Super quibus verbis Isacius ait: „ Setæa mulier Trojana una e captivis suasit aliis Trojanis mulieribus ut naves Græcorum cremarent „ juxta Sybarim, eis commemorans mala, quæ pati debuissent si in „ Græciam ivissent. Quam Græci cruci affixerunt, & ad petras alliderunt, a qua petra Setæa vocata est. „ Et Lycophron illam Setæam vocat, quæ hoc consilium injecit. Item Euripides in Troadibus, de Eucuba Priami uxore loquens ait:

*Quæ proxime pertingunt terram*
*Ionium nautæ pontum*
*Quam irrigat pulcherrimus*
*Qui flavos crines facit*
*Ruffos Crathis fertilibus rivis alens*
*Quæ abundat fortibus viris*
*Fertilem faciens terram* .

Stephanus hanc circa Sybarim regionem *Setæam* vocat a *Setæa* muliere. Post Thurios *Sybaris* fluvius labitur.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Octavius Augustus* . Hæc Barrii argumenta non satis enodat Vir Cl. Alexander Borgia, qui in sua celebri Historia nititur Octavianum Augustum Veliternum facere Suetonium carpens, quasi minus accurate scribentem. Qui enim fieri potuit, ut Cicero, & M. Antonius hoc ignoraverint? Quin potius Augusto natalium ignobilitatem exprobrarunt. Dicere autem ex invidia aut malevolentia fecisse, vix crediderim. Cum itaque Cicero Antonium summam Imperii rem enixe cupientem sive callide antea foveret, sive timeret, teste Plutarcho in ejus vita, Augusti fortunæ invidens, cum aliter mordere non posset ignobilitatem objecit. Siquidem nec *novum hominem* appellasset si ex illustri Veliterna familia progenitum credidisset. Vide *Fulv. Ursin. in famil.* Neque id raro accidit in Imperatorum electionibus. Pertinax enim Imperator filius fuit cujusdam coctiliarum tabernam exercentis, ut ait Jul. Capitol. in Pertinace: *Pater ejus coctiliarum* idest lignorum coctorum *tabernam in Liguria exercuerat* .

2. *Cognomen Thurinus* . Vir Cl. Matthæus Ægyptius in sua celebri deBacchanalibus dissertatione putat gentile a *Thuriis* fieri *Thurius*, non *Thurinus* . Ex hoc levissimo fundamento conjicit cognomen *Thurini* Augusto inditum, ut Suetonius fert, non ad *Thurium* Calabriæ pertinere, sed ad *Turium* fluvium, qui sex mill. pass. a Roma distat, ac Livium lib. XXVI. testem adducit. Verum enim vero si optime advertisset, sane agnovisset Livium non *Turium*, sed *Tutiam* fluvium scripsisse, ut fert editio Aldina Venet. 1566. Quinimo Sigonius ipse in Notis non contradicit, ait enim: *Quid sit TURIA fluvius*

*sex millia passuum ab urbe distans merito mihi quaerere Glareanus videtur; neque enim ejusmodi nominis flumen apud quemquam extat. In vet. libris legitur TVTIAM, & recte; meminit enim ejus Silius ubi de hoc Annibalis itinere loquitur.* Sed & ipse Livius *Thurinum* a Thurio Calabriæ sexcenties usurpat. Satis autem mirari non possumus quare eruditissimus scriptor corrigendum censeat Plinium lib. 34. cap. non 4. sed 6. *C. Ælium Thurini statua & corona aurea donarunt.* Ubi pro *Thurini* substituendum vellet *Thurii*, cum ipse Plinius alibi *Thurinum* usurpet, nempe lib. 14. cap. 3. *In Thurinis collibus.* Et lib. 16. cap. 22. *In Thurino agro, ubi urbs Sybaris fuit.* Ovidius 15. Met. *Thurinosque sinus.* Et Cæsar bell. Civil. *Milo Pompejanus dux Cosam in agro Thurino oppugnare cœpit.* Quæ ad Thurium Calabriæ pertinere satis noscuntur. Ceterum si a *Thurio* non fit *Thurinus*, nec fieri poterit *Turinus* a supposito *Turio* flumine; eadem quippe ratio est, & analogia. Fulvium Ursinum quem laudat in Notis ad Dionysium Halicarnasseum non reperi, cum idem in lib. de Famil. auctoritatem Suetonii de Augusto quod *Thurinus* appellatus fuerit, non rejicit. Verum Ægyptius ipse Tristanum ibidem refert to. 1. commentar. histor. pag. 18. laudatum etiam a Vaillantio Num. ær. Impp. in Colon. in Julio pag. 4. putantem ad Thurium Magnæ Græciæ urbem pertinere nummum in quo capita Julii & Augusti visuntur cervicibus oppositis, & in adversa area navis Prætoria, sub qua scriptum, COPIA. Nec satis mirari possumus, quare Adolphus Occone, qui Imperatorum historiam per numismata concinnavit, quamque Franciscus Mediobarbus emendavit typisque vulgavit Mediolani 1730. nihil de Octaviani Augusti cognomine quod THURINUS sit appellatus, edisserat.

Fuit ex Thurio & *S. Telesphorus* Papa & Martyr, ut satis apparet ex lectionibus Breviarii nostræ Vaticanæ Basilicæ, ubi legitur: *Telesphorus, natione Græcus, patria Thuriensis in Magna Græcia.* Nec abs re adnotandum putamus, Deum Optimum Maximum sacrosanctum Filii sui Incarnationis mysterium sub duobus Thurinis maxime testatum voluisse. Equidem sub Augusto universum orbem describi mandante, ut habetur Luc. 1. natus est JESUS CHRISTUS, Dominus ac Servator noster, multiplicibus prænuntiatus prodigiis, nempe fonte olei ad Tabernam meritoriam, ubi nunc est insignis Basilica S. Mariæ trans Tiberim, jugiter scatente, de quo Vide historiam quam scripsit quantocius edendam Vir Cl. Petrus Morettus Romanus amicus noster, ejusdem Basilicæ Canonicus, disquisit. I. Sole in variis terræ partibus triplicato apparente, Capitolio fulminibus icto, aliisque actis per orbem portentis, ut passim scriptores apud Baronium occurrunt, quæ tamen a Suetonio in Augusti adulationem detorquentur. Sed & ipse Augustus sive a Sibylla sive a libris Sibyllinis edoctus verum mundi Regem ac Dominum quantocius nasciturum, oraculum Delphicum consuluisse dicitur, ac ab eo hæc responsa reportasse.

Me

*Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans*
*Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.*
*Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.*

Quare perterritus Imperator noluit amplius dominus appellari, quod non obscure notavit Suetonius num. 53. ubi infit: *Domini appellationem ut maledictum & opprobrium semper exhorruit*. Quinimo & aram in Capitolio *Primogenito Dei* erexit, ubi nunc est Ecclesia S. Mariæ in Ara Cæli, ut constans traditio est. Vide S. August. de Civit. Dei lib. 18. cap. 23. S. Thom. sive librum ei adscriptum de Regimine Principum lib. 2. cap. 16. Nicephor. lib. 1. cap. 17. Suid. verbo *Augustus*, aliosque. Sanctus Telesphorus quoque Thurinus alter hujus mysterii celebritatem impense auxit; nam in Nativitate Domini sanctum Missæ sacrificium ter, nempe media nocte, illucescente aurora, & hora tertia post Solis ortum celebrari constituit; ac præcepit, ut sacræ Liturgiæ hymnus Angelicus *Gloria in excelsis* adderetur. Hic a S. Ireneo primus martyr nominatur, ut observat Petavius Ration. temp to. 3. de succession. Romanor. Pont. Et verba Irenei adver. hæres. lib. 3. cap. 3. hæc sunt: *Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit*. Vide Anastas. Bibliothec. Platin. Ciacon. aliosque.

Fuit & *S. Dionysius* Papa & Martyr, quem omnes Græcum faciunt ex Magna Græcia. Ciaconius autem, Scipio Mazzella, aliique quamplures Thurinum dicunt, licet Rutilius Benincasa Consentinum faciat. Vide Anastas Bibl. cum notis. *Leonardus Cassianus* Episcopus Theramensis ann. 1693. MS. Mart. *Matthæus Reggio* R. C. Præses ann. 1473. Topp. *Carolus Selvago* Jurisconsultus, ac morum integritate clarus edidit librum *De origine, etymo, & præstantia Pandectarum* Romæ 1658. in 8. MS. Mart. *Galeatius de Angelis* in utraque lingua doctissimus. Topp. *Jo: Baptista Jardinus* scripsit quædam sermone Hispanico. Gesner. in Bibl. *Octavius Beltranus* edidit librum *Descrizione del Regno*. Neap. 1640. in 4. Topp. *Paulus* Minorita doctissimus Topp. *Pyrrhus Corradus* Protonotarius Apostolicus, Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ Canonicus, supremæ S. Rom. Inquisitionis generalis minister, & consultor, Jurisconsultus celebris, edidit librum, *Praxis Dispensationum Apostolicarum*; itemque, *Praxis Beneficiaria*. Obiit circa ann. 1636. Topp. *Scipio Cassianus* Jurisconsultus, ac in civitate Neapolis publicus Cathedraticus. MS. Mart. aliique non pauci. Thurii extat celeberrima Bibliotheca quam Tarsiæ esse mendose irrepsit ubi supra. In Diœcesi Rossanensi.

3. *Maurum*. In quodam diplomate Rogerii Comitis ann. 1104. apud Ughellium to. 9. vix pagi nomen obtinuit. Incolæ aufugerunt ob formicarum innumerabilium molestias. MS. Mart.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Cæsaris sororem duxit uxorem*. Octavius non ex sorore Cæsaris natus est, sed ex sororis filia Actia, quæ ex Marco Actio Balbo & Julia nata est. Octavii Pater non Juliam sed Actiam duxit uxorem. Sueton. in Augustum.

# CAPUT XVII.

## *De Castrivillaro, ubi de septem Martyribus Familiæ Seraphicæ.*

SUpra vero Thurios m. p. xii. (1) (*a*) *Castrivillarum* oppidum nobile est mediterraneum, non longe a Pollino monte, inter Sybarim & Lacanum amnes, *Aprustum* olim dictum, cujus meminit Plinius. Fuit autem ab Ausoniis, aut ab Oenotriis conditum, & ex *Syphæi*, & *Grumenti* ruinis auctum. Abest a mari m. p. xiiii. Hic nundinæ annuatim celebrantur. Texuntur panni frondinei nobiles. In hoc agro vina & olea clara fiunt. Fit (2) sesama, & gossipii copia ingens, legitur manna, nascitur cardus masticem fundens. Hic ab uno sociorum divi Francisci Assisini monasterium extructum est. In cujus æde beati *Petri* Cœnobitæ corpus quiescit. Huic monasterio adhuc divo Francisco superstite præerat DANIEL sanctæ vitæ vir. Hic & sex alii ejus socii, *Samuel*, *Angelus*, *Donnulus*, *Leo*, *Nicolaus*, & *Ugolinus* Christianæ fidei propagandæ desiderio accensi ad Ethnicorum regiones eo animo eunt, ut aut Christi fidem proferrent, aut certe pro ea mortem subirent. Itaque ab Elia tum totius ejus ordinis antistite decedendi sibi copia facta Ceutam Agarenorum urbem contenderunt. Atque in vico quopiam extra urbem institoribus Christicolis ab rege ad commorandum dato triduum Dei verba populo fecerunt. Quarta vero die altaris sacris rite ac religiose peractis Eucharistiæ viaticum ingenti cum veneratione sumunt. Daniel sociorum pedes abluit. Inde eos ad martyrium constanter subeundum roborat. Sequente vero illucescente die, quæ Sabbatum erat, sparsis super capita de more cineribus urbem subeunt, CHRISTUM JESUM per eam passim intrepide prædicant: in eumque solum credentes animarum salutem assequi posse audenter asserunt; Agarenorum ignorantiam simul & stultitiam arguunt, quod omisso vitæ fonte, & animarum salute Christo Jesu, idola surda & muta, quin etiam in eis dæmones, creaturas insuper ceteras uti deos colerent. Ceterum ab Agarenis ad regem trahuntur, atque ibi illusi prius probrisque aspere increpiti, quod talia prædicare auderent, verberibus inde ac plagis sæve afficiuntur. Quos rex contumeliæ gratia capitibus abrasis quæ Christi & animarum salutis sunt audacter loquentes cum conspexisset, fatuos opinatus, ferreis compedibus dies octo mancipari jussit. Inde ad se de integro adductos, si quæ dixerant, retractare, Christum abnegare, fidem suam apprehendere vellent percontatur, idque ut agant eis suadet. Illi vero quæ dixerant, acrius affirmabant, apertisque rationibus asseruerunt, servari posse neminem, quam qui in Christum crederent, & baptizentur. Rex ab integro remotis arbitris in penitiori domus loco eos sigillatim blande alloquitur, munera ingentia, si Christum abnegarent, spondet. At illi veri ac strenui Christi milites & athletæ cuncta parvi pendentes sua in sententia constantius perstitere. Quin etiam ipsum ad Christi fidem trahere nervis omnibus nitebantur. Quos tandem

dem impius rex, ubi se hilum proficere novit, mortis supplicio destinavit. Tum illi ad Danielis pedes procumbentes, pedes & manus illius deosculantur, atque Deo, tum illi quod se ad martyrii palmam duxisset, gratias agunt innumeras, ab eoque benedici postulant. Is vero illos amplexus, & osculis libans benedixit, & in morte pro Christi fide subeunda corroborat, inquiens: *Gratulemur, Deoque gratias immortales agamus, quod nos martyrii corona dignos effecerit. En Angeli nobis præsto sunt, cæli janua patet, hodie inter martyrum turmas in paradisi gloria erimus*. His dictis ibant omnes læti ad necem, ac si ad epulas. Jam certe ad veras & sempiternas epulas properabant. Obtruncati sunt a partu Virgineo anno M.ccxxi. ante beati Francisci obitum annis quinque. Quorum corpora mercatoribus Genuensibus & Pisanis collecta, atque inde postea ab rege Lusitaniæ in suum regnum delata sunt, & in Calimbria civitate jacent. Antonius quidam Papiensis cum hos irrideret, nocte insequenti sibi per soporem tristi aspectu, armis induti, minitantes visi sunt, atque horum alter arrepto gladio plagam illi in conxendice infigere videbatur.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Castrivillarum*. Aliis *Castrovillarum*, idest *Castrum villarum*; ex variis quippe oppidorum ruinis imp ense excrevit. Nunc vulgo *Castrovillare* pen.corr. Fuerunt hinc SS. Martyres a Barrio allati, qui tamen non omnes huc pertinent, quique antequam in Aphricam trajicerent paulo remotius a regione Filleni in unum confluentes ubi nunc dicitur *il Lago* in Ecclesia S. Mariæ Succursus agonem suum Domino commendarunt: tum cibo paulisper refecti maritimum iter lætantes arripuerunt. Fuerunt & alii viri celebres, *Philippus Jesualdus* Conventualis in utraque lingua doctissimus, doctrina & pietate clarus, ex Generali Episcopus Geruntinus anno 1602. multa edidit. Vide Topp. Ughell. Franchin. aliosque. *Petrus de Affatato* ex Episcopo Acciensi in Corsica Episcopus Minorinus ann. 1557. Ughell. *Joannes Calà* Episcopus Minervinensis anno 1472. Ughell. *Sixtus de Ignatiis* Episcopus Trevicensis anno 1521. Ughell. *Joannes Andreas Segnius* ex Episcopo Vigiliensi Episcopus Besidianensis ann. 1575. Ughell. *Carolus Peregrinus* Episcopus Avellinensis ann. 1672. edidit *Museum historico-legale*. Romæ 1665. in 4. & *de Officio Vicarii*. Topp. *Jo. Baptista Napita* ex Episcopo S. Angeli Episcopus Massanensis. Obiit ann. 1695. MS. Mart. *Bernardinus Calà* Pii IV. summi Pontificis ab honore sacri Cubiculi, Protonotarius Apostolicus ann. 1564. Calà hist. Suet. *Martialis Peregrinus* Conventualis doctissimus ex Archigymnasii Romani Cathedratico Archiepiscopus Nazarenus ann. 1677. Franchin. & Ms. Mart.

*Bernardinus Motta* doctissimus Clementis VII. a secretis quem Bembus, Ariostus, & Annibal Carus summis laudibus extollunt. MS. Gualt. *Carolus Calà* S. Collat. Consilii Regens emeritus, vir in Jurisprudentia, atque eruditione clarus, mul-

multa ſcripſit, quæ videre poteris apud Toppium, qui tamen patriam non indicat. Obiit Neapoli 1683. Hic edidit vitam Joannis Calà, cujus geſta inter fabulas recenſentur. Liber iſte S. Inquiſitionis decreto proſcriptus fuit ann. 1680. Vide Papebroch. & Indic. lib. prohibit. verb. *Libri*, *codices*, & *folia*. Fuit & *Carolus Muſitanus* Presbyter, edidit librum *La Navicella gramaticale* in 8. *Carolus* ejuſdem cognominis alter, Philoſophus & medicus diſertiſſimus, edidit quædam. Vide Flor. *Philippus Feuli* Conventualis eruditione clarus, ſcripſit de rebus Calabris. Franchin. *B. Joannes* Minorita, cujus corpus incorruptum Conſentiæ magna veneratione aſſervatur. Vading. *Joannes Franciſcus Branca* Philoſophus Teleſianus, multa ſcripſit MS. Gualt. Jo: *Maria Calà* in bello clariſſimus: alter Regius Auditor. MS.Mart. *Hieronymus Calà* Juriſconſultus ſcripſit *de reſtitutione in integrum*, & *de juriſdictione*. Vid. Topp. *Hieronymus Gaudeanus* Preſbyter, bonis literis inſtructus, ſcripſit quædam. Ms. Mart. *Hector de Guido* edidit librum *De viribus confeſſionis judicialis, & extrajudicialis*. Neap. 1637. in 4. Topp. *Marcellus Calà* Regius Conſiliarius ann. 1600. multa ſcripſit. Vide Topp. *Marcellus Galliotta* Juriſconſultus MS. Gualt. *Martialis Peregrinus* Conventualis Theologus celeberrimus interfuit Concilio Tridentino. Gonzag. *B. Michael* Capuccinus ſanctitate & miraculis clarus. Martyrolog. Franciſc. *Nicolaus Spanous*, Ferdinando Regi apprime charus, ac privilegio auctus Ms. Gualt. & Mart. *Virgilius Jannitellus*, Dux militum in Belgio. MS. Gualt.

Noſtris vero temporibus, *Paulus Stabile* ex Minimorum familia Epiſcopus Bovenſis. *Antonius Conſtantinius* ex eadem familia doctrina & pietate clarus, edidit librum *De Canonibus Apoſtolorum* Romæ 1697. *Vienna liberata* poema Italico ſermone concinnatum. Romæ 1699. aliaque. *Amadeus de Cæſare* Conventualis doctiſſimus edidit varia opuſcula, quæ videre poteris apud Eliam de Amato. Nuper opus edidit, *Hæreſeologia &c.* In Diœceſi Caſſanenſi.

2. *Seſama*. Idem ac *ſeſamum*; leguminis genus, ſemen habet vaſculis incluſum papaveris modo, guſtui ſuaviſſimum, vulgo *Giungiunella*, Calabris *Giurgiulena*. Vide Columell. lib. 2. cap. 7.

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(a) *Caſtrivillarum*, *Apruſtum olim*. Nihil minus. Verba Plinii nihil ad rem. Parrhaſius *Caſtrivillarium* appellat in Epiſtolis. Supra lib. 2. cap. 2. Vernicarium Apruſtum credidit Barrius.

CA-

# CAPUT XVIII.

## *De Cosa, Lagaria , & Grumento.*

UBI Castrivillaro cesseris tibique ad ortum proficiscenti (*a*) COSA civitas vetustissima occurrit edito loco ab Oenotriis condita, ait Hecateus apud Stephanum, *Cosanum* vulgus appellat. Distat a freto m. p. xii. a Thuriis octo in regione Thurina sub Thuriorum olim ditione. In qua bellorum civilium tempore Q. Pædius prætor cum legione Cæsaris in præsidio erat. Ait enim Cæsar bel. civilium libro tertio: „ Milo Pompejanus dux Cosam in agro Thurino oppugnare cœpit, eo „ cum a Q. Pædio prætore cum legione lapide ictus esset ex muro periit. „ Et Cælius profectusque, ut dictitabat ad Cæsarem pervenit Thurios. Ubi cum quosdam ejus municipii solicitaret, equitibusque Cæsaris Gallis atque Hispanis, qui eo prædandi causa missi erant, pecuniam pollicitaretur, ab his est interfectus „. Fuit Cosa colonia Romanorum, ad quam deducendam T. Quintius Flaminius princeps delectus est, ait Plutarchus in eo. Fuitque donata civitate Romana, ut Vellejus Paterculus libro primo prodit. Cosa, inquit, data civitas. Fuit & municipium P. R. ut Cicero in Verrem libro septimo ostendit: qui sæpe de P. Gavio municipe Cosano mentionem facit. Est Cosa sedes Episcopalis. De qua Joannes Joachinus Abbas in Esaiam inquit, „ Cosana Ecclesia quadriformis ac si cauda Calabriæ in cunctis suis sedi- „ bus conjicitur præcidenda præ meritis. Sed postmodum reparanda, „ ut eo flagellum gravius subeat, quo patientius interim ad fidei præ- „ mium expectatur, & si sub Aquila terra hæc insana consiliis malis „ æstuantibus undique concuti habeat, majora tamen dispendia perfe- „ ret, cum post illius occubitum levari non poterit a ruina „. Hanc urbem *Ejanus* fluvius adlabitur qui Racanello miscetur. Hic emporium in annos singulos celebratur. Subtus urbem specus est, in qua balnea extant non vulgaria. Ex ea duo manant fontes alter dulcem, alter sulfuream aquam scaturiens. In Cosano agro vina ac lina nobilia fiunt: legitur manna, fit gossipium & sesama, proveniunt cappares, vitex, terebinthus & siliqua silvestris. Nascitur magnesia lapis. Laudantur pepones. Est & ager hic herbidus pascendis armentis gregibusque accommodatus. Extant bubalorum, nedum bovum armenta. Ab urbe ad quartum lapidem *Racanellus* fluvius labitur, *Cylistarnus* olim dictus. Nomen retinet etiam num mons, ubi condam *Lagaria* fuit, quem *Cyrnistasum* vocant accolæ. Abest mons hic milliario a Cylistarno fluvio, a Cosa m. p. quatuor, a freto sex, a Thuriis decem. Fuit Lagaria civitas vetusta non longe post bellum Trojanum in hujus montis vertice condita, ubi aer salubetrimus viget. De quo Strabo libro sexto ait: *Post Thurios Lagaria est oppidum ab Epeo & Phocensibus ædificatum. Unde Lagaritanum vinum nobile, dulce, ac molle a medicis mirifice commendatum.* Item Athenæus ait: *Lagaritanum vinum tenue & optimum est, validum & densum.* Hoc vinum Plinius libro quartodecimo primum nobilitatis lo-

locum totius hujus tractus tenere scribit, cui Messalla salutem suam retulit acceptam, ut in Thuriis ostendimus. Ait quidem de Calabris vinis loquens: *Omnium vero eorum Lagaritana maxime illustrata Messallæ potu ac salute*. Stephanus hanc urbem propugnaculum esse dicit. Est porro locus ille ubi Lagaria erat, ut dixi, eminens, ac natura validum propugnaculum. Nunc hic locus vacuus est sine habitatoribus, & ob id circum vineæ non existunt. Sed non debent quidem tam felicia loca inhabitata, ac sine vinetis destitui. Hanc urbem Lagariam decantavit Lycophron in Alexandra. Ubi ait:

*Equi fabricator Lagariæ in ulnis*
*Hastam timens, & phalangem fortem*
*Pænopei filius Epeus fabre fecit ligneum equum,*
*Qui circa Cyrim, & Cylistarni aquam*
*Advena domos longe habitabit a patria.*

Super quibus verbis Isacius ait. „ Epeus equi fabricator Lagariam condidit juxta flumen Cylistarnum. Ferramenta autem dicavit in templo Minervæ, & Medeæ, qui juxta Cyrim & Cylistarnum hospes & advena inhabitavit „. Lagaria dicta est a Lagaride pastore ibi gregem pascente. Intus (2) *Grumentum* oppidum erat, Lagariæ conterminum. Plinius enim vina Lagaritana non procul a Grumento nascentia scribit: & alibi Grumentinos Lucanorum mediterraneos dicit, quod hæc loca Lucani, ut alibi dixi, Samnitum coloni incoluerint.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Cosa*. Vulgo *Cassano*. Vide Pinium lib. XXXV. cap. V. Liv. lib. XXXIII. Merulam lib. IV. cap. XIX. Civitas vetustissima multisque nobilitata familiis in codice Regio descriptis fol. 642. Fuerunt ex hoc loco S. *Eusebius* Papa & Martyr, ut puto. Omnes quippe Græcum faciunt, sed ex quo loco non indicant: nonnulli cum Ciaconio Casinianensem scribunt. Episcopi & Cives *Saxo* anno 1096. *Soffridus* ann. 1193. *Ugo* 1195. Vide Flor. *Joannes Papasiderus* anno 1348. *Joannes* Episcopus S. Marci anno 1349. *Petrus* ex Episcopo Cassanensi ad Ecclesiam Marsicanam translatus ann. 1339. Vide Ughell. *Constantinus Granitus* Philosophus & Medicus edidit quædam. Topp. *Jo: Hieronymus Dattylus* Jurisconsultus scripsit quasdam Tragœdias. MS. Gualt. *Petrus* minorita strictioris observantiæ sanctæ vitæ vir. Chron. MS. *Stephanus* ex Dominicana familia Theologus celeberrimus Neapoli publicus Cathedraticus ann. 1530. quem aliqui Magistrum S. Palatii Apostolici faciunt. Topp. *Vincentius* instituti Capuccinorum vitæ integer. Obiit ann. 1567. Chron. Nostris vero temporibus *Albertus Maria Ponterus* ex Dominicana familia edidit Librum *Vita di S. Vincenzo Ferrerio*. Neapoli 1735.

2. *Grumentum*. Nonnulli scribunt fuisse ubi nunc *la Saponara*, alii ubi nunc *Armento*; Orthelius ubi *Trebisacium*: alii alibi ponunt. Sed puto ex ejusdem & Lagariæ ruinis alia oppida vel extructa fuisse, vel aucta.

SER-

## SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Cosa Civitas*. De *Cosa*, seu *Cossa* Cæsar lib. 3. bell. Civil. & lib. 2. ubi legitur, profectum item Domitium ad occupandum Massiliam navibus actuariis septem, quas Sicilia & Sardinia privatis coactis servis, liberisque Colonis suis impleverat: legendum, *Siciliam*, & *Cosam*. Plin. lib. 2. c. 56. L. autem Paulo Cajo Marcello Consulibus lana pluit circa Castellum Carisanum juxta quod post annum occisus est Milo. Eodem etiam dicente, lateribus coctis in ejus anni acta relatum est: legendum potius *Cosanum*. Milonem siquidem constat dum *Cosam* in agro Thurino oppugnat a Q. Pedio ictu lapidum occisum; atque ita omnino habetur in Codice meo antiquissimo. Cic. lib. 7. in Verrem: Producam etiam *Cosanos* municipes illius ac necessarios, qui te nunc sero doceant judices, non sero illum P. Gavium Civem Romanum fuisse & Municipem *Cosanum*. Lips. var. lect. lib. 3. c. 19. Vid. Ascan. vid. Lact.

# CAPUT XIX.

## *De Querquario, Trebisatio, Levidonia, Amigdalaria, & Heracleopoli, ubi de Pomponio Læto.*

POST Lagariam (1) *Querquarium* oppidum est vetustum, olim (*a*) Arponium dictum, cujus meminit Diodorus Siculus. Sed an ab Ausoniis, an a Peucentio Oenotri fratre, qui hanc oram tenuit, an a Philoctete, an a Phocensibus, qui & in hac ora & in reliqua Calabria, ut ostendi, oppida condiderunt, conditum sit, compertum non habeo. Abest a Lagaria m p. quatuor, a Cosa octo. Juxta oppidum ex saxea quadam crypta, quæ est in radice Silari montis, *Caldana* fluvius oritur, *Cyris* olim dictus, cujus meminit Lycophron, hujus aqua sulphurea est. In hoc Arponiate agro gossipium fit, & sesama, & crocus, nascuntur cappares, fiunt & spectata vina, nascitur & sal fossile. In montibus silvestria animalia stabulantur, ut apri, cervi, capreæ, & alia, quæ sæpe in Apennino Calabriæ esse diximus, unde uberes venationes fiunt, congerunt & accipitres. Ad duos lapides *Saracenus* fluvius labitur: a quo ad secundum lapidem *Trebisatium* oppidum est vetustum, a Peucentio, aut a Philoctete conditum haud procul a mari edito loco, (*b*) *Vicenumum* Antonino Pio in itinerario, qui illud inter (2) *Heracleam* & Thurios ponit, distareque dicit a Thuriis m. p. xx. ab Heraclea xxiiii. Hic fiunt opera figlina. In hoc agro fit crocus & gossipium, nascuntur cappares, & pinastri frequentes. Supra est (3) (*c*) *Levidonia* oppidum & ipsum vetustum, Leutarnia olim dictum, distat a Vicenumo m. p. quatuor, a mari totidem, cujus meminit Lycophron in Alex. ubi ait: „ Multi vero Syrim circa & Leutarniam terram habitabunt „ : Super qui-

quibus verbis Isacius ait: „ Syris & Leutarnia civitates sunt & fluvii Ita-
„ liæ, quas incoluerunt reliquiæ Trojanorum, qui ex Ilio evaserunt
„ fugientes in Italiam „. Per hæc loca *(d)* Podalirius filius Æsculapii pugno ab Hercule interfectus est, & sepultus prope sepulcrum Calchantis, ut Lycophron & Isacius ajunt. Adfuit præsens Podalirius bello Trojano cum fratre Machaone, duxeruntque naves triginta, ut Dyctis Cretensis refert. Levidonensis ager frumenti & aliarum frugum ferax est, secus littus pinastri frequentes nascuntur. In hoc agro legitur manna, nascuntur cappares, fit & amygdalarum copia. Exinde est (4) *Amygdalaria* oppidum, abest a Trebisatio m. p. sex, a mari duobus, Heracleopolis olim dictum. Strabo enim ait: „ Post Lagariam Hera-
„ cleopolis est supra mare paululum „. In hoc agro vina & olea generosa nascuntur, & cappares, fit crocus, anisium, & cummum. Ex hoc oppido fuit POMPONIUS, LÆTUS, vir Latinis impense eruditus. " Mater ejus *Polla* vocabatur, hujus oppidi civis ex domo *Mella*, quæ familia adhuc extat; pater fuit hujus oppidi dominus". Licet Jovius Calabræ gloriæ, sicut & alii multi, invidens ipsum apud Picentes ex Salernitano principe ortum mentiatur. Viguit Romæ Pauli Secundi, Xisti Quarti, Innocentii Octavi, & Alexandri Sexti temporibus, & Latinas literas publice magna auctoritate & auditorum frequentia plures annos est professus. Crepusculo ipsum proficientem Romana juventus post gallicinium præoccupandis subselliis præveniebat. Ipse e Quirinali sæpe solus laternam præferens ad gymnasium proficiscebatur: qui licet in quotidiano sermone balbutiret, Latine tamen optime & eleganter loquebatur. Missus fuit a Rom. pont. in Germaniam ut veterum auctorum libros perquireret, unde multos Romam advexit. Fuit vitæ integer: scripsit compendium grammaticæ gravi stilo perutile adultis, & omnium Cæsarum vitas ad suam usque memoriam in compendium redegit: scripsit & de Romanorum magistratibus, & de sacerdotiis & jurisperitis, & de legibus." Scripsit & vitas Cæsarum ab interitu Gordiani junioris usque ad Justinum tertium, quos paulo antequam e vita decederet commendavit M. Antonio Sabellico, homini Sabino, patria Vocovarroni, cui cum benevolentia erat conjunctus, ut illius auditor Sabellicus ipse in vita illius scribit, qui præter cetera, sic ait: „ Ortus est Pomponius Lætus
„ in Calabris, quibus ademto Græcorum commento, nihil est tota
„ Italia simplicius. Clarum in Familia stemma, sed in quo tantus vir
„ non loco vili natus, ipse quod miror genesim suam semper in occulto
„ habuit, aut ex industria celavit, sed cur ignorasse credi potest, cum
„ a suis quandoque per literas & nuncios ad id missos multis precibus
„ domum accersitus, ut tantas necessitudines ignoraret, in hanc rescri-
„ psit sententiam: Pomponius Lætus Cognatis & propinquis suis salu-
„ tem. Quod petitis fieri non potest. Valete. „ Et rursus Sabellicus ipse inquit: „ Ubi puer, & a quo fuerit institutus, incompertum ha-
„ beo. Romæ quod satis constat, Petro Monopolitano aliquandiu de-
„ dit operam poetæ & oratori suæ ætatis clarissimo. Mox sub Lauren-
„ tio Vallensi tantum profecit, ut eo defuncto continuo in magna no-
„ minis celebritate esse cœperit, ut qui ex omnibus illis affectatori-
„ bus unus omnium prædicatione dignus haberetur, qui in defuncti
„ lo-

„ locum succederet. Itaque Romano gymnasio omnium favore collo-
„ catur, principemque locum ab initio adeptus duo ferme de triginta
„ annos (nescias majore gratia, an auctoritate) illum tutatus est. Nulli
„ maledixit aut detraxit unquam, ac ne fassus quidem est apud se alie-
„ nam dignitatem lucrari. Silentium in eo summum non pobantis quæ
„ temere alii mirarentur aut carperent. Susque deque ferebat quod
„ aliquis de se male opinaretur. Qua moderatione vixit omnibus charis-
„ simus: plerique antistites, ac supremi ordinis principes familiariter
„ hominem appellabant, juvabant & pecunia, aliisque muneribus Civili
„ seditione quæ in Xisti Pontificis tempore incidit, ejus domo temere di-
„ repta tam multa sunt hinc inde illi congesta ab amicis assertatoribus,
„ ut pene plura accepisse credatur, quam amiserit". Egit animam septua-
gesimum annum agens. Elatus fuit auditorum nobilium piis humeris,
comitante funus Alexandri Pontificis purpurata familia, ac Martio
oratore laudante. Tumulus multis elegiis ornatus est. Pontani epigram-
ma id est.

*Pomponi tibi pro tumulo sit laurea silva,*
*Ossa maris rores, myrrheaque umbra tegant.*
*Teque tegant, artosque tuos violæque rosæque,*
*Ver habeat, Zephyros spiret & ipse cinis.*
*Stillet & ipse cinis quas & Parnasus & antra*
*Thespia, & ipsa suas Ascra ministrat aquas.*

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Querquarium*. Aliis *Cyrclarium*. A Cyri flumine, quasi *Cyris clarus*, nomine ducto. Nunc vulgo *Cerchiaro*. Patria *Simonis Cervini* Parochi Ecclesiæ Collegiatæ S. Nicolai de Urbe ad Carcerem dicti. Hic edidit librum *Praxis moralis*. Vide Pignatell. to. 1. Consult. 98. Ex hoc loco etiam fuit *Thomas Gentili* Dominicanæ familiæ doctissimus ad nostram memoriam usque. In Diœcesi Cassanensi.

2. *Heracleam*. Ab Hercule nomine ducto, *Syris* Lycophroni. Creditur fuisse ubi nunc *Castrum novum*, Vulgo *Casal nuovo*. Hinc fuit, ut conjicitur, celeberrimus pictor *Zeusis* de quo Plinius lib. 35. cap. IX. *Zeusis Heracleotes*. Et cap. X. picturæ certamen Parrhasium inter & Zeusidem describit. Et paulo post ait: *Fertur Zeusis pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cum advolarent aves eadem ingenuitate processit iratus operi, & dixit: Uvas melius pinxi quam puerum; nam & si hoc consummassem, aves timere debuerant*. Fecit & figlina opera. Cumque ditissimus evasisset, opera sua donare instituit, quod ea nullo pretio satis digno permutari posse diceret: siquidem Alcmenam Agrigentinis, Panem Archelao donavit. Plin. ibid. *Zeusidis manu Romæ Helena est*. Hunc nonnulli ad aliam Græciæ Heracleam referunt, sed verosimilius ad hanc Heracleam pertinere videtur; depinxit quippe imaginem Junonis Laciniæ prope Crotonem ut supra ex Cicerone retulimus

mus: Nec ita facile acciri poterat ex alia Græciæ Heraclea. Fuit & *Dionysius* Heracleotes Philosophus, Zenonis auditor. Vide Cic. 2. Acad. 3. Tuscul. Patria item fuit *Matthæi Preti* viri doctissimi. Vide Sper. Heraclea autem a nonnullis dicitur *Pelicoro*. Aliis *Amendolara*, sed hæc *Heracleopolis*, non *Heraclea* fuit. Vide infra.

3. *Levidonia*. Vulgo *Alvidona* Patria *Chrysostomi* instituti Capuccinorum sanctæ vitæ viri. Chron. In eadem Diœcesi.

4. *Amygdalaria*. Vulgo *Amendolara*. Ab amygdalis quibus abundat ducto nomine. Hanc nonnulli Heracleam fuisse arbritati sunt, sed potius Heracleopolim puto ab Heraclea diversam ut ait Strabo lib. VI. Fuerunt hinc SS. *Magnus* Episcopus, *Grimoaldus*, *Aper*, & *Joannes* Presbyteri. Vide Paul. Reg. p. p. cap. 4, in Vita S. Irenei. Ferrar. in Martyrol. 8. Jul. Maurolic. in Martyrol. 6. Octob. *Julius Pomponius Lætus*, de quo Barrius supra, tametsi nonnulli Trebisatium repetant. Extat oratio Michaelis Ferni ad Pomponium Lætum in opere Joannis Campani post historiam Brachii, quæ incipit: *Dictatori perpetuo*, *Imperatori nostro maximo Pomponio Læto*, *Magistro Equitum &c.* Sed & *Julius Pomponius Lætus*, alias *Julius Pomponius Fortunatus*, & post mortem Pauli II. Mæcenatis sui *Infortunatus* dictus, idem est ac Pomponius Sabinus. Duas ex Rosa Alessa habuit filias, quarum una *Fulvia Læta*, altera *Melantho*, utraque eruditissima: Vide Jo: Jacob. Boissardum in suis Iconibus pag. 104. & 106. Memoires pur servir a l'histoire des hommes illustres, Parisiis 1731. pag. 223. ubi fuse de Pomponio Læto; tametsi patria non indicetur. Sepultus est in Ecclesia S. Salvatoris ad Laurum dicti, ubi extat epitaphium

*Hic jacet exigua Lætus Pomponius urna,*
*Cujus honos merito pulsat utrumque polum.*
*Lætus erat Romæ vates, sublimis & idem*
*Rhetor, nunc campis lætior Elysiis.*

Extat in Diœcesi Anglonensi.

## SERTORII QUATTRIM. ANIMADVERSIONES.

(*a*) *Arponium*. Legendum apud Diodorum *Hipponium* ut habetur in codicibus manuscriptis emendatissimis.

(*b*) *Vicenumum*. Nunc *Trebisazzi*. Ita & nostri Annales.

(*c*) *Levidonia*. Aliis *Alvidona* seu *Levidona*. Ita etiam appellatur a scriptore nostrorum Annalium. Alvidona creditur a multis Leutarnia, sed fidem meam non interpono. Ponit enim Lycophron Leutarniam prope Syrim, sed quæ sit non dum compertum habeo.

(*d*) *Podalirius*. Ex Isacio circa hæc loca pugno interemtus ab Hercule Podalirius & sepultus: quod mihi non arridet, cum ante bellum Trojanum Hercules excesserit e vitæ usu, nam saggittæ eo in bello expetitæ, quæ post ejus obitum erant penes Philoctetem. Podalirius autem ex Homero cum Machaone adfuit bello Trojano.

CA-

# CAPUT XX.

## *De Roſeto, aliiſque Oppidis, & Caſtellis.*

AB Amigdalaria m.p. quatuor (1) *Roſetum* oppidum eſt, haud procul a freto, cujus ager frugifer eſt, in quo crocus etiam fit, & amygdalarum copia, naſcuntur cappares, fiunt vina & olea nobilia. Poſt Roſetum *Acalander* fluvius labitur, qui olim Thuriorum & Tarentinorum agrum diſterminabat, ut in Strabone videre licet. Qui libro ſexto de Alexandro Epirotarum rege loquens ait: „ Alexander publi„ cum Græcorum conventum tractus illius Tarentinorum compul„ ſus odio ad Thuriorum agrum traducere conatus eſt, cum in „ Herculea Tarentinæ telluris æde illum celebrari mos erat, jubet „ ad Acalandrum amnem locum ædificari, ubi concilia forent. „ Supra (2) *Boletum* oppidum eſt, diſtat a Roſeto m.p. iiii. in cujus agro goſſipium fit, & crocus, & olei copia. Inde eſt *Cannæ* caſtrum cum generoſo vino, & optimi olei copia, fit & crocus, eſt & ager hic frumenti ferax. Supra Cannas ad unum lapidem *Nucara* oppidum eſt in cujus agro vina generoſa naſcuntur, ſunt & pecuaria pulcra. Inde eſt (*b*) *Riolum* oppidum ſupra ſaxum humili loco, cui circum imminent montes, abeſt ab Amygdalaria m. p. octo, a mari totidem: Cujus ager frugifer eſt, in quo ſpectatum vinum naſcitur, fit & goſſipium: eſt & *Caſtregium* vicus. Intus eſt *Noa* oppidum edito loco, diſtat a mari m p. quatuordecim, a Riolo octo. Ejus ager fertilis eſt, fiunt & vina nobiliſſima, & crocus, naſcuntur cappares, & antimonium, & ſilex, legitur manna, exciditur cos aquaria, & lapis molaris, frumentarius & olearius, ſunt & caſtaneta, & ſilvæ glandiferæ porcis alendis commodæ, quæ & gregibus armentiſque ubera pabula ſuggerunt, ſunt & ſilvæ, quæ ad domorum tigna, & ad navigiorum fabricam materiam uberem præſtant, ubi ſilveſtria animalia ſtabulantur, quare & venationes fiunt uberes, congerunt & accipitres multigeni. Sunt in hoc agro pagi *Cerſoſmum*, *Caſalenovum*, & *Conſtantinum*. Inde ad mare redeunti *Fabalium* oppidulum offertur, quod Syris fluvius præterfluit, hic goſſipium fit. Eſt & *Rotundula* vicus. Exinde eſt *Arocha* oppidum a mari m. p. duobus diſtans, cujus ager ferax eſt; fitque in eo goſſipium & ſeſama. Ab Arocha m.p. quatuor *Syris* amnis labitur Calabriam a Lucania dirimens a quo m. p. tribus *Metapontus* oppidum erat, quo tertiam Italiæ regionem finiri Plinius ſcribit. Hic Auſoniæ, Heſperiæ, Oenotriæ, & Italiæ quondam terminus erat. Hæc eſt proinde Calabria antiquiſſima ac feliciſſima regio. Hæ origines ejus, hæc nomina, oppida, atque gentes. Cujus una tantum urbs quondam ccc. hominum millia armavit.

Omnia Calabriæ oppida, omnes pagos aut, ſæpius dixi, Auxones, aut Oenotrii, Peucentiique, aut Athenienſes, aut Phocenſes, aut Philoctetes, aut alii Græciæ principes, aut ante, aut paulopoſt Ilii excidium condiderunt. Præter pauca, quæ ab hinc ſexcentos annos ex ve-

veterum ruinis excitata sunt, mutatis sedibus. Id insuper haudquaquam legentes prætereat, quod vina, olea, mella, lina, gossipia, serica, frumenta, ceteræque fruges, atque omnis generis poma, item fontes, aquarumque scaturigines, item pecuaria, pabula, venationes, aucupia, & hæc satis optima per totam regionem passim atque affatim fiunt. Ubique saluberrimus aer, & præclara virorum ingenia vigent. Sed de his particulatim mentionem fecimus, quæ aliis præstantiora videntur. Neque uno in loco manna legitur, sed vulgo prope. Metalla etiam ceteraque sponte nascentia, item plantæ nobiles multis locis proveniunt. Glandiferæ arbores, & castaneta, & silvæ ad domorum tigna, & ad navigiorum fabricam aptæ passim sunt. Hinc Græci cuncta uno verbo complexi eam appellaverunt Calabriam, quod bonis omnibus scaturiat. Quamobrem opulentes ac felices essent omnes incolæ si per regulos tyrannosque liceret. Hæc Calabriæ monimenta succisivis horis perfeci, ut meæ vigiliæ meique labores posteritati utilitati forent, & Calabro nomini laudis aliquid afferrent. Monitos velim & reliquos Italos meos, ut me imitantes suas regiones diligenter & accurate perscribant. Vitent ineptias, ac vera, ac gravia, ac laude digna perscrutentur. In investiganda antiquitate impigri sint & veraces. Nam si externi ac longinqui homines suas regiones Latinis literis celebrant, cur nos Latini, utpote in medio Latio nati, aut Latii accolæ nostram Italiam Latinis literis priscos imitantes non diligentissime celebrabimus? Moneo tamen etiam vos ne vobis curæ sit ingentia volumina magis conficere, quam bona, sint veritatis & veræ laudis plena. Non singulos quosque literatores, & aliqua doctrina imbutos, sed literatos, & scientiis eruditos celebrare. Ceterum, ut sic omnis Italia describatur, curæ esse debet ejus Optimatibus eruditos, & judicio præditos viros deligere, & muneribus adjuvare.

## THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

1. *Rosetum*. Patria *Rogerii* Regii Consiliarii, ut ex inscriptione, quæ extat Neapoli in Ecclesia S. Laurentii:

MUSEA DE NEAPOLI UXOR NOBILIS ROGERII DE ROSETO RATIONALIS REGINALIS ET PRINCIPALIS CONSILIARII, ET FAMILIARIS, QUÆ OBIIT ANNO DOMINI MCCCXLV.

Vide *Engen. Neap. sac.* In eadem Diœcesi.

2. *Boletum*. Aliis vulgo *Bollita*. In eadem Diœcesi.

# VIRI CLARISSIMI

## Incertæ Patriæ ad Calabriam pertinentes.

Sanctus *Calimerus* Martyr Episcopus Mediolanensis ex Magna Græcia a S. Telesphoro Thurino instructus, ut ex Codice Græco qui Messanæ asservatur. Vide Ughell. S. *Imericus* Episcopus Amerinus, quem

quem nonnulli Consentiam repetunt. Ughell. *S. Leo* Episcopus Calaber. Vide Arnald. Rayssium in hierogazophilac. impress. Duaci 1628. ubi ait: *Divus Leo Episcopus Calaber ex Græcorum nobilissimis progenitus, qui sede sua ab Othone secundo Imperatore præter fas pulsus in hoc Divi Laurentii cœnobio* (Ecclesiæ Leodiensis) *habitavit profugus, & mundi liberatus exilio, in crypta ante altare S. Dionysii sepulturam accepit anno millesimo, Notgeri temporibus*. Sancti Martyres *Hyacinthus, Quintus, Felicianus*, & *Lucius*. Vide Bed. Usuard. Galesin. 5. Januar. tametsi nonnulli Lucaniam repetunt. S. *Hilarius* Abbas cum sociis. Vide lib. 1. cap. XVIII. SS. *Nicander, Gregorius, Petrus, Demetrius, & Elisabeth*, Basiliani instituti, ut ex Cod. Græco Messanæ in Monasterio SS. Salvatoris asservato. Vide Rocc. Pyrr. to. 3. lib. 4. SS. *Joannes, Cyrillus, Phantinus*. Vide Agrest.

*BB. Blasius* I. II. & III. *Lucas*, I. II. & III. *Chrysostomus, Theodorus, Euthimius, Paulus, Cyrillus, Elias, Petrus, Antonius, Vlo*, aliique quamplurimi instituti Basiliani. Vide Agrest. *Cornelius* instituti Camaldulensis, de quo Arnaldus Vujon pa. pr. lib. 1. cap. 36. scribit: *B. Cornelius Calaber reclusus prædixit Pontificatum Pii* II. Vide Oldoin. in Ciacon. qui idipsum refert ex cod. Vaticano. *Columbanus* Abbas Monasterii Coratii ordinis Cisterciensis Chron. *Guido* Carthusianus aliique. Tutin. *B. Joannes* ex primis alumnis S. Dominici Ordinis Prædicatorum. Hic cum ex quæstu ab Urbe inopia laborante rediret, panem, quem unicum invenerat, Angelo stipem petenti erogavit, quod & S. Dominicus in spiritu vidit, & summopere lætatus est. Tum fratribus ad prandium vocatis, cum nihil manducandum haberent, duo Angeli panem selectissimum incipiendo ab inferioribus ministrarunt. Qui mos dapes ministrandi in memoriam tanti miraculi etiamum ab Illustrissima Religione Dominicana servatur. Obiit in Cœnobio S. Sixti circa ann. 1227. Vide S. Antonin. 3. p. tit. 23. *Jacobus Brunus* ejusdem instituti laicus sanctitate & miraculis clarus. Michael Pius p. par. lib. 1. & Theodor. a Valle pr. par. *Petrus* Minorita Chron. *Jacobus* Tertii Ordinis S. Francisci laicus in Palæstina a Turcis in odium fidei Catholicæ occisus ann. 1693. mense Julio. Gemell. to. 1. *Franciscus* ejusdem instituti sanctæ vitæ vir. Obiit Panormi ann. 1597. centenario major. Martyrolog. Francisc. *Vincentius Comitous* Carmelita. Samper. icnol. Messan. *Julius* & *Leo* instituti Augustiniani. Herrer. *Dominicus* Minorita strictioris observantiæ. Chron. *Pacificus, Antoninus, Matthæus, Eusebius, & Lucas* instituti Capuccinorum. Chron. *Jo: Antonius Puglisius* soc. Jesu adolescens, vitæ integer. Obiit Panormi VII. Id. Augusti 1551. tyrocinii sui mense tertio. Dan. Barth. in Ital. *Franciscus* Ord. servor. Matris Dei Archang. Giannel. *S. Bertholdus* sacerdos Calaber primus Generalis instituti Carmelitarum, qui ex revelatione Eliæ Carmelum cum aliquot sociis incoluit anno Christi circiter 1185. ut colligitur ex Itinerario Joannis cujusdam, cui titulus: *Joannes*

*nes sacerdos pientissimi Phocæ*, *filius Matthæi monachi in Patmo insula se exercentis*. Quodque Leo Allatius ex Græco Latinum reddidit, ac typis evulgavit. Vide Papebroch. in Epist. ad Innocentium XII.

*Andreas Rasceglia* scripsit quædam. Topp. *Catharina* una ex fundatricibus Monasterii S. Hieronymi Neapolis ann. 1434. Engen. & Ms. Gualt. *Ferdinandus Manardus* Dux militum. Vulgo *Ferrante Calabrese* MS. Mart. *Fulcus* Poeta Italico idiomate celebris. Allat. & Topp. *Gaspar Dragonettus* Siculus, origine tamen Calaber; aliis Calaber, origine Siculus, docuit Grammaticam præcipue Romæ in domo Cler. Regul. Paup. Matris Dei, Scholarum Piarum, inter auditores habuit Emmanuelem Alvarum Soc Jesu. Vixit centum viginti annos firmissima valetudine. Obiit circa ann. 1630. sepultusque est Romæ in Ecclesia S. Pantaleonis Scol. Piar. MS. Mart. *Georgius Fotinus*, scripsit Chronicon Venetiis cusum anno 1513. Vide Calà hist. Suecor. lib. 3. *Joannes* Dux militum in bello Aphricano sub Carolo V. Jov. Jo: *Baptista Fanellus* edidit quædam. Sper. lib. 4. *Goselmus*, qui Corpus S. Agathæ Virginis & Martyris Constantinopoli Catanam transtulit. Rocc. Pyrrh. to. 2. *Marcus Antonius* Conventualis doctissimus Gelt. in Vita Sixti V. *Marcus* Pictor celebris ab anno 1508. ad 1542. Engen. *Marianus* in bello clarissimus. Jo: Simonet. in Sfort. *Moratus* Architectus eximius, qui Corcyram Insulam a Barbarorum incursu tutissimam reddidit. Andr. Marmor. hist. Corcyr. *Octavius* Dux militum. Jov. *Pompejus Fanelius* Benedictinus eruditissimus edidit quædam Neap. 1586. Topp. & Nicod. *Quintus Calaber* Poeta celeberrimus, qui scripsit quatuordecim libros de rebus Trojanis ab Homero prætermissis. Hoffman. Topp. Aliique. Extat Consentiæ Codex MS. Consentini Anonymi auctoris Italice *Gerusalemme perduta*: Poema heroicum paulo post Torquati Tassi tempora satis eleganter concinnatum, ut supra diximus.

---

# ELENCHUS

## Urbium, Oppidorum, aliorumque locorum Calabriæ, quæ variis temporibus interierunt.

Aganum, sive Teganum, pagus in Valle Jordana: extabat anno 1296. Matthæo de Judice concessum, ut ex diplomate. *MS. Gualt.*

Alarum pagus fortasse Castriveti: extabat ann. 1469. Vide Ughellium.

Aleni, & Mentaphia pagi Scylacei. *MS. Gualt.*

Alexandria, alias vulgo *Torricella*. Vide *Engen*.

Alimena, Oppidum, ubi nunc Altilia. Vide quæ diximus de hoc oppido.

Alithea, fortasse urbs, a Friderico Im-

Imperatore extructa. *Anonym. apud Ughell. to. 9.*

Altanum, ex cujus ruinis extructum fuit Casignanum, quo itidem diruto Georgetum auctum est, ut supra diximus.

Altavilla oppidum in Calabria ulteriori. *MS. Mart.*

Alvianum oppidum, de quo fit mentio in quibusdam monumentis tempore inaugurationis Alphonsi Regis ann. 1445.

Ambrolianum in Calab. ulter. extabat ann. 1415. *Ammirat. super famil. de Andreis.*

Anomerium vicus Rhegii. *Polit. lib. 2.*

Antistalum, Robetum, Palacorium, aliique vici Styli. *MS. Mart.*

Arata, urbs non longe a Consentia, cujus meminit Malaterra lib. 4. cap. 6. sed ubi fuerit incompertum habeo: puto Malaterram errasse.

Aratum, Foca &c. vici Castroveti. Vide Flor.

Arcavata, Arinthæ vicus. *MS. Mart.*

Argentina, oppidum in Calab. citer. Vide Constum.

Arnarum, Coriolani pagus. *MS. Mart.*

Arocha oppidum, ex quo extructum est Setigianum, quod vide. Sed variæ fuerunt Arochæ, quas vide suis locis.

Arsaffia, aliique vici monasterii S. Stephani *ad Boscum* dicti *MS. Mart.*

Aruncum oppidum in Calab. ulter. ex cujus ruinis Montipaonum, ut fertur, extructum est. Videquæ supra diximus.

Asmundum, & Valentinum pagi in agro S. Marci extabant an. 1309. *Lell. super famil. Samblasia.*

Asquitimum & Poriellum inter Crathidem & Cochylem amnes *Ughell. to. 9.*

Avellanum in Calab. ult. extabat ann. 1200. *Rocc. Pyrrh.* to. 2.

Baldanum aliaque loca in Calab. ulter. sub ditione Jordani Ruffi. Vide *Prignan. super famil.*

Barbarum in Calab. ulter. Vide *Flor.*

Batticanum, & Battipedonum pagi Crypteriæ *MS. Mart.*

Badinum pagus Cerenthiæ. MS. Mart.

Borrellum pagus non longe a Consentia ann. 1274. *Aldimar.* to. 3.

Bracadum pagus Terræ novæ in Calab. ulter. extabat. ann. 1586. ut ex archivo Episcopali Miletensi.

Brachium, pagus prope Picium. *Ex eodem archivo.*

Bradum & Vilicatum prope Maranum & Filum. Extabant ann. 1271. Erantque sub ditione Archiepiscopi Consentini *MS. Gualt. & Mart.*

Brilianellum Crotonis pagus *Nola cap. 10.* Nuper reædificatum, & *Aprilianellum* vocitatum.

Brutianum, vulgo *Brussano* Cerenthiæ vicus. *MS. Mart.*

Brutianum vetus & Platanicum pagi in Calab. ulter. *MS. Gualt.*

Burgum novum, oppidum prope Crotonem a Jordano Ruffo extructum. *Prignan. sup. fam.*

Burgum Racanellum in Calab. citer. Jordano & Bertholdo Columnæ a Carolo I. concessum. *Tutin. de Comestab.*

Butteria, urbs ab Afris destructa, ut fertur, in agro Stylensi, ubi ruinæ invisuntur. *MS. Mart.*

Calabroum oppidum, unde vicus Altilia supra Neæthum fluvium, ubi

ubi nunc est Monasterium Cistercense. *Laur.* cap. 11.

Calamitium vicus in Calab. ulter. anno 1562. æstu maris dissiluit. *Polit. Chron.* Rheg.

Galdana in ditione Cassanensi. *Ughell.*

Camers pagus in ditione Miletensi, de quo fit mentio in diplomate Rogerii Comitis, ut in archivo Collegii Græci de Urbe.

Campolum pagus Castriveti. *Engen.*

Capperanum & Mossutum vici prope Quinquefrondium. *Flor.*

Carbonaria pagus Terrænovæ in Calabria ulter. ubi fit emporium *MS. Gualt.*

Carcesium pagus in Valle Crathidis. Extabat anno 1237. *MS. Gualt.*

Carcinium, aliis Cecinium de quo supra ubi de Satriano.

Carina civitas Episcopalis, cujus Ecclesia Rheginæ adjuncta fuit *S. Gregor. lib.* 5. *indict.* 14. ep. 9.

Carna, pagus in ditione Ecclesiæ Miletensis circa ann. 1207. ab Ansuso Comite solo æquata. *Innoc.*III. *to* 2.*lib.* 10 *Epist* 112.

Carolovacia, & Cromitum prope Crepacorium. *Topp.*

Carrotianum in Calab. ulter. *Prignan. sup. fam. Ruffo.*

Carthopolis cum aliis vicis Angitolæ *MS. Mart.*

Casale de Corea prope Rossanum. *Ughell. to* 9.

Casale, vulgo, *del Conte* in ditione monasterii S. Stephani *ad Boscum* dicti. *MS.* Mart.

Casale vulgo de *Faito* in Calab. ult. *MS. Mart.*

Casalenovum vicus Brutiani. *Flor.* Aliud ejus nominis, vicus Angitulæ. *MS. Mart.*

Casalenovum pagus Terrænovæ in Calab.ulter. *MS. Mart.*

Casanagia oppidum sive pagus ut ex regestu Baronum anno 1445.

Casavetere, pagus Castriveti. *MS.* M*art.*

Cassaclusa in Calab. ulter. *Mart.* & *Prignan. sup. fam. Ruffo.*

Castilionum pagus Rogiani. *MS. Mart.*

Castromarium, vulgo *Castell' a mare*, in Calab. ulter. *Ammirat sup. fam. de Andreis.*

Castrum de Crocha in Valle Crathidis extabat ann. 1503. *Topp.*

Castrum de Crocheta, vicus Castrivillari. *Flor.*

Castrum de Zapilo, ex regestu. Baronum ann. 1445.

Castrum Mileti ex cujus ruinis exstructum fuit Gemilianum. MS. M*art.*

Catona civitas ab Attilæ exercitu solo æquata, ut ex Chronicis Hungaricis Joannis de Thurocz. par. 1. cap. 21. ubi ait: I*nter hæc* R*ex Attila magna ex parte sui exercitus cooptata, præficiendo illi Capitaneum Zovvard de genere Zovvard oriundum illum in Apuliam destinavit: qui omnem Apuliam, nec non Terram Laboris pariter & Calabriam usque ad regionem & civitatem Catonam, olim a Catone Philosopho, ut dicitur, fundatam percursitates demoliti sunt: magna quoque cum præda ad Regem redierunt.* Erat prope Rhegium ut ex *MS. Gualt.*

Cephalinum inter Rossanum & Acram. U*ghell. to* 9.

Cithara in Calab. ulter. *Tutin.*

Clamista pagus Francicæ interit præt. secul. MS. M*art.*

Clau-

Clausura Filleni pagus, ubi nunc vulgo dicitur S.*Angelo delle Chiusure* prope Cellaria. In diplomate Guillemi II. Regis anno 1188. mense Januarii Monachis S. Benedicti conceditur; inter alia enim hæc leguntur: *Item in earum Parochiis prope Philanum* (Fillenum) *Ecclesiam S. Angeli cum Casali quod vocatur Clausura cum villanis, & possessionibus suis a quondam Rhodulpho Maledamo nomine datis, cum Cœmeterio, baptismate, & Confessionibus perpetualiter habere concessit.* Vide Rocc. Pyrrh. to. 3. not. 3.

Clistum non longe a Vatono pago in ditione Miletensi. Extabat anno 1586. ut ex archivo Curiæ Mileten. fol. 753. Proventus Parochiæ in Beneficium Simplex cesserunt quo nos in Ecclesia Calatrensi insigniti sumus.

Clium prope Tropæam: *Maras.* lib. 2. cap. 18.

Coccipadonum vicus Christinæ in Diœcesi Oppidensi, interiit præter. secul. *MS. Mart.*

Collurum pagus Rhegii MS.*Mart.*

Columba oppidum in eadem Diœcesi. *MS. Mart.*

Conetum, aliique pagi Brutiani. *MS. Gualt.*

Contum in agro Scylacensi extabat ann. 1269. *MS. Gualt.*

Copinum Consentiæ pagus prope Aprilianum, ut ex actis mensæ Capitularis & *MS. Mart.*

Corium prope Siberenam extabat ann. 1115. *Vghell.*

Cossojeranum vicus Montileoni extabat anno 1586. ut ex archivo Miletensi.

Cota oppidum prope Brutianum extabat ann. 1279. *MS. Gualt.*

Crastum prope Sybarim. *Baudrand.*

Crepacorium in agro Rossanensi extabat ann. 1198. *Vghell. to. 9.*

Crosonum, vicus Oppidi interiit secul. præter.

Cursanum oppidum in agro Stylensi ubi nunc *Botteria.* Vide *Flor.*

Curtaldum in Diœcesi Miletensi extabat ann. 1586. ut ex archivo illius Ecclesiæ.

Decitum oppidum in Calab. ulter. extabat ann. 1480. *Topp.*

Deodatum Consentiæ pagus anno 1320. Vide *Samblas.*

Fabatum in Calab. ulter. ann. 1311. *Campanil. & Aldimar. sup. fam. Sanctacrucia.*

Fenicium inter Bovam & Sagram fluvium. *Magin.*

Ferlitum Consentiæ pagus, ut ex diplomate Guillelmi II. de quo supra in verb. *Clausura.*

Fichiadum in Calab. citer. extabat ann. 1292. *MS. Gualt.*

Galatrum in Diœcesi Cassanensi. *Vghell.*

Ghilena pagus in Diœcesi Miletensi supra Calatrum in monte ubi dicitur *Sfarà* pertinet ad Abbatiam SS. Salvatoris Calatri de qua supra. *MS. Mart.*

Gitium oppidum in Calab. ulter. *Janfrid.* lib. 1. cap. 33.

Græca Pedacii vicus ubi nunc dicitur *il Petrone*. MS. Mart.

Guardiola Arinthæ vicus. *MS. Mart.*

Guillamatum in Calab. ult. *Janfrid. Malaterr.* lib. 1. cap. 33. & 34.

Inciphola oppidum in Calab. ult. *Janfrid.* lib. 1. cap. 20.

Ipinum in Calab. cit. ex Itiner. Antonini.

Itona prope Neocastrum. Vide *Maraf. & Flor.*

Labonia, seu Lugonia Rossani pagus. *Ughell.* to. 9.

Lamentinum in Calab. ult. *Rocc. Pyrrh.* Gualterius in MS. Lentinum appellat.

Leonia, vulgo *S. Leone* inter Siberenam & Crotonem civitas Episcopalis Siberenæ adjuncta circa ann. 1540. Vide *Ughell.*

Leonatum, & Turturella pagi Mesoreacei. *MS. Mart.*

Lucitum vulgo *S.Lucito* oppidum in agro Joanni vulgo *Motta di S.Giovanni* interiit præt.secul. *MS.Mart.*

Lusitana civitas Episcopalis cujus Episcopus Joannes a S. Gregorio ad Scylacensem Ecclesiam translatus est anno 598. Vide *Flor.*

Mambricum pen. br. pagus Philocastri ubi nunc *Mafrica*. Vide *Samblas.*

Mandaranum pagus Terrænovæ in Calab. ulter. anno 1452. MS. *Gualt.*

Maralphum Geoliæ pagus extabat anno 1327. MS. *Gualt.*

Marathea, Marina, & Nicolaum vici ad mensam Umbriaticensem pertinentes. *Ughell.*

Massanova oppidum prope Isulam MS. *Mart.*

Mellisium inter Mamertum & Altiliam extabat anno 1445. ex regesto Baronum.

Mandonia urbs inter Crathidem & Cochylem fluvios extabat anno 1122. ut ex diplomate. Vide Ughell. to. 9.

Mercurium pagus in valle Crathidis. *MS. Gualt.*

Mesa Civitas Episcopalis prope Rhegium ubi nunc vulgo dicitur, *La coltura dell' Imperatore*. Extabat anno 1292. *Golt. & Ughell.*

Metum de quo Antoninus in Itiner. Paternum inter & Targinem. Nonnulli autumant *Casuonum*. Fortasse oppidum ubi nunc *Rocca di Neto*.

Misianum Consentiæ pagus extabat ann. 1184. ut ex actis mensæ Capitularis.

Modium Consentiæ vicus, ut ex act. mensæ Capitul.

Monacheria vicus prope Zagarisium. *MS. Gualt.*

Montaldum prope Tropæam. *Aldimar.* to. 3.

Montijordanum in Calab. citer. *MS. Gualt.*

Mota Dipiniani, Consentiæ pagus interiit ex terræmotu ann. 1638. *MS. Mart.*

Narancium oppidum prope Scaleam *Janfrid. Malater.*

Neptunia civitas prope Scylaceum. *Magin.* Claustra Neptunia *Ferrar.* Rhegium quoque Neptunia appellatum est.

Nucium Vicus Luciorum, ubi nunc dicitur, *Castel di Noce*. MS.*Mart.*

Orestes, Ughellio to: 9. civitas Episcopalis; sed fuit sinus inter Taurianum & Palmam, nunc *Ravagliofo*.

Palæopolis Civitas in sinu Scylacensi quam nonnulli confundunt cum Peripoli. Vide supra in *Amygdalia*

Palæcastrum prope Turturam ad mare, de quo supra lib. 2. cap. 2.

Pandaranum in Calab. ulter. extabat ann. 1445. ut ex regestu Baronum.

Pa-

Paparonum, prope Cutrum, ubi vulgo *Torre di Paparone*, nunc Feudum rusticum familiæ Oliveriæ.

Petrolum Seminariæ vicus ubi nunc *Il Passo*. MS. *Gualt.*

Portunnum, pagus prope Syllanum, extabat ann. 1445. ut ex regestu Baronum.

Pratum aliique vici prope urbem S. Marci. MS. M*art.*

Puccinum Siberenæ vicus extabat ann. 1295. *MS. Gualt.*

Pullianum vicus Paterni, ubi nunc *S. Maria di Pugliano*. MS. Mart.

Riparussa oppidum Chariatum inter & Petram Paulam extabat anno 1445. ut ex regestu Baronum.

Ruphranum in Calabr. ulter. extatat ann. 1445. ex regestu Baronum. Vide supra.

Sabucum castrum in Valle Crathidis extabat ann. 1270. Aldimar. sup. famil. S*erisalia*.

SS. Amatus in Diœcesi Cassanensi, Anastasius, Petrus, aliique vici Grimaldi. Antonius pagus Mamerti. Apollinaris vicus monasterii S. Mariæ de Patirio. Agnes in Diœcesi Scylacensi ubi est Feudum ejusdem nominis. Barbara pagus Bellimonti. Basilius pagus Castroveti. Blasius pagus Strongylis. Brancatus aliique vici Rogiani. Clara aliique vici Angitulæ. Christina vicus Mamerti. Cyrillus pagus Rhegii. Dominica vicus Castrivillari, alter ejusdem nominis vicus Ciri, alter S. Marci ubi nunc dicitur *Felice*. Donatus vicus Polystinæ. Georgius aliique vici Rossani. Hippolytus vicus Mamerti. Jacobus aliique vici Campanæ. Joannes de Menagio oppidum interiit anno 1630. inter Cutrum & Paganicium. Alii ejusdem nominis vici Martini, Castrivillari, Campanæ, Rossani & Crypteriæ. Julianus pagus Rhegii, alter Cetrarii. Laurentius pagus Campanæ, alter Castrivillari. Leo pagus S. Euphemiæ, alter Terrænovæ prope Geoliam. Marcus & Martinus vici Castriveti. Martinus alter Philocastri, alter Consentiæ. Maurus de quo supra. Michael vicus Cetrarii. Nicolaus pagus Mamerti, alter Buchilierii. Petrus vicus Grimaldi, alius Buchilierii, alius Rossani alius Campanæ, alius Longoburgi. Polycarpus vicus Briatici. Stephanus pagus Siberenæ, alter vicus Grimaldi. Theodorus in Calab. ulter. extabat ann. 1442. Venera in Calab. ulter. Victor in Calab. ult. extabat ann. 1499. Vide *Ughel. Mazzell. Engen. Alber. Aldimar. Petr. Vincent.* aliosque.

Sbestum pagus Castrivillari. *MS. Mart.*

Scaldifecum in agro Rossanensi. M*azzell.*

Scutia pagus Cerenthiæ ubi nunc est arx vetusta. MS. M*art.*

Seminarium vicus prope Mamertum. MS. M*art.*

Serronum in Calab. cit. M*azzell.*

Solanum oppidum inter Scyllam & Balneariam. *MS. Mart.*

Spilinga pagus Castriveti MS. M*art.*

Stillitanum in Calab. ulter. MS. M*art.*

Strongyletum vicus Crotonis. *Campanil. sup. fam. Galeota.*

Terrata vicus prope Neæthum fluvium monasterio Florensi concessus anno 1220. ut ex diplomate.

Ti-

Tigasium oppidum in Valle Crathi. dis,extabat ann. 1269. MS. *Gualt.*

Titum Styli pagus. MS. *Mart.*

Troja urbs in sinu Tarentino inter Acyrim & Syrim amnes. Vide Strab. lib. VI.

Thuchium inCalab.ulter.*Rocc.Pyrrh.*

Turlocum in Calab.citer.extabat ann. 1269. *Campanil*.

Vallemontum in Calab. cit. prope Paludum MS. Mart.

Venerà pagus prope Consentiam ubi nunc dicitur:*Li Veneri.*Anno1250 erat sub dominio Roberti de Archis. Vide Anonymum de gestis Friderici Imperatoris lib.3. par. 2. Ughell. to. 9.

Verdoum pagus in Calab. cit. sub ditione monasterii Florensis *MS. Mart.*

Zurgundum pagus Oppidi *MS-Mart.*

*Reliqua urbium, oppidorumque dirutorum nomina, de quibus in hoc opere agitur vide suis locis. Equidem nonnulla loca superius adducta, & ab auctoribus vici, castraque appellata, prædia rustica fuisse par est conjicere.*

*De Monasteriis, quæ exciderunt, vel suppressa fuerunt, quæque in Commendas cesserunt, vide LUBINUM*

## SERTORII QUATTRIMANI ANIMADVER.

(*a*) *Rosetum.* Nonnullis *Ruscia* quod verum est.

(*b*) *Riolum*. Quidam Germanus *Aureolum* olim dictum fuisse contendit, sed nullo Auctore.

# ADDENDA

## AD THOMÆ ACETI ANNOTATIONES.

Pag. 84. *Bernardinus Telesius.* Vide Bacon. de Verulam. Philos.

Pag. 86. *Alexander* Merenda. Extat inscriptio Romæ in Ecclesia S. Mariæ in Ara Cæli.

D. O. M.
ALEXANDER MERENDA
CONSENTINUS, CIV. ROM. QUI
SUB PAULO QUARTO ET PIO V.
DUX MILITUM TERRA MARI-
QUE FELICITER PRO ECCLESIA
CERTAVIT HANC SEPULTURAM
SIBI ALEXANDRÆ UXORI
POSTERISQUE COMPARAVIT
OBIIT ALEXANDRA MDXLV.

Pag. 96. Sertorius *Quattrimanus.* Hæc de eo Lambinus in lib. 1. Satyr. Horatii X. *Reperti sunt in Brutiis versus aliquot hujus Cassii Parmensis non ita pridem a Quadrimano quodam erudito juvene.*

Pag. 98. *Joannes Baptista Salernus*. Vide Petr. Polidor. De Vita & Rebus gestis Clementis XI.

Pag. 295. *Cutrum*. Ex hoc loco etiam fuit *Catharina Ganguzza* miræ pulcritudinis virgo, quæ a Turcis capta, & Sultano tradita, nequidquam adduci potuit, vel imperii spe, ut quam Deo voverat, virginitatem amitteret. Quare iratus Sultanus illam occidi jussit. *Innocentius Paganus*, & *Andreas Ganguzza* Regii Consiliarii. *Michael de Flore* Soc. Jesu doctissimus. Ut ex mem. MS.

AD-

# ADDENDA.

## AD SERT. QUATTRIMANI ANIMADVERSIONES.

Lib: II. Cap. II. *Batum* non eſt *Abate Marco*.

Ibid. *Sinus Velinus Eleus Phocentium idem eſt*. Clauditur inter Promontorium Pyxuntem, & Promontorium Palinurum in quo erat portus Parthenius & alii, unde Virgilius: *Portuſque require Velinos* numero purali, cum multi ibi ſint portus, 64. ſtad.

Lib. II. Cap. XVII: *Taurianum urbs* a quo oppido piſcem quemdam nomen ſumſiſſe Athenæus lib. 6. refert. Contradicit Hermolao, qui in Annotationibus Plinii lib. 32. cap. 7. a Thuriis oppido dictum putat. Vide Athen. & Strab. Hippolytus Salvianus lib. de piſcibus ita inquit: *Xiphius*, *Xiphia Plinio*, *ideſt gladius ab eodem Tomus Thurianus ut emendavit Barbarus*; ſed falſus eſt, nam legendum Thynnus Terinæus, quem alii Xiphiam vocant. Vaticani codices legunt Tomus Thurianus, & Taurianus, & Thynnus Trannus, quem alii Alixippiam vocant. Judicent nunc eruditi quomodo legendum ſit apud Plinium.

*Tomus Thuriann*s fruſtum eſt marini canis, ut Hermolaus ex Athenæo auctor eſt.

*FINIS.*

PRI-

# PHILIPPI IV.
# DEI GRATIA REGIS
# PRIVILEGIUM

## *Perpetui Realis Demanii Fideliſſimæ Civitatis Conſentiæ, ejuſque Fideliſſimorum Caſalium; cui accedunt ipſiuſmet Regis Literæ, cum inſerta Sententia Supremi Italiæ Conſilii pro eodem, &c.*

---

# J. M. J.

PILIPPUS IV. Dei Gratia Rex, &c. D. Indicus Vales de Gnevara, & Taſſis, &c. Univerſis, & ſingulis præſentium ſeriem inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris, ſane pro parte Univerſitatis, & hominum Civitatis Conſentiæ, & ejus Caſalium, exhibitus Nobis fuit infraſcriptum originale Privilegium Sacræ Regiæ, & Catholicæ Majeſtatis tenoris ſequentis vz.

PHILIPPUS Dei Gratia Rex Caſtellæ, Aragonum, Legionis, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Portugalliæ, Hungariæ, &c.

Univerſis, & ſingulis præſentium ſeriem inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris, Nomine Fidelium Nobis dilectorum Univerſitatis, & hominum Civitatis Conſentiæ, & eius Caſalium, in Citerioris noſtro Siciliæ Regno, exhibitus Nobis fuit ſupplex libellus cum inſtrumento conceſſionis Demanii tenoris hujuſmodi.

SEÑOR

*LA Ciudad, y Caſales de Coſencia en el Reyno de Napoles dizen, como en los dies paſados ſuplicaron a V. M. dos coſas; la una, que V. M. fueſe ſervida de mandar, que ſe obſervaſen, y guardaſen ſus Privilegios; y la otra, que V. M. ſe ſerviese de conformar el contracto de tranſiction becho con el Duque de Alcala, en el anno mil ſeycientos, y treynta, y uno, que entonzes los Suplicantes pagaron cinquentamil ducados, y les fue prometido el Demanio, en obſervancia de otro contracto becho en el anno mil, y quinientos, y noventa, y ſeys con el Conde de Olivares, por medio de otra tranſaction de otros quarenta mil ducados: y ſuplicaron aſſimiſmo a V. M. que en las ordenes, que ſegun las ocaſiones va embiando a los Virreyes de Napoles para vender Tierras Demaniales, no ſe entiendan nunca comprebendidos los Suplicantes, y que en qualquier caſo de duda, bayan de azer antes relacion a V. M. ſin innovar, ni proceder a coſa alguna, y V. M. fue ſervido con decreto de ſu Conſejo Supremo de Italia de dar las ordenes en ambas dos coſas; en quanto a la primiera, que eſton unidos en el Real Demanio en virtud de ſus privilegios, y contractos, y por lo que toca a la ſegunda, que ocoriendo coſa en contrario, ſe haga relacion oydas las partes, y entre tanto no ſe proceda a coſa alguna en adelante, y aora en obſervancia de lo que eſpreſamente eſta prometido por pacto particular del dicho Duque de Alcalà, ſuplican a V. M. ſe ſirva de mandar ſe les deſpache el Privilegio de conſirmacion, los que les toca a un por razon del dicho decreto, en el qual fue determinado, que ſe les guarden ſus Privilegios, y Contractos, no podiendo impidir eſto la orden, paraque ſe baga relacion, mientre eſto fue pidido en las coſas futuras, ſi por ſuerte ſe empiaſen nuevas ordenes para vender Tierras Demaniales; y tato mas, que el eſtado preſente del negocio ya conſta por dos decretos, aſsì de la Camara, como del Conſejo Colateral, hechos en Febrero de mil ſeycientos, y quarenta, y tres, con los quales oydo el Regio Fiſco, fue determinado, no poderſe proceder a la venta de ellas, ſi no que ſe conſerven en perpetuo Demanio, en virtud de dichos contractos, que en ello.*

Tenor vero ſupradicti Inſtrumenti ſequitur, & hæc verba. Die vigeſima octava menſis Februarii, milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo, Neapoli, & proprie in Regio Caſtro Novo. Conſtitutis in noſtris præſentia Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Domino D. Ferdinando Afan Enriquez de Ribera, Duce de Alcalà, Vicerege, Locumtenente, & Capitaneo Generali ſupradictæ Catholicæ Majeſtatis Domini Noſtri Regis in hoc Regno, ac ejuſdem Catholicæ Majeſtatis legitimo Procuratore ad infraſcripta, & alia, vigore Regii Privilegii inferius deſcribendi, interveniente ad infraſcripta omnia, nomine, & pro parte dictæ Catholicæ Majeſtatis, Curiæ, & Fiſci hujus Regni, & per eandem Catholicam Majeſtatem, Curia, & Fiſco, ejuſque fœlicibus hæredibus, & ſucceſſoribus ex una parte; & Franciſco Antonio Barracchia Syndico Nobilium Civitatis Conſentiæ, ac Procuratore, ut dixit ad infraſcripta dictæ Civitatis, & hominum illius, conſtitutum per Syndicum, Magiſtrum Juratum, & Electos prædictæ Civitatis Conſentiæ, vigore inſtrumenti Procurationis, rogati manu Notarii Matthæi Catanzarii, ſub die quinta menſis Octobris præteriti; & U. J. D. Cæſare Caputo, & Alterio Capiſciolto Deputatis, & Procuratoribus, ut dixerunt ſimiliter ad infraſcripta Caſalium, ſeu Bajulationum prædictæ Civitatis Conſentiæ, conſtitutis per Doctorem Joannem Leonardum Macrino, & per Doctorem Orſeum delle Piane, & Joannem Laurentium

Fede.

Federico Deputatos Casalium prædictorum, virtute instrumenti procurationis, rogati manu Notarii Francisci Mariæ Scavelli, die ultimo Januarii, millesimo sexcentesimo trigesimo primo. Quæ Bajulationes asseruerunt dicti Franciscus Antonius, & Cæsar, & Alterius, quod sunt infrascripta nominata v3. *Castiglione*, *Lappano*, *Zumpano*, *Rovito*, *Celico*, *Spezzano grande*, *Spezzano piccolo*, *Pedace*, *Petrafitta*, *Aprigliano*, *li Donnici*, *Figline*, *Mangone*, *Rogliano*, *Carpanzano*, *Altilia*, *Grimaldo*, *Paterno*, *Dipignano*, *Tessano*, agentibus, & intervenientibus ad infrascripta pro se ipsis, nominibus quibus supra, & nomine, & pro parte dictarum Universitatum, & hominum dictæ Civitatis Consentiæ, ejusque Casalium prænominatorum, & pro eisdem Universitatibus, omnibusque, & singulis hominibus illorum, ac posteris, & successoribus quibuscumque in eisdem in perpetuum, pro utili, & expedienti causa Universitatum ipsarum, pro quibus quidem Universitatibus dicti Syndicus, & Deputati, ne dum dictis nominibus, sed insolidum promiserunt de rato, & quod ratificent præsentem contractum ut infra, ex parte altera. Præfatus vero Excellentissimus D. Vicerex dicto nomine asseruit, quod urgente valde pecuniarum necessitate, tum pro solvendis stipendiis Militum pro Regio Servitio in diversis locis, & partibus militantium, tum pro aliis agendis rebus ad tuitionem, & conservationem Regnorum, & Statuum, Ditioni, & Dominio Suæ Catholicæ Majestatis subditorum attinentibus, & ut aliis etiam necessitatibus, quæ in dies eveniunt, occurratur ipsum Excellentiss. Dominum Viceregem deliberasse, potius ad bona propria Suæ Catholicæ Majestatis recurrere, eaque vendere, & perpetuo alienare, quam ejus Fideles Vaxallos & Regniculas aliis necessitatibus faticatos, majoris sarcinæ vexatione gravare, & propterea de ejus mandato per Regiam Cameram Summariæ fuisse expedita banna, & emanata in diversis partibus Regni hujus, pro venditione facienda aliquarum Terrarum ad Majestatem spectantium, & præsertim pro venditione facienda Casalium dictæ Civitatis Consentiæ, quibus bannis emanatis comparuisse non solum nonnullas personas pro illorum emptione, sed etiam universitates, & homines prædictæ Civitatis, & Casalium, prætendendo de juris dispositione, & aliis de causis ad venditionem prædictorum Casalium non procedi, & signanter, quod cum in anno millesimo quincentesimo nonagesimo sexto, Regia Curia prætendisset vendere eadem Casalia, ad transactionem devenisse, cujus vigore, stante solutione facta per dictam Universitatem ducatorum quadraginta mille, per Illustrissimum, & Excellentissimum Dominum Comitem de Olivares, tunc Proregem in hoc Regno, nomine supradictæ Catholicæ Majestatis fuisse promissum, dictam Civitatem, & ejus Casalia in perpetuum in Regio Demanio retinere, & ab eo ullo unquam tempore, & ex quavis causa etiam urgentissima separare, nec alicui vendere, & alias, *prout apparet ex instrumento transactionis prædictæ, fieri rogato manu quondam Notarii Agnelli de Martino, die vigesima mensis Decembris, millesimi quingentesimi nonagesimi sexti, cujus tenor talis est, & inseratur*. Et nihilominus Universitatem, & homines dictarum Civitatis, & ejus Casalium, attendentes Regiæ Curiæ necessitates ad præsens quam maxime urgentes, exhibentes propensionem, animumque totis viribus Coronæ Regiæ, prout hactenus adfuere, supplicasse supradictum præinsertum instrumentum transactionis ratificare, & confirmare, & ad uberiorem cautelam ad novam concessionem dicti Regii Demanii admitti, offerendo per duas oblationes Suæ Catholicæ Majestati inservire cum ducatis quinquaginta mille de carolenis usualis monetæ hujus Regni; cum conditione expressa, quod in omnem casum contraventionis *restitui debeant supradicti ducati quinquaginta mille nunc solvendi, una cum interesse ipsorum a die solutionis illorum, ad rationem septem per centum per annum*; & factis hujusmodi, oblationibus, factaque matura deliberatione, & negotio plene discusso in Regia Camera summariæ, & coram Sua Excellentia in Regio Collaterali Consilio, considerato dicto instrumento transactionis, & promissionibus in eo factis; *attentisque etiam devotione, & fide dictorum Universitatis & hominum, AC SITU, QUALITATE, NOBILITATE, ET CONDITIONE*, & audito in omnibus Regio Fisco, fuisse statutum, Civitatem, & Casalia prædicta, & homines illorum, v3. Omne totum, & quicquid ad Regiam Curiam spectat, & non aliter in dictis Casalibus, ad dictam novam concessionem, & confirmationem Demanii, ut supra petitam admitti; tenor vero dictarum duarum oblationum talis est, v3. Dictus Dominus Excellentissimus Vicerex declaravit Regiam Curiam recepisse, & habuisse a dictis Universitatibus per medium Banci S. Jacobi, & Victoriæ, cum Apocis dictorum Cæsaris, & Alterii ducatosquindecim m. pro prima tanna dictorum ducatorum quinquaginta mille: reliquos vero ducatos triginta quinque mille, prædicti Syndicus, & Electi dicto nomine, sponte coram Nobis, non vi, dolo, &c. & omni meliori via, &c. promiserunt, & convenerunt solemni stipulatione, &c. dictæ Catholicæ Majestati absenti, & præfato Excellentissimo Domino Viceregi, & mihi, &c. præsentibus, &c. pro eadem Catholica Majestate, &c. integre, &c. dare, solvere, &c. eidem Regiæ Curiæ, & pro ea Spectabili Generali Thesaurario in Arca trium clavium in contantis, pro servitio Regio, & ex causa transactionis prædictæ, v3. ducatos quindecim mille in sexta die intrantis mensis Martii præsentis anni, millesimi sexcentesimi trigesimi primi, & alios ducatos vigintiquinquemille in sexta die mensis Maii, similiter primi venturi dicti præsentis anni in pace, &c. & non obstante quacumque exceptione, & liquida præventione, &c. constituentes easdem Universitates, & homines veros, principales, & liquidos debitores Regiæ Curiæ in eisdem ducatis trigintaquinque mille pro complemento, quia sic, &c. & versa vice dictus Excellentissimus Dominus Vicerex, quo supra nomine, sponte coram Nobis, de certa Regia, & sua quo supra nomine scientia, &c. ac mera, libera, gratuita, & spontanea voluntate, & omni meliori via, &c. & auctoritate dominica, & attributa, ac Regia Plenitudine potestatis prædictæ, Regiæ Majestatis Nomine, vigore mandati prædicti, ut infra describendi, ac omnes juris, & facti solemnitates supplens, accedenteque deliberatione, & voto Regii Collateralis Consilii penes eum assistentis, *ratificavit, confirmavit, laudavit, approbavit, emologavit, & acceptavit, suoque dicto nomine ratificationis munimine roboravit, & roborat, dictam Demanii concessionem olim factam dictis Universitatibus, & hominibus, vigore dicti instrumenti, & æque principaliter iterum, & de novo ad uberiorem cautelam, quatenus opus sit, cautelam cautelis addendo, & cumulando, quæ in cunctis prodesse, & abesse consuevit, & non aliter, nec alio modo*: quinimmo voluit, & expresse mandavit, nec dum dictas Universitates, & homines Civitatis Consentiæ, & omnium Casalium, seu Bajulationum prædictarum; verum etiam Casale nuncupatum di S. *Giovan in Fiore*, noviter constructum in Territorio prædictæ Civitatis Consentiæ, habitantesque, & habitaturos in eo, & in eis in futurum; omne totum, & quicquid ad dictam Regiam Curiam spectat in dictis Casalibus, & non aliter, in Regium Demanium hujus Regni restituit, ac esse, & perpetuo conservari, & de novo ad majorem cautelam easdem Universitates, & homines dictæ Civitatis Consentiæ, & omnium Casalium prædictorum, habitantesque, & habitaturos in eis in Regium Demanium perpetuum hujus Regni, fecit, & constituit, & Coronæ Regiæ Majestatis prædictæ aggregavit, vinculavit, incorporavit, & ligavit. Judicans nimis incumbere Servitio Regio, & Conservationi Status, dictam Civitatem Consentiæ, & Casalia prædicta, attenta eorum devotione, fide, & amore erga Majestatem prædictam, ac situ, Nobilitate, & Conditione, in perpetuo Regio Demanio retinere. & ab eo ullo unquam tempore, nec ex quavis causa, etiam urgentissima, & privilegiata, & *pro conservatione Status, & beneficio Reipublicæ, nec pro bono pacis separare, dismembrare, nec alicui vendere, alienare, obligare, vel pignorare, nec in perpetuum gubernium, aut nominationem Officialis concedere*? animadvertens etiam S. E., quod pro interesse Suæ Catholicæ Majestatis, & Diadematis conservatione expedit, & optimum Principem decet hujusmodi bonos, & fideles Vaxallos in Regio Demanio, & sub Corona, & Protectione Regia retinere, præsertim eos, in quibus fides candida sita est, servitiaque illorum promovere; sicque boni in fidelitate conservantur, aliique ad optime inserviendum, tra-

trahuntur per exemplum ; nàm utroque modo Principi Patrimonium augetur Reipublicæ, quorum beneficio, & augmento conſulitur : quapropter prædictus Excellentiſſimus Dominus Vicerex, quo ſupra nomine promiſit dictis Univerſitatibus, & hominibus abſentibus, & prædictis Syndico, & Deputatis dictis nominibus & mihi dictis Univerſitatibus, & hominibus abſentibus, & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum, dictas Univerſitates, & homines Civitatis Conſentiæ, & Caſalium prædictorum, cum eorum hominibus, Vaxallis habitantibus & habitaturis in eis, ex cauſis prædictis, pro Sua Catholica Majeſtate, ſuiſque fœlicibus hæredibus, & ſucceſſoribus in hoc Regno, in perpetuum in Regio Demanio, & ſub Corona Regia retinere, *& annexas, vinculatas, ligatas, & incorporatas prædictæ Regiæ Coronæ, & Regio Demanio, & Patrimonio Neapolitani Regni eſſe voluit*, & mandavit ex certa ſua dicto nomine ſcientia, & dominica poteſtate, legibus abſoluta, excluſis omnibus, & ſingulis ſuper dictis Univerſitatibus Civitatis Conſentiæ ; & Caſalium Prædictorum jus aliquod forſan habere prætendentibus ; Immo ipſorum, & eorum cuilibet juribus quibuſcumque derogavit expreſſe, nam ex cauſa prædicta jus cuicumque forte competens S. E. cenſet ademptum ; & his ſic proviſe peractis, Regis, & Reipublicæ pariter eo modo opportuna proviſio accedat, & dictis Univerſitatibus, hominibus Civitatis Conſentiæ, & Caſalium optati Regii Demanii, cum favorabili acceptatione confirmatio, & reſtitutio, & ad majorem cautelam, quatenus opus ſit nova conceſſio ſuccedat. Promiſit inſuper dictus Excellentiſſimus Dominus Vicerex, quo ſupra nomine, pro dicta Catholica Majeſtate, eiuſque fœlicibus hæredibus, & ſucceſſoribus in perpetuum in hoc Regno, prædictam Civitatem Conſentiæ, & prænominata Caſalia, ſeu Baiulationes, *nullo unquam futuro tempore, nec ex quavis cauſa, quantumvis favorabili, pia, & neceſſaria, urgenti, & urgentiſſima, privilegiata, etiam pro dote, & bono pacis, & conſervatione Status Regni, & publica utilitate in toto, vel in parte, vendere, alienare, concedere, aut quovis alio titulo transferre, obligare, pignorare in perpetuum, vel ad tempus*, nec ad gubernium perpetuum, vel ad tempus ultra annum dare, & concedere, nec nominationem Gubernatoris, ſeu Officialis Univerſitatum prædictæ Civitatis, & Caſalium, ſeu Bajulationum prædictarum alienare, ſeu quovis modo concedere ultra annum, neque contrahere, vel diſponere in perpetuum *cuicumque Perſonæ Illuſtri, & Illuſtriſſimæ, ac quacumque Dignitate pollenti, & quantumvis benemeritæ, & dignæ, & pro ſervitiis præſtitis, nec etiam SECUNDOGENITO MAJESTATIS PRÆDICTÆ, niſi in Regno ſucceſſuro*, ſed illam, & illos in Regio Demanio, & ſub Corona, & protectione Regia *perpetuo* retinere, ut ſupra dictum eſt. Declarans, & decernens expreſſe prædictus Excellentiſſimus Dominus Vicerex, de eadem Regia, & ſua dicto nomine ſcientia, *ex nunc pro tunc*, & e contra, quamcumque venditionem, alienationem, obligationem, conceſſionem, & diſpoſitionem, quocumque nomine, & vocabulo nuncupatam, cuicumque Perſonæ, etiam benemeritæ, & dignæ, ut ſupra, & quacumque poteſtate, & dignitate fungenti, etiam SECUNDOGENITO MAJESTATIS PRÆDICTÆ, & cujuſvis in Regno non ſucceſſuro, forte faciendam per Suam Majeſtatem, vel alios eius nomine Civitatis Conſentiæ, & Caſalium, ſeu Bajulationum, ejuſque & eorum dominii, & jurisdictionis, tam in primis, quam in ſecundis cauſis, ſub quacumque forma, ſerie, & expreſſione verborum etiam ſi in ea præſentium tenor inſeriretur, & cum quibuſvis clauſulis derogatoriis, etiam derogatoriarum, & juramento vallatis, *irritam, nullam, & inanem, nulliuſque roboris, & momenti, ac ſi facta non eſſet, vel fieret, pro conſervatione Regii Demanii prædicti*, Ita quod in judicio, & extra, talis alienatio, conceſſio, & diſpoſitio quæcumque fieret ut ſupra, nullo unquam futuro tempore *robur, aut firmitatem aliquam obtineat, nec fidem faciat, aut probationem aliquam inducat*, ac ſi a privata perſona facta extitiſſet, per quaſcumque clauſulas generales, & ſpeciales, etiamſi ſpecifice, ſigillatim, & individue derogantes præſenti inſtrumento, & quibuſcunque Privilegiis, Conſtitutionibus, & Capitulis Regni hujus, factis, & faciendis, & aliis quibuſcumque dici, & excogitari poſſent adverſus prædicta, vel aliquod prædictorum quoquo modo ex prædictis conceſſionibus, alienationibus, & diſpoſitionibus, ut prædicitur forte faciendis, & quibuſcumque emptoribus, conceſſionariis, ac quibuſcumque Officialibus, & Perſonis aliis quocumque nomine nuncupatis, titulo, auctoritate, dignitate, & poteſtate fungentibus, etiam SECUNDOGENITO REGIS contra dictum Regium Demanium attentatibus ; voluit, & declarat S. E. nomine quo ſupra, per dictas Univerſitates, & homines Civitatis Conſentiæ, & Caſalium prædictorum IMPUNE' POSSE RESISTI pro conſervatione Regii Demanii. Idem Excellentiſſimus Dominus Vicerex, quo ſupra nomine voluit, & mandavit expreſſe, quod Cives, & homines dictarum Univerſitatum Civitatis Conſentiæ, & Caſalium, ſeu Bajulationum prædictarum, ac habitantes, & habitaturi in eis, univerſaliter, & particulariter, pro quibuſvis cauſis, inſtrumentis, & obligationibus, & pro quibuſcumque criminibus, delictis, & exceſſibus commiſſis, & committendis per eos in dictis Civitate, & Caſalibus in primis cauſis, & in quibus etiam præveniſſet quodcumque Regium Tribunal, non tamen derogando Regiæ Pragmaticæ æditæ annis elapſis contra pupillos delinquentes, exceptis criminibus læſæ Majeſtatis, hæreſis, & falſæ monetæ, ac damnis, & homicidiis clandeſtinis, *nullatenus poſſint extra Tribunal Gubernatoris dictæ Civitatis Conſentiæ trahi, ſeu conveniri civiliter, & criminaliter, aut ex officio Curiæ, ad inſtantiam cujuſvis etiam Regii Fiſci, criminaliter quoque procedentis in quocumque Tribunali, Curia, & Foro, aut Judice Ordinario i vel Delegato ; etiamſi citati fuerint per Regiam Audientiam, Magnam Curiam Vicariæ, ſeu Sacrum Regium Conſilium*, ſed remittantur, & remitti debeant ad dictum Gubernatorem dictæ Civitatis Conſentiæ, & omnia acta facta, & quæ fierent in quocumque alio Tribunali ut ſupra, *ſint, & cenſeantur ipſo jure, ipſoque facto nulla, & invalida* ; & ſic pœnæ contumaciæ incurſæ, & incurrendæ : promittens etiam prædictus Excellentiſſimus Dominus Vicerex, quo ſupra nomine ſcientia, auctoritate qua ſupra, & firmiter pollicens *ſub fide, & verbo Majeſtatis Suæ, ac in ejus animam ad Dominum Deum, & ejus Sancta quatuor Euangelia in pectore juratis, viſis, & non tactis ſcripturis*, prædictam Regii Demanii conceſſionem & omnia prædicta, & infraſcripta alia, ſemper, & omni futuro tempore habere, & tenere, & quod Majeſtas ipſa, *ſuique hæredes ; & ſucceſſores in hoc Regno habebunt, & tenebunt ratam, gratam, & firmam, ac rata, grata, & firma, eaque inviolabiliter obſervari facere per eamdem Majeſtatem, ſuoſque hæredes, & ſucceſſores, & quoſcumque Officiales, homines, & Perſonas, cujuſcumque ſtatus, & conditionis fuerint, & exiſtant*, ETIAM SI REGIA, ET IMPERIALI DIGNITATE POLLERENT, & contra non facere, dicere, opponere, vel venire, directe, vel indirecte, de jure, vel de facto, in judicio, ſive extra, aut alio quovis quæſito colore, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, cautelis, & ſcripturis, etiam juramento vallatis, & pro ſtatu, & beneficio Reipublicæ, & cum quibuſvis clauſulis derogatoriis : & derogatoriis dorogatoriarum forte factis, vel faciendis de prædictis venditionibus, conceſſionibus, & alienationibus, quæ in præjudicium præſentis contractus forte factæ eſſent, vel fierent ut ſupra, etiam ſi de eis oporteret hic fieri expreſſam, & ſpecialem mentionem, quæ omnia pro expreſſis, & ſpecifice declaratis in præſenti contractu de verbo ad verbum haberi voluit S.E. de Regia plenitudine poteſtatis ſibi attributa, ut ſupra, & illis expreſſe derogavit, & derogatum eſſe voluit, &c. *caſſans, irritans, & annullans* prædictus Excellentiſſimus Dominus Vicerex, quo ſupra nomine de certa ſua dicto nomine ſcientia, auctoritate, qua ſupra, quatenus ad dictam Regiam Curiam ſpectat, & non aliter, omnes, & quaſcumque *venditiones, donationes, conceſſiones, alienationes, Privilegia, Albarana, & Scripturas* alias per dictam Regiam Majeſtatem, vel illius Vicereges, aut Procuratores, ſeu alio, Officiales, *aut hæredes, & ſucceſſores* Majeſtatis prædictæ in hoc Regno, quovis modo forte factas, vel faciendas, de dicta Civitate Conſentiæ, & Caſalibus prædictis in Regium Demanium erectis, & conſtitutis, eorumque juriſdictione, hominibus, & vaxallis IN TOTO, VEL IN PARTE cuicumque Perſonæ,

fonæ, seu Personis quantumvis benemeritis, privilegiatis, & dignis, etiam SECUNDOGENITIS MAJESTATIS PRÆDICTÆ IN HOC REGNO NON SUCCESSORIBUS, & pro quacumque consideratione, & causa etiam utili, necessaria, & privilegiata, *etiam concernente statum, & servitium Regium, ac beneficium Reipublicæ*, etiam quod essent factæ, vel fierent cum quibusvis clausulis, quantumvis derogatoriis, cum juramento vallatis; sed in omnem eventum, & casum, & in omni successu temporis, prædicti Regii Demanii concessionem solemniter, & legitime ut supra factam, voluit, & mandavit S. E. nomine quo supra, inviolabiter permenere, & observari, ac fructuosam, & efficacem existere, & nullo unquam futuro tempore diminutionis incommodum sentire *sublatis quibuscumque contrariis interpetrationibus, & obstaculis*; declaratione tamen expressa, quod Universitas, & homines dictæ Civitatis Consentiæ, & Casalium prædictorum, teneantur ad omnia servitia, & onera prædictæ Regiæ Majestati, & ejus Regiæ Curiæ debita, & competentia ratione Supremi Dominii. Mandans, & ordinans expresse prædictus Dominus Vicerex dicto nomine omnibus, & quibuscumque Baronibus, Capitaneis, & Gubernatoribus, Auditoribus, & aliis Officialibus Regiis, majoribus, & minoribus, tam præsentibus, quam futuris cæterisque aliis, ad quos spectabit, & spectare poterit quomodolibet in futurum, sub infrascripta, & indignationis nostræ incursu, ac pœna confiscationis bonorum omnium, aliisque fortioribus pœnis in futurum reservatis, *ut ad solam, & simplicem præsentis instrumenti ostensionem*, ulteriori Regio, seu S. E. mandato non expectato, quod prædictas Universitates, & homines Civitatis Consentiæ, & Casalium prædictorum, seu eorum Syndicos, & Protectores in possessionem dicti Regii Demanii ponant, & inducant, positosque, & inductos manuteneant, & defendant, omni dubio, & difficultate cessantibus; Volens insuper dictus Excellentiss. Dominus Vicerex, dicto nomine, quod instrumentum confirmationis, & ad majorem cautelam novæ concessionis Regii Demanii prædictæ omni tempore *firmum, stabile, & immutabile sit, atque Reale, illudque cum omnibus, quæ in se continet vim legis obtineat, & pro derogatoria lege servetur*, & illis Privilegiis Prærogativis & Favoribus fruantur, & gaudeant dictæ Universitates, & homines, eorumque successores, & quæ consequuntur, & habent, qui contra hunc cum Regia Curia, Majestate, seu Principe; & dicit, & declarat dictus Excellentissimus Dominus Vicerex, dicto nomine, prædictam Regiam Majestatem *suosque hæredes, & successores obligatos duplici lege*, & communi, quæ dictat, *quod Demanialia non alienantur*; & municipali, quæ statuit, *quod incorporata non dismembrentur*, circa quæ voluit dictas Universitates Civitatis Consentiæ, & Casalium haberi, & reputari, ac si semper Civitas, & Casalia prædicta fuissent in Regio Demanio, & incorporata, ut supra, & tanquam incorporata, & Demanialia Civitatem, & Casalia supradicta mandat, quatenus opus sit ad omnem requisitionem dictæ Civitatis, & Casalium, & omni tempore *annotari, registrari, & describi* in quinternionibus Regiæ Cameræ Summariæ pro majori cautela, ita quod nullo unquam tempore liceat, & licitum sit prædictæ Regiæ Majestati, & Curiæ & suis hæredibus, & successoribus, aut Excellentissimo Domino Viceregi, nec suis in dicto officio successoribus, & aliis Officialibus, & Tribunalibus, dictam confirmationem, & ad majorem cautelam, novam concessionem, ut supra factam aliqua ratione, vel causa, seu quovis quæsito colore *infringere, & annullare, vel illis quomodolibet contravenire*; supplens etiam dictus Excellentissimus Dominus Vicerex, quo supra nomine hujusmodi confirmationis, & novæ concessionis serie, de certa ejus dicto nomine scientia, auctoritate qua supra *omnem, & quemcumque defectum juris & facti*, seu ordinationis, & consuetudinis Regni, vel Ritus, aut omissæ alterius solemnitatis cujuscumque in præmissis, & singulis præmissorum, si qui, aut si qua exprimi possent quomodolibet, vel opponi in futurum in confirmatione, & nova concessione prædicta, ita quod illam, & eandem efficaciam habeant, & obtineant effectum, *ac si defectus ipse non contigisset, vel omissa solemnitas non fuisset*, sed hic descripta pariter, & apposita esset; quem quidem defectum, si hic de sui natura, vel causa exigentiæ exprimendus veniret, haberi voluit pro *apposito*, & *declarato*; ac efficaciter *expresso* pariter, & *suppleto* ac si de verbo ad verbum omnia essent inserta, & specialiter posita, atque declarata, legibus, juribus Regni Constitutionibus, Capitulis, Ordinationibus, & Rescriptis quibuscumque contrariis præmissa fieri prohibentibus, & etiam legibus requirentibus in concessionibus ipsis certam formam, & solemnitatem, usibus, ritibus, consuetudinibus, observantiis, & moribus in contrarium forte disponentibus *non obstantibus quovis modo, quorum, & quarum tollit in hac parte efficaciam, & vigorem, de jam dicta Dominica potestate legibus absoluta, & auctoritate potestatis eidem attributa*, ut supra, & illis, & ipsarum cuilibet expresse derogavit, & pro derogatis haberi voluit, & vult, & quod pro illis, & illa præsentibus derogaretur cum *clausulis derogatoriis, & derogatoriis derogatoriarum*, quibus omnibus expresse derogavit, de certa Regia, & sua quo supra nomine, scientia, ac mera deliberatione ipsius Excellentissimi Domini Viceregis, & de jam dicta plenitudine potestatis eidem attributæ, ut supra, etiam pro *Statu Regio, & bono pacis, & beneficio Reipublicæ*, & omnibus, & singulis aliis in contrarium facientibus non obstantibus quovis modo; & amplius pro majori cautela dictarum Universitatum, & hominum, eorumque successorum, prædictus Excellentissimus Dominus Vicerex declaravit, & voluit; quod si forte contingerit, dictas Universitates, & homines, eorumque successores in effectu pacificæ possessionis prædicti Regii Demanii, causa, & facto prædictæ Regiæ Curiæ quomodocumque frustari, seu hujusmodi possessione quomodolibet destitui, aut spoliari, supradicta Regia Mejestas, Curia, & Fiscus pro restitutione, & reintegratione possessionis prædictæ eisdem Universitatibus, & hominibus, eorumque successoribus effectualiter *providere teneantur*, prout firmiter eisdem pollicetur, & promittit præfatus Excell. Dominus Vicerex, auctoritate qua supra, quod in possessione prædicta realiter, & cum effectu restituantur, & reintegrentur, & super ea conserventur, & manuteneantur, & ut pro his, vel pro ipsorum aliquo quovis modo contigerit, dictas Universitates, & homines vel eorum successores *impeti, molestari, vexari, seu turbari, aut quomolibet controversiam pati*, tam in dominio, quam in possessione, *ex nunc pro tunc*, & e contra prædicta Regia Majestas, & Curia, ac Fiscus hujus Regni, & successores easdem Universitates, & homines, eorumque successores sic *tueri, & defendere* in eis, & eorum possessione *teneantur*; & sic prædictus Excellentissimus Dominus Vicerex, quo supra nomine, promisit *in judicio, & extra* & quod dictæ Univesitates, & homines in pacifica possessione dicti Regii Demanii efficaciter, & realiter *præserventur*, & in omni casu, & eventu præsens concessio demanii robur obtineat, & refragationis incommodum, aut objectus cujuscumque detrimentum non *sentiat*; voluit insuper prædictus Excellentissimus Dominus Vicerex, quo supra nomine, quod si qua forte in futurum super dictis, & dependentibus ab eis dubitatio, vel ambiguitas fieri contigerit quovis modo, *interpetratio semper fieri debeat in favorem Universitatum, & hominum illorum*: & amplius prædictus Excellentissimus Dominus Vicerex, quo supra nomine promisit, quod dicta Regia Mejestas infra menses sex a præsenti die præsentem contractum, &c. ratificabit, &c. per privilegium Majestatis prædictæ in forma solita, expediendum tamen sumptibus & expensis dictarum Universitatum; & voluit dictus Excellentissimus Dominus Vicerex, quo supra nomine, quod ubi forte infra dictum tempus mensium sex, dicta ratificatio Suæ Majestatis facta non fuerit, modo quo supra, vel in quocumque contraventionis, ex quavis causa, & in quocumque futuro tempore, firmis tamen remanentibus in beneficium dictarum Universitatum, & Casalium omnibus, & quibuscumque juribus eisdem competentibus, & competituris, etiam vigore præsentis, & præinserti instrumenti, tunc, & in quolibet casu prædictorum; dicta Regia Majestas, Curia, & Fiscus hujus Regni teneantur, prout dictus Excellentissimus Dominus Vicerex, sic quo supra nomine promisit statim *restituere, &c.* dictis Universitatibus, & hominibus supradictos ducatos *quinquaginta mille, seu ratam illorum, quæ eo tempore reperiretur soluta Regiæ Curiæ, una cum interesse ipsorum a diebus illorum solu-*

*solutionis*, *ad rationem ducatorum septem per centum*, *ratione anni*, habita consideratione, quod simile, & majus interesse patitur, ex causa solutionis factæ prædictæ Regiæ Curiæ in pace, &c. ac non obstante quacumque exceptione, & per dictam restitutionem faciendam dictarum pecuniarum quantitatum, nullum inferatur *præjudicium*, *novatio*, seu *derogatio* aliqua prædictis juribus, dictis Universitatibus, & hominibus competentibus; respectu vero aliorum ducatorum quadraginta mille, primo loco solutorum per dictas Universitates, in casu contraventionis prædictæ, remaneant dictis Universitatibus salva omnia jura eisdem competentia, vigore supradicti instrumenti transactionis, protestatione præmissa, quæ repetita, & apposita intelligatur *in principio*; *medio*, *& fine*, *& in qualibet parte præsentis contractus*, quia sic dictus Excellentissimus Dominus Vicerex voluit, & expresse mandavit, & aliter Civitas, & Casalia prædicta non contraxissent: Insuper dicti Franciscus Antonius, Cæsar, & Alterius, nec dum Syndicario, & Procuratorio nomine quo supra, verum etiam eorum propriis privatis principalibus nominibus, & insolidum promiserum curare, &c. quod dicta Civitas Consentiæ, & Bajulationes prædictorum Casalium, ac homines illorum, congregato consilio, more & loco solitis, ratificare debeant præsentem contractum, cum inserta forma ipsius infra menses duos ab hodie, & iterum, & de novo facere habeant omnes promissiones prædictas per publicum instrumentum, cum dictis clausulis necessariis, & infra eundem terminum consignare debeant copiam authenticam dictæ ratificationis, pro cautela dictæ Regiæ Curiæ, alias dicto termino elapso, & ratificatione modo quo supra non sequuta, tali casu dictis nominibus, & insolidum teneantur, prout sic coram nobis promiserunt de proprio solvere dictæ Regiæ Curiæ quantitates prædictas ut supra promissas, cum omnibus damnis, expensis, & interesse. In quibus quidem pecuniarum quantitatibus dicti Franciscus Antonius, Cæsar, & Alterius in casu prædicto constituerunt se ipsos, & quemlibet ipsorum insolidum veros, & liquidos debitores Regiæ Curiæ in pace, & sequuta ratificatione prædicta & consignata copia illius, dicti Syndicus, & Procuratores ad nihilum teneantur, quia sic, &c. & fuit conventum, quod in præsenti concessione Demanii non comprehendatur Casale nuncupatum *de Scigliano*. Tenor vero supradicti Regii Privilegii talis est v3. Inferatur. Pro quibus omnibus observandis, &c. ambæ partes ipsæ, quibus supra nominibus, & qualibet earum, prout ad unamquamque ipsarum partium spectat, & pertinet, sponte obligaverunt se ipsos, & quemlibet ipsarum dictarum, Catholicam Majestatem, Curiam, & Fiscum hujus Regni, & prædictas Universitates, & homines omnes illorum, eorumque successores in eisdem, dictos Franciscum Antonium, Cæsarem, & Alterium, & quemlibet ipsorum insolidum, eorumque hæredes, & successores respective supradictæ promissionis, proprio nomine factæ, ac ejusdem Regiæ Mejestatis, & prædictarum, Universitatum, & cujuslibet ipsarum, ac se ipsos Franciscum Antonium, Cæsarem, & Alterium, bona omnia mobilia, & stabilia, burgensatica, & feudalia, fiscalia, & demanialia, ac particularia, præsentia, & futura, &c. una pars v3. alteri, & altera alteri nominibus prædictis, præsentibus, &c. sub pœna, & ad pœnam dupli, &c. medietate, &c. cum potestate capiendi, &c. constitutione precarii, &c. & renunciaverunt, &c. & signanter dicti Syndicus, & Procuratore super iis omnibus Authenticæ præsenti, &c. de fidejussoribus, & juraverunt, &c. v3. dictus Excellentissimus Dominus Vicerex visis, & non tactis scripturis, unde, &c. præsentibus opportunis, &c. Extracta est præsens copia ab actis mei Massimini Passari, Regiæ Curiæ Notarii, meliori collatione semper salva, & in fidem præsentem feci, & signavi. Locus Signi, &c.

Ideoque cum præfatæ Universitates, & homines dictæ Civitatis Consentiæ, ejusque Casalium nobis humiliter supplicaverint, ut præinsertum Instrumentum, & concessionem Regii Demanii Nostri Citerioris Siciliæ Regni, & omnia, & singula in eo contenta declarata, expressa, & specificata, laudare, approbare, & confirmare, ac quatenus expediat de novo ipsam concessionem eisdem facere ex nunc Regia Munificentia dignaremur. Nos vero attentis ejusdem Universitatis fide erga nos, & gratis obsequiis, nec non volentes facta, gesta, recepta, atque promissa per Proreges, plena ad id potestate suffultos, valida, & fructuosa existere, petitioni præfatæ libenter duximus annuendum. *Tenore igitur præsentium ex certa scientia*, *Regiaque auctoritate nostra deliberate*, *& consulto*, *ac ex gratia speciali*, *maturaque Sacri Nostri Supremi Consilii accedente deliberatione*, *Regii nostri Demanii concessionem per prædictum Proregem*, *tamquam mandatarium Regium*, *ut supra prædictis Universitati*, *& hominibus dictæ Civitatis Consentiæ*, *& ejus Casalium*, *habitantibusque*, *& in futurum habitaturis in eis factam*, *vigore dicti præinserti instrumenti*, *ac instrumentum ipsum*, *omniaque*, *& singula in eo contenta*, *promissa*, *& declarata in omnibus articulis*, *& clausulis in eodem descriptis*, *& appositis*, *juxta ipsius seriem*, *continentiam*, *& tenorem*, *quamvis nulla alia indigeat ratificatione*, *& approbatione*, *ad majorem cautelam dictæ Civitatis*, *& Casalium*, *acceptamus*, *approbamus*, *ratificamus*, *& confirmamus*, *illisque robur*, *& auctoritatem nostram impartimur*, *& quatenus opus est æque principaliter*, *& de novo dictas Universitates*, *& homines dictæ Civitatis Consentiæ*, *& ejus Casalium*, *habitantesque*, *& habitaturos in eis in Regium nostrum Demanium dicti Citerioris Siciliæ Regni recipimus facimus*, *constituimus*, *erigimus*, *ac in perpetuum de nostro Regio Demanio esse volumus*, *attenta forma præinserti instrumenti*, *& cum omnibus pactis*, *promissionibus*, *reservationibus*, *obligationibus*, *conventionibus qualitatibus*, *conditionibus*, *& aliis clausulis in eo appositis*, *& descriptis*, *quæ volumus in præsenti nostro Confirmationis*, *& novæ concessionis Privilegio haberi pro repetitis & de novo expressis*, Decernentes expresse, quod omnia præmissa ejusdem sint momenti, & roboris, *ac si a nobis ipsis immediate concessa & pacta*, *atque transacta forent*, promittentes nihilominus tenore præsentium, *de dicta certa nostra scientia*; *& sub fide*, *& verbo Regio* præfatam approbationem, ratificationem, & confirmationem, ac omnia præmissa in præfato Instrumento contenta, promissa, apposita, & declarata *semper*, *& omni futuro tempore ratam*, *& firmam*, *ac rata*, *& firma habere*; *& tenere*, eaque omnia eisdem Universitati, & hominibus dictæ Civitatis Consentiæ, & ejus Casalium, ac ut supra *observare*, *& observari facere per hæredes*, *& successores nostros in dicto Citerioris Siciliæ* Regno Regiamque Curiam, & per quoscumque nostros Officiales *Maiores*, *& Minores*, ac alias quasvis personas, cujuscumque gradus, status, & conditionis existant, & in nullo *contra facere*, *dicere*, *vel opponere in judicio*, *sive extra*, *directe*, *vel indirecte*, *palam*, *publice*, *vel occulte*, *aut alio quovis quæsito colore*; Volentes, & decernentes expresse, quod hujusmodi ratificatio, confirmatio, & approbatio sit, & esse debeat prædictis Universitatibus Civitatis Consentiæ, & ejus Casalium prædictorum, omnibusque eorum hominibus, ac posteris, & successoribus suis *in perpetuum ut supra*, *stabilis*, *Realis*, *valida*, *atque firma*, *nullumque in judiciis*, *aut extra sentiat impugnationis objectum*, *defectus incommodum*, *aut noxæ cujuslibet alterius detrimentum*, sed in suo semper robore, & firmitate persistat: Et ut præmissa, quem volumus sortiantur effectum, *Serenissimo propterea BALDASARI CAROLO Principi Asturiarum*, *Gerundæ*, *Ducique Calabriæ*, *FILIO PRIMOGENITO nostro charissimo*, *ac post felices*, *& longævos dies nostros in omnibus Regnis*, *& dominiis nostris* (*Deo propitio*) *immediato hæredi*, *& legitimo successori intentum aperientes Nostrum*, *sub paternæ benedictionis obtentu dicimus*, *eumque rogamus*; *Illustribus vero Spectabilibus*, *Nobilibus Magnificis dilectis Consiliariis*, *& Fidelibus nostris Proregi*, *Locumtenenti & Capitaneo Generali*, *nostro Magno Camerario*, *Protonotario*, *Magistro Justitiario*, *eorumque Locumtenentibus*, *Sacro nostro Consilio Castri Capuani*, *Præsidentibus*, *&* Rationalibus R.C. Summariæ, Regenti, *&* Judicibus *Magnæ Curiæ Vicariæ*, *Scribæ Portionum*, *Thesaurario nostro Generali*, *Advocatis quoque*, *& Procuratoribus Fiscalibus*, *ceterisque demum universis*, *& singulis Officialibus*, *& Subditis nostris*, *majoribus*, *& minoribus*, *quocumque nomine nuncupatis*, *titulo*, *officio*, *auctoritate*, *& potestate fungentibus*, *tam præsentibus*, *quam futuris in eodem Regno constitutis*, *& constituendis*, *dicimus*

*cimus*

*cimus, præcipimus & jubemus, quatenus forma præsentium, & dicti præinserti instrumenti Regii nostri Demanii concessionis, per eos, & eorum quemlibet diligenter attenta, illam, & omnia, & singula suprafatæ nostræ confirmationis, ratificationis, & novæ concessionis Privilegio contenta, prædictis Universitati, & hominibus dictæ Civitatis Consentiæ, & ejus Casalium, habitantibusque, & in futurum habitaturis in eis observent, observarique faciant, per quos decet, juxta illarum formam, & tenorem, omni dubio, & difficultate cessantibus; contrarium nullatenus tentaturi ratione aliqua, sive causa, si dictus Serenissimus Princeps Filius noster charissimus nobis moremgerere, cæteri autem Officiales, & Subditi nostri prædicti gratiam nostram charam habent, ac præter iræ, & indignationis nostræ incursum, pœnam ducatorum mille nostris inferendorum ærariis cupiunt evitare. Incujus rei testimonium, præsentes fieri jussimus, nostro magno negotiorum præfati citerioris Siciliæ Regni Sigillo pendenti munitas.* Datum in Oppido nostro Fragæ, die quarta mensis Augusti, anno a Nativirate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto. Regnorum autem nostrorum anno vigesimo quarto.

YO EL REY.

Vidis Neyla Regens- Vidit Muños Regens-Vidit Capycius Galeota Regens, - Vidit Cusanus Regens - Vidit Potenzanus Regens - Dominus Rex mandavit Mihi D. Innico Lopez de Carate - solvit ducatos duos, tarenos duos- Villareal Taxator - In Privilegiorum Neapolis XIX. fol. CCV.

*Confirmacion en forma del instrumento a qui inserto, por el qual el Duque de Alcala siendo Virrey de Napoles admitio al Regio Demanio la Universidad, y hombres de la Ciudad de Cosencia, y sus Casales con las condiciones contenidas en el dicho instrumento, el Consejo - Adest Sigillum cum pendente, &c.*

Et cum dicto præinserto Regio Privilegio fuerunt præsentatæ etiam Nobis infrascriptæ Regiæ literæ præfatæ Majestatis tenoris sequentis v3.

EL REY.

,, ILustre Duque de Arcos Primo nuestro Virrey, Lu-
,, garteniente, y Capetan General: a instancia de la
,, Ciudat, y Casales de Cosencia tube por bien de man-
,, daros; que con tres associados de mi Consejo de Castil-
,, la, se viesse en este mi Supremo de Italia en grado de
,, revista la resolucion, que en veinte, y uno de Fe-
,, brero del anno pasado de mil, y sei scietos, y quaren-
,, ta, y cinco havia mandado tomar de confirmar la ven-
,, ta de dichos Casales hecha en esse Reyno al Marques
,, Vincencio Salviati, y haviendose hecho, se dio por el
,, dicho Consejo, y Associados la sentencia del tenor,
,, que sigue.

,, A treynta de Agosto, de mil sei cientos, y quaren-
,, ta, y seis, haviendose visto en iusticia por el Con-
,, seyo Supremo de Italia con los Associados, que S. M.
,, ha nombrado en revista el pleyto, que pendia en el,
,, entre la Ciudad, y Casales de Cosencia en el Reyno
,, de Napoles, y Marques Vincencio Salviati. Visto as-
,, simismo las ventas hechas de dichos Casales por el Du-
,, que de Medina da las Torres, y Almirante de Castilla,
,, siendos Virreyes en el dicho Reyno de Napoles, en
,, tres, y quinze de Majo de mil, y seiscientos, y qua-
,, renta, y quatro, con lo contenido en los instrumen-
,, tos dellas, y la confirmacion, que en vista se ordenò
,, de dicha venta, en veinte, y uno de Febrero de mil,
,, y seiscientos, y quarenta, y cinco, y tambien los
,, Privilegios, que alegan la dicha Ciudad, y Casales,
,, lasdos transactiones hechas por los mismos con al Real
,, Fisco, en los anño de mil, y quinientos, y noventa; y seis,
,, y mil, y seiscientos, y treynt, y uno, y el precio de noven-
,, ta mil ducados, per por ellas desembolzaron, y los autos
,, promeidos en favor de dichos Casales, en diez, y siete
,, de Febrero, diez, y seis de Iunio, y quatro de Agosto
,, de mil, y seiscientos, y quarenta, y quatro, en que se
,, confermaron las dichas transactiones, y privilegios, y los
,, memoriales, y demandas puestas assi por el Señr Gran
,, Duque de Florencia, como por el dicho Marques Vin-
,, cencio Salviati con otros, que la Ciudad, y Casales han
,, presentado, y en su nobre el Doctor Juan Barraca su
,, Procurador; haviendo uydo a ambas partes con sus
,, Abogados; y considerando con la devida attencion los
,, Sennores Licenciados Joseph Gonzales, D. Antonio de
,, Valdes, y D. Francisco de Robles del Consejo Real de
,, Castilla Associados en esta causa de revista, y los Senno-
,, res Regentes del Consejo de Italia Marques Luis Cusano.
,, Roque Potenzano, D. Miguel Salamanca Comisario,
,, D. Alonso de Agras, y D. Frauicisco Merlino. Dijeron,
,, declararon, y sentenciaron en grado de revista, quel
,, el auto, que se proveyo per el dicho Consejo de Italia
,, en veinte, y uno de Febrero de mil, y seiscientos, y
,, quarenta, y cinco a favor del dicho Marques Vincencio
,, Salviati, confermando la venta de dichos Casales, se
,, haya de revocar, y que el auto, que se proveyo el di-
,, cho dia diez, y seis de Junio de mil, y seiscientos, y
,, quarenta, y quatro, por el qual se dixo, que la venta
,, hecha de dichos Casales, y posesion, que dellos se dio
,, al dicho Marques Vincencio Salviati se reduzca *ad pri-*
,, *stinum*, como atentada contro la forma de dichos Pri-
,, vilegios, transactiones, y ordenes de Su Magestad, re-
,, stituyendo la dicha Ciudad, y Casales de Cosencia en
,, la posesion del Real Demanio, como estavan antes de
,, ser vendidas, se haja, y deba confermar, y sentenciaron
,, nulas las ventas hechas de dichos Casales por los dichos
,, Duque de Medina de las Torres, y Almirante de Castil-
,, la, confermando las dichas transactiones, y assi lo
,, declararon, sentenciaron, y firmaron de sus nom-
,, bres dicho dia, mes, y año, Licenciado Joseph Gon-
,, zales, Licenciado D. Antonio de Valdes, D. Francisco
,, Robles Villafane, Luis Cusano, Marques de Ponte,
,, Roque Potenzano, el Regente D. Miguel de Salaman-
,, ca, D. Alonso de Agras, y D. Francisco Merlino. Y
,, siendo justo, que la dicha sentencia tenga su devido
,, cumplimiento, os encargo, y mando proveais, y deis la
,, orden, que convenga, para que luego, como se os pre-
,, sentera este mi orden, se execute, y cumpla justa su serie
,, y tenor, sin replica, ni contradiction alguna, y que en
,, conformitad della, pongais en la posesion de mi Real
,, Demanio a los dichos Casales, paraque gozen del, y le
,, tengan segun; y de la manera, y en la misma forma,
,, que le tenian, y gozavan antes de la venta dellos, or-
,, denando se execute, y cumpla la orden que mande dar
,, sobre esio en veinte, y tres de Junio, en virtude de-
,, decreto del dicho Consejo, de diez, y seis del mismo, de
,, mil, y seiscientos, y quarenta, y quatro, y tambien el
,, Privilegio de confirmacion del dicho Demanio despa-
,, chado en quatro de Agosto siguiente del dicho año de
,, mil, y seiscientos, y quarenta, y quatro, que se guar-
,, den, y cumplan las transactiones referidas por quanto se
,, ha determinado en justicia, y procede de mi determina-
,, da voluntad, y me avisareis de haverse assi todo exe-
,, cutado. La presente resta al presentante. Dada en Sara-
,, goza a diez, y ocho de Octubre de 1646. años.

YO EL REY.

Vidit Salamanca Regens - Vidit Cusanus Regens- Vidit Agraz Regens - Vidit D. Franciscus Merlinus Regens Carate Secretarius. In partium Neap. 23. fol. 22. Nil solvit, quia triplicatum, Roccus de Ariculeta Taxator.

,, Al Virrey de Napoles con la sentencia, que se ha
,, dada a istancia de la Ciudad, y Casales de Consencia
,, paraque se execute - Consultado - Locus Sigilli.

Per esecuzione delli quali vi fu interposto decreto del tenor seguente, v3. *Super executione Regiarum Literarum Suæ Catholicæ Majestatis, expeditarum sub die 18. mensis Octobris 1646. ad beneficium Casalium Civitatis Consentiæ super petito Demanio, ut in actis. Die 19 mensis Julii 1647. Neapoli, facta relatione S. E. in Regio Collaterali Consilio, Illustrissimus, & Excellentissimus* Dominus *Vicerex, Locumtenens, & Capitaneus Generalis, providet, mandat, atque decernit, quod exequantur prædictæ Literæ suæ Catholicæ Majestatis, & debitæ exequutioni demandentur juxta ipsarum seriem, continentiam, & tenorem, hoc suum, &c. Zufia Regens- Casanate Reg.- Sanfelicius R. Carolus Capyciuslatro Reg. Petrus de Falce Reg. Cancell- Supplicatum propterea nobis humiliter extitit pro parte retroscriptæ Universitatis, & hominum Civitatis prædictæ Consentiæ, & ejus Casalium, quatenus Regias Exequutoriales Literas, pro præmis-*

*missorum exequutione sibi expediri facere dignaremur; Nos itaque viso tenore prædicti præinserti Regii Privilegii, ac Regiarum Literarum Suæ Majestatis, volentes, ut tenemur Regis obedire Mandatis, tenore præsentium præcipimus, & mandamus omnibus supradictis Officialibus, Tribunalibus, & personis hujus Regni, majoribus, & minoribus, præsentibus, & futuris, ad quos, seu quem præsentes pervenerint, spectabunt, & fuerint quomodolibet præsentatæ, quatenus attenta per eos, & unumquemque ipsorum forma, & tenore prædicti præinserti Regi privilegii; ac præinsertarum Regiarum Literarum, illum, & illam sit, & esse debeat prædictis* Universitatibus, *Civibus Consentiæ, & ejus Casalium prædictorum, omnibusque eorum hominibus, ac posteris, & successoribus suis in perpetuum, ut supra, stabilis, realis, valida, atque firma; nullumque in judiciis, aut extra sentiat impugnationis objectum, defectus incommodum, aut noxæ cujuslibet alterius detrimentum, sed in suo semper robore, & firmitate persistat, & ut præfertur ad unguem inviolabiliter observentur, & exequantur, ac exequi, & observari faciant, per quos decet, juxta præinserti* Regii *Privilegii, ac præinsertarum Regiarum Literarum seriem continentiam, & tenorem, omni dubio, & difficultate cessantibus, lapsu temporis non obstante; & amplius ad majoris gratiæ cumulum, volumus, & decernimus, quod præsens Privilegium registrari debeat in* Registris, *& quinternionibus Regiæ Cameræ Summariæ, pro futura partium cautela prædictæ* Universitatis, *& hominum Civitatis præd.* Consentiæ, *& Casalium; & ejus contrarium non faciant pro quanto gratiam præfatæ Majestatis charam habent, ac pœnam ducatornm mille cupiunt evitare:* In *quorum fidem has præsentes fieri fecimus, magno præfatæ Majestatis Sigillo pendenti munitas: Datum Neapoli in Regio Palatio, die* 31. *mensis Octobris* 1648.

EL CONDE DE VILLAMEDINA.

Vidit Zufia Regens - Vidit Casanate Regens. Vidit Caracciolus Regens - Vidit Capyciuslatro Regens- Vidit Garzia Regens - Dominus Vicerex, Locumtenens, & Capitaneus Generalis mandavit mihi Joanni Angelo Barili-Solvit, &c. In Privilegiorum IV. fol. 109.

Esecutoria di Real privilegio, e preinserte Reali Lettere, per le quali Sua Maestà confirma l' istrumento, che si fè per l' Illustre Duca d' Alcalà, essendo Vicerè di questo Regno, ammettendo al Regio Demanio la Università, & homini della Città di Cosenza, e suoi Casali, con le condizioni in esso contenute, servata la forma del preinserto decreto, interposto per l' Illustri Predecessori di V. E. e Regio Collateral Conseglio, in forma Reg. Cancell., &c.- De Falces.

Concordat cum suo originali Registro, quod conservatur in Regia Cancellaria, meliori collatione semper salva. Datum Neapoli in Regia Cancellaria, die 23. mensis Julii 1720. - Dominicus Imparatus Scriba Registri.

*U.J. D. Franciscus Antonius Gabriel, Deputatus Fidelissimorum Consentiæ Casalium, imprimi curavit: Neapoli, die* 19. *mensis Septembris* 1720.

CA-

# CATALOGUS
## VIRORUM ILLUSTRIUM CALABRORUM,
## *Qui in hoc Opere continentur, alphabetico ordine dispositus.*

nus.

Adamus a Gemiliano Basilian. Episc. S. Leon.

Æmilius Bombinus Episc. Umbriat.

Agathius de Summa Episc. Catacen.

Alamanus Episc. Strongyl.

Alexander a S. Severina Episc. Urbevetan.

Alexander Magnus Cisterc. Episc. S. Marci.

Aloysius de Amato Episc. S. Marci.

Alphonsus Alvarez Guerrerius Episc. Monop.

Alphonsus Petruccius Episc. Belicastr.

Amerigus Episc. Scylacen.

Andreas Episc. Boven.

Andreas Nicoletta Episc. Isulanus.

Androneus Episc. Besidianen.

Angelus Græcus Episc. Martyranen.

Angelus Verardus Episc. Martyranen.

Annibal de Petro Paulo Episc. Castrimar.

Annibal Sillanus Episc. Castren.

Anselmus Episc. Mileten.

Antonius a Ciro Minorita Episc. Catacen.

Antonius de Caroleis Episc. Opeden. postmodum Besidianen.

Antonius de Paula Cisterc. Episc. Catacen.

Antonius Ganguzza Episc. Vestanen.

Antonius Jenisius Episc. Croton.

Antonius Laureus Episc. Belicastren.

Antonius Laureus Episc. Stasinen.

Antonius Luciferus Episc. Crot.

Antonius Morri Minorita Episc. Liparitan.

Antonius Papa Episc. S. Marci.

Antonius Ricciullus Episc. Umbriat.

Antonius Ruffus Cam. Ap. Cler.

Antonius Sanguagalus Episc. Strongylen.

Antonius Sorbillus Episc. Mileten.

Antonius Spoletinus Ep. Croton.

Antonius Strada Episc. Mileten

Antonius Maria Camalda a Blanda Episc. Strong.

Antonius Maria Sanctorus Episc. Scalen.

Arnulphus Episc. Mileten.

Ascanius Ferrerius Episc. Montispilosi.

Augustinus Monachus Episc. Isulan.

Balthassar de Judice Ep. Caputaquen.

Barlaam a Seminaria Basilian. Episc. Hieracen.

Barnabas Basilian. Episc. Opeden.

Bartholomæus Oliverius Episc. Umbriat.

Basilius I. II. & III. Episc. Hieracen.

Basilius I. & II. Episc. Rossanen.

Bassovinus Episc. Catacen.

Benedictus Hieracius Episc. Liparitan.

Bernardinus de Aragonia Episc. Boven.

Bernardinus Ferrarius Episc. Besidian.

Bernardinus Plastina Epi. Opeden.

Bernardus Episc. Geruntin.

Bernardus Laureus Episc. Sanctorinen.

Bernardus Piccolus Episc. Strongyl.

Bernardus Trentacapillius Ep. Besidianen.

Boemundus Episc. Neocastr.

Bonaventura Caballus Min. strict. obs. Episc. Casertan.

Cælestinus Labonia Episc. Montis Marani.

B. Cæsareus Episc. Nicoterien.

Cæsar Foggia Episc. Umbriaticen.

Cæsar Noparus Episc. Peranus.

S. Calimerus Calaber Episc. Mediolan.

Camillus Carvevalius Episc. Aurien.

Camillus Oliverius Ep. Gravin.

Carolus Consentia Episc. Vici Æquen.

Carolus Cuzzolinus Episc. Puteolan.

Carolus Peregrinus Episc. Avellinen.

Carolus Rossi Episc. Isulan.

Colandinus Episc. Tropæan.

Colochinus Episc. Tropæan.

Coridon Episc. Tropæan.

Coriolanus Martyranus Episc. S. Marci.

Cosmus I. & II. Episc. Rossanen.

Crescentius Episc. Locren.

Crocettus a Monte Minorita Episc. Crot.

Guillelmus I. & II. Episc. Geruntin.

Daniel Maurellus Castilionus Episc. Mileten.

Decius Episc. Tabernen.

Demetrius a Rhegio Episc. Corcyren.

Desiderius Mediopica Carmel. Episc. Ugentin.

Dionysius a Montileono ord. Præd. Ep. Venusin.

Dionysius Campanella Carmelita Episc. S. Agathæ Gothor.

Diosphorus Episc. Mileten.

Dominicus Carnevalius Episc. Isulan.

Dominicus de Marzano Episc. Boven.

Dominicus de Rubeis Episc. Strongyli.

Dominicus Laymus Episc. Vulturaræ.

Dominicus Peronacius Episc. Umbriat.

Dominicus Sabatinus Episc. Anglon.

Donatus Episc. Scylacen.

Donatus Minorita Episc. Anglonen.

Donatus Episc. Martyranen.

Drogon Episc. Scylacen.

Ebrardus Episc. Mileten.

Euangelista Turnefranza Episc. Catacen.

Eustachius Entrerius Ord. Minimor. Annibalis Episcopi Sabinen. Suffraganeus.

Eustasius Episc. Hieracen.

Fabius Olivadisius Episc. Catacen.

Fabricius Salernus Episc. Melphiten.

Fabricius Susanna Episc. Mont. Pilusi.

Felix Monachus Episc. Martyranen.

Felix Solazzius Castriota Episc. Besidianen.

Felix Via Ord. Minim. Episc. Asculan.

Flavianus Episc. Crot.

Fortunatus Durante Episc. Scylacen.

Fortunatus Minorita Episc. Catacen.

Franciscus a Paula Ord. Prædic. Episc. Maniliensis.

Franciscus ab Amanthea Ord. Præd. Episc. Tropæan.

Franciscus Arcerius Episc. Scylacen.

Franciscus Biblia Episc. Isulan.

Fr. Bonifatus Episc. S. Leonis

Franciscus Bruscus Conventual. Episc. Literanen.

Franciscus Cereus Ord. Minim. Episc. Lavell.

Franciscus Cribarus Episc. Nicoterien.

Franciscus Franchinus Episc. Mass. Popul.

Franciscus Marinus Ep. Isulen.

Franciscus Martyranus Minorita Episc. Coren.

Franciscus Megala Episc. Isulan.

Marcus Antonius Parisius Episc. Urien.
Marcus Antonius Raymundus Episc. Chariat.
Marius Laureus Ord. Præd. Episc. Campan.
Marius Mirabellus Episc. S. Marci.
Martinus Megala Episc Boven.
B. Matthæus a Consentia Episc. Geruntin.
Matthæus Griffonius Episc. Puteolan.
Menecrates Episc. Chariaten.
Michael Perista Episc. Umbriaticen.
Michael Petirrius Episc. Thermolaren.
Mirabellus Episc. S. Marci.
Molius Episc. Strongyl.
Mutius de Rosis Episc. Theanen.
Nicolaus Acerna Episc. Nolanus.
Nicolaus a Consentia Episc. Martyranen.
Nicolaus Citus Episc. Umbriaticen.
Nicolaus de Caprio a Saracena Episc. Iovinac.
Nicolaus Episc. Catacen.
Nicolaus Episc. Crot.
Nicolaus I. II. & III. Episc. Hieracen.
Nicolaus Episc. Isulensis.
Nicolaus Episc. Neocastr.
Nicolaus Episc. Rossanen.
Nicolaus Episc. Scylacen.
Nicolaus Maloperus Episc. Crotonien.
Nicolaus Marinus Episc. Tabernen.
Nicolaus Ricchettus Episc. Martyranen.
Nicolaus Maria Madafarrus Episc. Boven.
Niphus Episc. Hieracen.
N. Insillus Episc. Titular.
Obizus Ioannes Vicecomes de Ficechia Episc. Belicastren.
Opportunus Episc. Taurianensis.
Orestes Episcopus Vibonensis.
Organtinus Scarola Episc. S. Marci.
Palumbus Episcop. sive Archiep. Consentin.
Paschalis Episc. Rossanen.
Paulinus Episc. Taurianensis.
Paulus Æmilius Sammarcus Ep. Umbriat.
Paulus Collia Ord. Minim. Episc. Nicoterien.
Paulus Dianus Episc. Opeden.
Paulus Episc. Scylacen.
Paulus Philocamus Episc. Scylacen.
Paulus Pyromallus Ord. Præd. Episc. Besidianen.
Paulus Stabile Ord. Minim. Ep. Boven.
Peregrinus Episc. Paternen.
Petrus S. Liberato Episc. sive Archiep. Brundusin.
Petrus a Scalea Episcop. Neocastrensis.
Petrus a Scylaceo Episc. Vicensis.
Petrus Corsus Præsul.
Petrus de Affatato Episc. Minorin.
Petrus de Cavalcantibus C. R. Theat. Episcopus Puteolan.
Petrus de Corono Episc. Isulan.
Petrus de Majo Episc. Isulan.
Petrus de Sonnino Episc. Neocastr.
Petrus Episc. Crot.
Petrus Episc. Locren.
Petrus Episc. Marsican.
Petrus Episc opus Melivitensis.
Petrus Episc. Scylacen.
Petrus ex Monaster. S. Euphem Monachus. Episc. Strongyli.
Petrus Magri Episc. Policastren.
Petrus Ranerius Episc. Strongylen.
Philippus de Amato Episc. Umbriat.
Philippus de Lanzano Episc. Coronen.
Philippus Guerra Episc. S. Marci.
Philippus Jesualdus Episc. Geruntin.
Philippus Matera Episcop. Martyranen.
Philippus Spinellius Ep. Aversan.
B. Polychronius Episc. Geruntin.
Pompejus Mangionus U. S. Decanus.
Prosper Præsul Rhegin.
Raphael Bonellus Ep. Ragusæus
Raymundus Episc. Bojan.
Raynaldus Episc. Besidianen.
Raynaldus Episc. Paternen.
Rhodulphus Dulcinus Episc. Scylacen.
Riccardus I. & II. Episc. Scylacen.
Riccardus I. & II. Episc. Tropæen.
Robertus Episc Catacen.
Robertus Episc. Paternen.
Robertus Mazza Episc. Neocastr.
Rufinus Episcopus Vibonensis
Salvator Mosca Episc. Vicens.
Saturninus Episc. Rossanen.
Saxo Episc. Cosan.
Scipio Paschalis Episcop. Casalen.
Scipio Sersalis Episc. Isulan.
Sebastianus de Alexandris Carmelita Ep. Rudien.
Senator Martyranus Episc. Martyranen.
Sergius Episc. Nicoterien.
Sextilius Mazzuca Episc. Alexanen.
Sigismundus Mangiaruna Episc. Oppiden.
Silvester Matera Episc. Anglonen.
Silvester Stanous Episc. Minorin.
Sixtus de Ignatiis Episc. Trevicen.
Soffridus Episc. Cosan.
Stephanus de Rosis Episc. Hieracen.
Stephanus Episc. Locren.
Stephanus Episc. Mileten.
Stephanus Episcopus Rheginus
Stephanus Episc. Seberinat.
Stephanus I. & II. Episc. Tropæensis
Stephanus Episcopus Vibonensis
Stephanus Minorita Episcopus Urien.
Stephanus Sculco Episc. Hieracen.
Theodorus Episc. Taurianensis
Theodorus Episc. Tropæensis
Theodosius Episc. Crot.
Theophilus Episc. Thurinus
Theophilus Galluppus Episc. Oppiden.
Theotimus Episc. Crot.
Thomas Casellius Ord. Præd. Ep. Caven.
Thomas Melina Episc. Boven.
Thomas Oliverius Episc. Strongylen.
Thomas Rossius Episc. Chariaten.
Thomas Sirletus Episc. Scylacen.
Thomas Maria Francia Ord. Præd. Episcopus Aurien.
Tiberius Cortesius Episc. Lavellen.
Valerius Episc. Rossanen.
Venutus Minorita Episc. Catacensis
Vincentius Ferrerius Episc. Montispilosi
Vitalianus Marescanus Episc. Umbriat.
Ugo Episc. Scylacen.
Ugo Episc. Cosan.
Uluttus Episc. Besidianen.
Xaverius Ferrarius Episc. Martyra-

Augu-

Augustinus Caputus.
Cajetanus Argentus.
Carolus Ferrarius.
Carolus Selvago.
Cornelius Ruffus.
Didacus de Mari.
Fabius Monteleonius.
Fabritius Virgopia.
Flaminius Monachus.
Flaminius Parisius.
Franciscus Garofalus.
Franciscus Manardus.
Franciscus Simoneta.
Franciscus Telesius.
Hieronymus Calà.
Hyacinthus Biscardus.
Iacobus Caballus.
Iacobus Galliardus.
Io: Baptista Bovius.
Io: Marcus Aquilinus.
Io: Nicolaus Angelonius.
I. Vincentius Gravina.
Ioseph Schettinus.
Iulius de Legibus.
Iulius Cæsar Galluppus.
Lælius Caputus.
Ludovicus a Consentia.
Ludovicus Cherereus.
Marcus Antonius Curatolus.
Marcus Aurelius Severinus.
Nicolaus Carbone.
Paulus Merenda.
Petrus Paulus Parisius.
Seraphinus Biscardus.
Vincentius Quattrimanus.
Vitalis Vitale.

LEGISLATORES.

Androdamus Rheginus.
Elicaon Rheginus.
Gyptius Locrensis.
Helianactas Metauriensis.
Hipparcus Rheginus.
Onomacritus Locrensis.
Phytius Rheginus.
Salethus Crotonien.
Stenidas Locrensis.
Theæthetus Rheginus.
Timares Locrensis.
Zaleucus Locrensis.

MARTYRES. *Vide* SANCTITATE ET PIETATE CONSPICUI.

MATHEMATICI. *Vide* PHILOSOPHI.

MEDICI. *Vide* PHILOSOPHI.

MILITES, DUCES MILITUM, ET GUBERNATORES GENERALES.

Adenulphus de Aquino.
Alexander Maurellus.
Aloysius Amodeus.
Aloysius Antonius de Martinis.
Alphonsus Dattylus.
Altilius Alimena.
Americus de Cavalcantibus.
Andreas Firraus.
Andreottus Lauria.
Angelus Matera.
Antonellus Samblasius.
Antonius Fazzarus.
Antonius Laureus.
Antonius Ranerius.
Antonius Sersalis.
Auripius Arnonus.
Bartholomæus Malenus.
Bartholomæus Sersalis.
Bernardus Anania.
Bernardus Piccardus.
Bernardus Scaleonus.
Cæsar Gaeta.
Cæsar Passalacqua.
Chiattus Mirabellus.
Dominicus Asciuttus.
Dominicus Fazzalius.
Dragonettus Spatafora.
Ferdinandus Manardus.
Franciscus Castilionus Maurellus.
Franciscus Galeotta.
Franciscus Gironda.
Franciscus Matera.
Franciscus Pisanus.
Franciscus Ricca.
Franciscus Silvestrius.
Franciscus Antonius Dattylus.
Galeatius de Tarsia.
Gavinus a Consentia.
Georgius Sersalis.
Gerardus Matera.
Gothifredus a Consentia.
Guillus Iunti.
Guilelmus a Consentia.
Guilelmus Sirletus.
Henricus a Consentia.
Henricus Scaleonus.
Hieronymus Gualterius.
Horatius Civitella.
Horatius Majorana.
Iacobus Biblia.
Iacobus de Tarsia.
Ioannes Calaber.
Ioannes Malatacca.
Ioannes Paschalis.
Io: Alphonsus Ricca.
Io: Andreas Mediotesta.
Ioannes Baptista Alimena.
Io: Bernardinus Galeotta.
Ioannes Conradus Alimena.
Ioannes Franciscus Cicala.
Ioannes Victorius Maurellus.
Ioseph Comestabilis.
Iulianus Firraus.
Iulius de Alexandris.
Iulius Sersalis.
Lælius Samblasius.
Laurentius Tirellus.
Leonymus Crot.
Ludovicus Longobuccus.
Marcus Arduinus.
Marius Bonellus.
Mauritius Maurellus.
Mazzeus Maranus.
Milo Crot.
Nicias Consentinus.
Nicolaus Migliaresius.
Nicolaus Zingonus.
Nicolaus Antonius de Caroleis.
Nicolaus Maria Carnevalius.
Octavius Calaber:
Odoardus de Tarsia.
Paulus Carafa.
Paulus Gualterius.
Paulus Romanus.
Pelius Mazza.
Petrus Aloysius de Franco.
Petrus Antonius Ferrarius.
Philippus Gaeta.
Philippus Morettus.
Philippus Samblasius.
Phormio Crot.
Pompejus Mazza.
Ptolemæus Pipernus.
Raymundus Accomus.
Riccardus de Lauria.
Robertus Dattylus.
Robertus de Archis.
Rogerius de Lauria.
Rogerius de Tarsia.
Rogerius Firraus.
Rogerius Samblasius.
Rogerius Scaleonus.
Scipio Andreotta.
Scipio Chiricus.
Scipio de Rinaldis.
Thomas Florius.
Thomas Samblasius.
Troylus de Muro.
Valerius Montalcinus.
Vincentius de Tarsia.
Vincentius Florellus Dinus.
Vincentius Gaeta.
Vincentius Sersalis.
Virgilius Iannitellus.

MUSICI.

Aristo Rheginus.
Camillus Bilotta.
Eunomus Locren.
Eurytus Locren.
Felix Drogus.
Franciscus a Cellariis.
Franciscus Tornesius.
Gaspar Florinus.
Glaucus Rheginus.
Ibycus Rheginus.
Io: Baptista Corvellus.
Io: Camillus Bilotta.
Io: Loonardus Burghesius.
Ioannes Lucas Confortus.
Marcellus Drogus.
Michaelangelus Falvetta.
Nicolaus Tortomanus.

Stesi-

Marius Param atus.
Stesichorus Metauriensis.
Xenocrates Locren.

PHILOSOPHI, MEDICI, ET MATHEMATICI.

Acursius Musculus.
Adicus Locren.
Ægon Crot.
Æneas Sybarita.
Ageas Crot.
Agylus Crot.
Alcmæon Crot.
Aloysius Lilius.
Ambrosius Carpansanus.
Ameristus Metauriensis.
Andreas Fodius Gambara.
Andreas Girouda.
Androdamus Rheginus.
Antimedon Crot.
Antonius Casellus.
Antonius Lilius.
Antonius Roccus.
Antonius Telesius.
Antonius Zacconus.
Arignotis Crot.
Aristæus Crot.
Aristides Rheginus.
Aristocrates Rheginus.
Ascon Crot.
Astylus Crot.
Athosion Rheginus.
Augustinus Donius.
Augustinus Nipha.
Bartholomæus de Aquino.
Bartholomæus Quattrimanus.
Bernardinus Bombinus.
Bernardinus Riccius.
Bernardinus Telesius.
Biscala Crot.
Boythius Crot.
Brontinus Croton.
Bruno Longoburgensis.
Bryas Crot.
Bulgaras Crot.
Cæsar Romæus.
Calais Rheginus.
Calciphon Crot.
Callibratus Caulon.
Callistenes Sybarita.
Camillus Salernus.
Celsus Mollius.
Cetus Locren.
Cleophron Crot.
Cleostenes Crot.
Cyromachus Thurinus.
Damæa Crot.
Damodes Crot.
Deax Sybarita.
Democides Crot.
Demosthenes Rheginus.
Dicon Caulon.
Didacus Ragusa.
Dinono Crot.
Diocles Sybarita.
Dominicus Baviera.
Dominicus Pizzimettus.
Drymon Caulon.
Dymas Crot.
Ecphantes Crot.
Elicaon Rheginus.
Empedus Sybarita.
Enandrus Crot.
Episylus Crot.
Eratus Crot.
Euanor Sybarita.
Euetes Locren.
Eurytus Locren.
Euthemus Locren.
Euthycles Rheginus.
Fabius Hermogida.
Franciscus Darius.
Franciscus Maurus.
Franciscus Mutus.
Franciscus Supravia.
Fulvius Virdianus.
Gartydas Crot.
Glaucus Rheginus.
Gregorius Caloprese.
Hieronymus de Pyris.
Hieronymus Sannius.
Hieronymus Vecchiettus.
Hipparcus Rheginus.
Hippyas Rheginus.
Horatius Lumbisanus.
Jacobus Gaeta.
Jacobus Podericus.
Ignatius Baraccha.
Joannes de Albertis.
Jo: Alphonsus Borellius.
Jo: Andreas de Nola.
Jo: Baptista Alemagna.
Jo: Baptista Amicus.
Jo: Baptista Carnevalius.
Jo: Baptista de Rubeis.
Jo: Baptista de Sancto Blasio.
Io: Baptista Ianuarius.
Io: Baptista Modius.
Ioannes Baptista Vecchiettus.
Io: Franciscus Branca.
Io: Iacobus Pavisius.
Io: Leonardus Tufarellus.
Ioannes Maria Bernandus.
Io: Thomas Martyranus.
Ioseph Aceti,
Ippodamus Thurinus.
Ippostenes Crot.
Ippostratus Crot.
Ispasus Sybarita.
Itaneus Crot.
Iulius de Cavalcantibus.
Iulius Iazzolinus.
Iulius Cæsar Baricelli.
Iulius Cæsar Commercius.
Lactantius Rocca.
Laurentius Gauderinus.
Laurentius Mirabellus.
Leophron Crot.
Lycus Rheginus.
Mamercus Crotoniat.
Marcus Aurelius Severinus.
Mamertinus Metauriensis.
Martius Attilius.
Mea Crot.
Menester Sybarita.
Menon Crot.
Metopus Sybarita.
Mias Croton.
Milo Crot.
Mnesibolus Rheginus.
Myllias Crot.
N. Telesianus a Stylo.
Neocles Crot.
Nicolaus a Crypteria.
Nicolaus Rheginus.
Nicolaus Rodius.
Obsimus Rheginus.
Octavius Camerarius.
Onatus Crot.
Parmenides Locren.
Paulus Antonius a Montalto.
Petrus a Pentedactylo.
Petrus Buzurgius.
Petrus Vianeus.
Phetius Rheginus.
Phiciadas Crot.
Philippus Medamensis.
Philistion Locrensis.
Philodamus Locren.
Philolaus Crot.
Philtis Crot.
Polemæus Sybarita.
Pompejus de Falce.
Prosper a Rhegio.
Proxenus Sybarita.
Pythagoras Rheginus.
Pythagoras Samius.
Pythagorizussa Crot.
Python Rheginus.
Q. Tiberius Angelerius.
Robertus Mirabellus.
Rodippus Crot.
Rutilius Benincasa.
Selinuntius Rheginus.
Sertorius Quattrimanus.
Silius Crot.
Simon Portius.
Sosistratus Locren.
Stenonides Locren.
Thæthetus Rheginus.
Theano Crotoniens.
Thelauges, seu Theauges Crot.
Theocles Rheginus.
S. Thomas Aquinius.
Thomas Campanella.
Thomas Cornelius.
Tiberius Alpharanus.
Tiberius Rosellius.
Timasius Sybarita.
Timæus Locrensis.
Timicha Crot.
Tirseines Sybarita.
Tirsenus Sybarita.
Vincentius Laureus.
Vincentius Protospatarus.
Vincentius Quattrimanus.
Xenon Locren.
Zaleucus Locrensis.

PICTORES.

Antonius Spanous.
Franciscus Cozza.
Franciscus Zoda.
Gregorius Preti.
Marcus Calaber.
Mathias Preti.
Petrus a S. Catharina.
Petrus Negronus.
Praxiteles Peripolitanus.
Scyllax Rheginus.
Zeusis Heracleotes.

POETÆ.

Alexis Sybarita.
Aulus Pyrrhus Cicala.
Carolus de Aquino.
Charita Locren.
Ciccus a Mileto.
Cleonymes Rheginus.
Coriolanus Martyranus.
Cosmus Maurellus Castilionus.
Felix a Maida.
Felix Ranerius.
Franciscus Acerbus.
Franciscus Franchinus.
Franciscus Manfredus.
Franciscus Saccus.
Fulcus Calaber.
Gabriel Altilius.
Galeatius de Tarsia.
Guido de Cavalcantibus.
Hemitheon Sybarita.
Hieronymus Madottus.
Hippyas Rheginus.
Ianus Pelusius.
Ibycus Rheginus.
Ioannes Telesius.
Io: Antonius Cæsarius.
Ioannes Baptista Arduinus.
Io: Baptista Gregoracius.
Ioannes Baptista Samblasius.
Ioannes Baptista Sersalis.
Io: Paulus Cæsarius.
Josephus Donatus.
Iulianus Barrada.
Lucius Vitalis.
Lucretia a Valle.
Lycophron Rheginus.
Marcellus Riccius.
Marcus de Philippis.
Menander Sybarita.
Nicolaus Antonius Marinus.
Orpheus Crot.
Patrocles Thurinus.
Petrus Paulus Rossius.
Pyrrhus Schettinus.
Quintus Calaber.
Rocchus Maurellus.
Stephanus Sybarita.
Stesichorus Metauriensis.
Theagenes Rheginus.
Theano Crotoniens.
Theano Locren.
Thurus Sybarita.
Vincentius Bombinus.
Xenocrates Locren.

PONTIFICES ROMANI.

S. Agatho.
S. Antherus.
S. Dionysius.
S. Eusebius.
Ioannes VII.
S. Leo II.
Stephanus III. sive IV.
S. Telesphorus.
S. Zacharias.
S. Zosimus.

REGES.

Agathocles.
Aristophilides.
Brettus, seu Brentius.
Constantia Imperatrix.
Guilelmus I.
Guilelmus II.
Io: Dionysius Galenus Ulluccialius dictus.
Morges.
Octavianus Cæsar Augustus.
Rogerius.

SANCTITATE ET PIETATE CONSPICUI.

*EREMITÆ*

Albentius Rossi.
Euphemus a Rossano.
S. Falcus.
S. Francus, sive Franciscus.
S. Hilarius.
Ignatius ab Angitula.
S. Ioannes.
S. Nicolaus.
S. Oranthes.
S. Rinaldus.
B. Telesphorus Consentinus.

*Martyres.*

S. Agnes.
S. Angelus Minorita.
S. Antherus Papa.
S. Aquilinus.
S. Arsenia sive Eusebia.
S. Antheon.
S. Bessia.
S. Beturius.
B. Cæsareus.
S. Calimerus.
S. Candidus.
S. Cantianus.
S. Cantionilla.
S. Cassiodorus.
S. Chrysogonus.
S. Citinus.
S. Cucuphates.
S. Daniel Minorita.
S. Dominata.
S. Dominica.
S. Donata.
S. Donnulus Minorita.
S. Dorotheus.
S. Eusebius Papa.
S. Fantius.
S. Felicitas.
S. Felix.
S. Felix alter.
S. Flavianus.
S. Florentinus.
S. Generosa.
S. Helena Basilian.
S. Ianuarius.
S. Ianuarius Episcopus
S. Lactantius.
S. Leo Minorita.
S. Martialis.
S. Nicolaus Minorita.
S. Nivitus.
S. Onuphrius Basilian.
S. Perpetua.
S. Protus.
S. Quintianus.
S. Samuel Minorita.
S. Secunda.
S. Senator.
S. Speratus.
S. Telesphorus Papa.
S. Theodata.
S. Theodulus.
S. Venera.
S. Viator.

*Presbyteri.*

Agathius Guidacerius.
Antonius a Besidiano.
S. Aper ab Amygdalaria.
Benagiamus Romæus.
Bernardus Militia.
Didacus Belsitus.
Dominicus Amodeus
Dominicus Schinnius.
Fernandus Ritura.
Franciscus Cacciavillanus.
S. Grimoaldus ab Amygdalaria.
Hieronymus Faba.
Iacobus Salvinus.
S. Ioannes ab Amygdalaria.
Io: Antonius Anania.
Io: Baptista Guercius.
Ioseph Carusius.
Ioseph Faraldius.
Ioseph Marropadi.
Ioseph Nocera.
Ioseph Pace.
Marcus Candiotta.
Marcus Massa.
Marcus Antonius Solima.
Nicolaus Aloysius Baronius.
Nicolaus Santes de Luca.
Persius Romanus.
Stephanus Rodatà.
*Vide* PONTIFICES ROMAN.

*Regulares.*

Ægidius a Rhegio Minorita.
Ægidius a Rossano Min. strict. obs.

Al.

Albertus Gullus Ord. Minim.
Alexander a Caroleo Capucc.
Aloyſius de Aquino Ord. Prædic.
Ambroſius a Hieracio Capuccin.
S. Ambroſius a Stylo Baſilian.
Andreas a S. Severina Capuccin.
Andreas a Tropæa Ord. Minim.
B. Andreas de Martinis Ord. Minim.
Angelus a Beſidiano Minorita.
Angelus a Calanna Capuccin.
S. Angelus a Caſtrivillaro Minorita.
B. Angelus a Conſentia Minorita.
Angelus a Montileono Minorita.
Angelus a Neocaſtro Capuccin.
Angelus a Palitio Capuccin.
Angelus a Regio Min. Conventual.
Angelus a S. Martino Capuccin.
Angelus a Sapano Ord. Minim.
Angelus a Saracena Ord. Minim.
B. Angelus Alepartus Ord. Minim.
Angelus Aleſſius Min. ſtrict. Obſer.
Angelus Ierace Minorita.
Angelus Serra S. Franc. de Paul Tertiar.
Anna Labruta Tertiar. S. Dominici.
Anſelmus a Roſſano Capuccin.
Anſelmus a Serra Ord. Capuccin.
B. Antonius Baſilian.
Antonius Calaber Capuccin.
Antonius a Balnearia Capuccin.
Antonius a Catanzaro Minorita.
Antonius a Ceriſano Ord. Præd.
B. Antonius a Cetrario Min. Obſ.
Antonius a Ciro Min. ſtrict. obſ.
Antonius a Conſentia Ord. Capuccin.
Antonius a Coriolano Capuccin.
Antonius a Fligidio Min. ſtrict. obſerv.
B. Antonius a Hieracio Baſilian.
Antonius a Montileono Minorita.
Antonius a Paterno Ord. Minim.
Antonius a Rhegio Capuccin.
Antonius a Serra Ord. Capuccin.
Antonius ab Olivado Capuccin.
Antonius Aſta Ord. Capuccin.
Antonius Bonius Ord. Minim.
Antonius Caſtilionus Maurellus Min. ſtrict. obſerv.
Antonius Grandinettus a S. Ianuario Ord. S. Auguſt. Diſcalceat.
Antonius Mazza Carthuſian.
Antonius Paparottus Ord. Prædic.
Antonius Pugliſius Calaber Soc. Ieſu
Antonius Rizoleus Ord. Minimor.
Antonius Sabinus Carthuſian.
Antonius Schipanus Soc. Ieſu.
B. Antonius Scocettus Minorita.
Antonius Toſcanus Min. ſtrict. obs.
Fr. Apoſtolus Conventual.
Archangelus a Longoburgo Ord. Minim.
Archangelus a S. Dominica Ord. Præd.
B. Archangelus Ord. Minimor.
S. Arſenius a Rhegio Baſilian.
Auguſtinus a Dipiniano Ord. Capuccin.
Bartholomæus a Paterno Ord. Minim.
S. Bartholomæus a Semiri Abbas.
Bartholus a Philocaſtro Min. ſtrict. obs.
Benedictus a Calatro Capuccin.
Benedictus a Fiſcaldo Ord. S Auguſt.
Benedictus a Rhegio Capuccin.
Bernardinus a Beſidiano Capuccin.
Bernardinus Aceti Min. ſtrict. obſerv.
Bernardinus Gironda Ord. Minimor.
B. Bernardus a Cropalato Ord. Minimor.
S. Bertholdus Calaber Carmelita.
B. Blaſius I. II. & III. Baſilian.
B. Bonatius Ciſtercien.
Bonaventura a Caſuono Minorit.
Bernardus a Catanzario Min. ſtrict. obs.
Bonaventura a Cruculo Minorita ſtrict. obs.
Bonaventura a Dipiniano Minor. ſtrict. obſerv.
Bonaventura a Mileto Minorita.
Bonaventura a Petraſicta Ord. Capuccin.
Bonaventura a Pitio Capuccin.
Bonaventura a Radicina Capuccin.
B. Bonaventura a Rhegio Capuc.
Bonaventura a Zachariſio Min. ſtrict. obſerv.
Bonaventura Perna Conventual.
Camillus Conſtantius Soc. Ieſu.
Catharina a Scylaceo Tertiar. Ord. S. Franciſci.
Catharina Malarbi Sanctim. Ord. Prædic.
B. Chryſoſtomus Baſilian.
Chryſoſtomus a Levidonia Capuccin.
Clara Aceti Inſt. Capuccin. Sanctim.
Claudius a Stylo Carthuſian.
B. Columbanus Ciſtercien.
S. Conſtantinus a Bova Baſilian.
B. Cornelius Camaldulen.
Coſmas a Caſtroveto Capuccin.
B. Coſmas a Rhegio Baſilian.
B. Cyprianus Baſilian.
S. Cyricius Abbas.
S. Demetrius Baſilian.
Didacus a Carero Min. ſtrict. obſ.
Dionyſius a Rubeto Ord. Minim.
Dionyſius a Taberna Capuccin.
Dominicus Calaber Min. ſtrict. obſ.
Dominicus a Mileto Minorita. I. & II.
Dominicus a Mileto Min. ſtrict. obſer.
Dominicus a Montileono Min. ſtrict. obſerv.
Dominicus a Paterno Ord. Minim.
Dominicus a Paula Ord. Minim.
Dominicus a Polyſtina Min. ſtrict. obſerv.
Dominicus a Soriano Ord. Prædic.
Dominicus Anania Ord. Prædic.
Dominicus Lancetta Min. ſtrict. obſ.
Dominicus Martelluccius Ord. Prædic.
S. Donnulus a Caſtrivillaro Minorita.
S. Elias a Rhegio Baſilian.
B. Elias a S. Severina.
S. Eliſabeth Baſiliana.
Euangeliſta Gattus Soc. Ieſu.
Euſebius Calaber Capuccin.
Euſebius a S. Catharina Capuc.
B. Euthimius Baſilian.
B. Fantinus Calaber.
B. Fantinus alter, Taurianenſis.
Florentius a Longoburgo Ord. Minimor.
Franciſcus Calaber Ord. Servor. Matris Dei.

Fran-

Francifcus Calaber Tert. Ord S Franc.
Francifcus a Balnearia Min. ftrict. obf.
B. Francifcus a Bovalina Min. ftrict. obferv.
Francifcus a Caftroveto Capuc.
Francifcus a Cerifano Or. Minim.
Francifcus a Cetrario Min. obs. Reform.
B. Francifcus a Cropano Minorita.
Francifcus a Hieracio Capuccin.
Francifcus a Paterno Ord. Capuccin.
Francifcus a Paula. Min. Obs. Reform.
B. Francifcus a Rhegio Capuccin.
B. Francifcus a S. Marco Min. Obferv.
Francifcus a S. Martino Capuccin.
B. Francifcus a Sapano Ord. S. Auguftini.
Francifcus a Scylaceo Min. ftrict. obf.
Francifcus a Sitigiano Minorita.
Francifcus a Soriano Ord. Capuccin.
Francifcus a Synopoli Capuccin.
Francifcus ab Agello Min ftrict. obferv.
Francifcus ad Apriliano Ord. Capuccin.
Francifcus ab Arocella Min. ftrict. obferv.
Francifcus Albertinus Soc. Jefu
Francifcus de Lembo Ord. Minim.
S. Francifcus de Paula. Ord. Minim. Fundator.
Francifcus Longus Ord. Minim.
Francifcus Majoranus Ord. Minim.
Francifcus Marianus Ord. Minor.
Francifcus Matemera Min. ftrict. obferv.
Francifcus Pavone Soc. Jefu
Francifcus Poerius Min. ftrict. obferv.
Francifcus Samblafius Soc. Iefu
Francifcus Siderius Minor. ftrict. obferv.
Francifcus Maria Imeneus Ord. Prædic.
Fulvius Caputus Soc. Iefu.
Galaton Bafilian.
B. Georgius Bafilian.
Georgius a Rhegio Min. ftrict. obf.
B. Gerardus Ciftercien.
S. Gregorius Bafilian.
Guido Calaber Carthufian.
Guilelmus a Tarfia Auguftinian.
Hieronyma a Paterno S. Francifci de Paula Tertiaria
Hieronymus a Hieracio Ord. Prædic.
Hieronymus a Melivito Ord. Minim.
B. Hieronymus a Mesoreacio Minorita
Hieronymus a Monfauro Inftit. Seraph.
Hieronymus a Montileono Auguftinian. difcalceat.
Hieronymus a Rhegio Capuccin.
Hieronymus a Rubeto Minorita
Hieronymus a S. Georgio Capuccin.
Hieronymus a Syllano Ord. S. Auguft.
Hieronymus ab Aquario Capuccin.
Hieronymus Barlingous Bellotta Minorita.
Hieronymus Monfolinus Ord. Prædic.
Hilarius ab Acra Capuccin.
Humilis a Paterno Ord. Capuccin.
Iacobus a Rhegio Capuccin.
Iacobus a Suberato Capuccin.
Iacobus Brunus Ord. Præd.
Iacobus Brunus alter Ord. Præd.
Iacobus Calaber Tert. Ord. S. Franc.
B. Iejunius a Hieracio Bafilian.
Ignatius ab Angelo Cuftode Scholar. Piar.
Innocentius a Purificatione Auguftinian. difcal.
B. Ioannes Bafilianus.
B. Ioannes Ciftercien.
B. Ioannes Calaber Ord. Prædic.
B. Ioannes Minorita.
Ioannes a Bianco Ord. Prædic.
Ioannes a Bonifato. Ord. Minim.
B. Ioannes a Caftrivillaro Minorita.
Ioannes a Dipiniano Ord. Capuccin.
Ioannes a Petrafida Ord. Capuccin.
Ioannes a Regina Ord. Minim.
B. Ioannes a Rhegio Capuccin.
Ioannes a S. Fili Ord. Minim.
Ioannes a S. Lucido Or. Minim.
Ioannes a Seminaria Capuccin.
Ioannes a Soriano Ord. Capuccin.
Ioannes a Tropæa Ord. Minim.
B. Ioannes Cadurius Ord. Minimor.
Ioannes de Bono Ord. Minim.
Ioannes Ioachimus Ciftercien.
Ioannes Mazza Carthufian.
Ioannes Montiel Soc. Iefu.
Ioannes Romæus Capuccin.
Io. Baptifta a Befidiano Capuccin.
Io: Baptifta a Lataraco Ord. Minim.
Io: Baptifta a Polyftina Ord. Prædic.
Ioannes Baptifta a S. Fili Ord. Minim.
Io: Baptifta Cariddius Soc. Iefu.
Ioannes Baptifta Ragufa Soc. Iefu.
Io: Petrus Cananea Scholar. Piar.
Io: Petrus Feulus Cl. Reg. Theat.
Iofeph a Cropano Min. ftrict. obf.
Iofeph a Seminaria Min. ftrict. obs.
Iofephus a Malleis Ord. Capuccin.
Iofephus a Pedatio Ord. Minim.
Iuftinus a Badolato Min. ftrict. obf.
Iulius Calaber Auguftinian.
Iuniparus a Neocaftro Min. ftrict. obferv.
S. Laurentius Bafilian.
S. Leo Abbas Mulen.
Leo Calaber Auguftinian.
Leo a Cænifio Capuccin.
S. Leo de Summa Minorita.
Lucas Calaber Capuccini.
B. Lucas Ciftercien.
B. Lucas I. II. & III. Bafilian.
S. Lucas a Melichlochia Bafilian.
Lucas Tiriolus Min. ftrict. obs.
Ludovicus a Rhegio Min. ftrict. obs.
Ludovicus a S. Chriftina Minorita.
Ludovicus a Serra Ord. Capuc.
Ludovicus Mandarano. Ord. Prædic.
Magdalena Galliarda Santimon. Ord. Prædic.
Manfuetus a Hieracio Capuccin.
Manfuetus a Scandalio Min. ftrict. obf.
Manfuetus a Zacharopoli Minorita.
*Marcellus* Scaleonus Soc. Iefu.
*M.* Aurelius Caffiodorus Benedictin.
*Maria Malarbi* Sanctim. Ord. Prædic.

B. *Mar.*

## SCRIPTORES ET ERUDITI.

Constantinus Granitus.
Coriolanus Martyranus.
Cornelius Ajellus.
Cornelius Ruffus.
Cyromachus Thurinus.
Dædalus Fortunatus.
Deax Sybarita.
Democides Crot.
Didacus a Pizzono.
Didacus de Mari.
Diocles Sybarita.
Dominicus a Montileono.
Dominicus a Terranova.
Dominicus de Sanctis.
Dominicus Cianciarusius.
Dominicus Fiumara.
Dominicus Longus.
Dominicus Martyre.
Dominicus Pizzimettus.
Dominicus Serius.
Dominicus Felix Verardi.
Donatus Pollienus.
Ecphantes Crot.
Elias Astorinus.
Elias de Amato.
Empedus Sybarita.
Eradoctius Thurinus.
Euangelista Turnefranza.
Euanor Sybarita.
Eurytus Locren.
Fabius Bova.
Fabius Hermogida.
Fabricius a Valle.
Fabricius Biblia.
Fabricius Castilionus Maurellus
Faustinus Salernus.
Felix Rotundus.
Felix Solazzius.
Felix Antonius Brognus.
Ferdinandus Conca.
Fernandus Ritura.
Ferrantes Stocchius.
Flaminius Monachus.
Flaminius Parisius.
Flavius Fieschi.
Franciscus a Valle.
Franciscus Albertinus.
Franciscus Amicus.
Franciscus Arcerius.
Franciscus Cangenus.
Franciscus Catalanus.
Franciscus de Rubeis.
Franciscus Franchinus.
Franciscus Granus.
Franciscus Galluppus.
Franciscus Longus.
Franciscus Majorana.
Franciscus Marinus.
Franciscus Mutus.
Franciscus Oliverius.
Franciscus Palmerius.
Franciscus Parisius.
Franciscus Pavone.
Franciscus Pisciotta.
Franciscus Pyrrinus.
Franciscus Saccus.
Fabricius Salernus.
Franciscus Samblasius.
Franciscus Spinellius.
Franciscus Supravia.
Franciscus Telesius.
Franciscus Vitalis.
Franciscus Zaccone.
Franciscus Zavaroni.
Franciscus Antonius Rossius.
Franciscus Antonius Spada.
Franciscus Maria Labonia.
Fridericus Roccus.
Gabriel de Marchis.
Gabriel Mascarus.
Galeatius de Angelis.
Gaspar a Fosso.
Gaspar Florinus.
Georgius Fotinus.
Glaucus Locren.
Glaucus Rheginus.
Gregorius Caloprese.
Gregorius Angelerius.
Gregorius de Orlando.
Gregorius Pinellius.
Guilelmus Sirletus.
Hector de Guido.
Hector Sersalis.
Hemitheon Sybarita.
Herasippus Locren.
Hieronymus a Soriano.
Hieronymus Calà.
Hieronymus Dattylus.
Hieronymus de Pyris.
Hieronymus Galopoli.
Hieronymus Gaudeanus.
Hieronymus Madottus.
Hieronymus Marafiotus.
Hieronymus Musitanus.
Hieronymus Ricciullus.
Hieronymus Rocchus.
Hieronymus Samblasius.
Hieronymus Vecchiettus.
Hilarius Tranquillus.
Hipparcus Rheginus.
Hippyas Rheginus.
Horatius Iannutius.
Horatius Lumbisanus.
Hyacinthus Garcæa.
Hyacinthus Maysanus.
Hyacinthus Scarpellus.
Hyacinthus Serraus.
Iacobus Brunus.
Iacobus Gaeta.
Iacobus Galliardus.
Iacobus Græcus.
Ianus Lucinius.
Ianus Parrhasius.
Ianus Pelusius.
Ianus Theseus Casoperus.
Ibycus Rheginus.
Ignatius Adamus.
Ignatius Majorana.
Ignatius Samblasius.
Ioannes a Siderono.
Ioannes Crassus.
Ioannes Falconius.
Ioannes Florius.
Ioannes Germanus.
Ioannes Ruffus.
Ioannes Serjoannius.
Ioannes Simoneta.
Io: Alphonsus Borellius.
Io: Alphonsus Mantega.
Ioannes Andreas de Georgio.
Io: Andreas Filante.
Io: Angelus Spagnolius
Io: Antonius Anania
Io Antonius Cæsarius
Io: Antonius Martellinus
Ioannes Antonius Palatius
Io: Antonius Pandosius.
Io: Antonius Vallone
Io: Baptista Alemagna
Io: Baptista Amicus
Io: Baptista Argirò
Io: Baptista Bonjoannius
Io: Baptista Bovius
Io: Baptista Carnevalius
Io. Baptista Catanzaritius
Io: Baptista Corvellus.
Io: Baptista de Nola Molisi
Io: Baptista Fanellus
Io: Baptista Iannella
Io: Baptista Iardinus
Ioannes Baptista Martyranus.
Io Baptista Modius
Io: Baptista Palazzius
Io: Baptista Piatti
Io: Baptista Scurus
Ioannes Baptista Telesius
Io: Chrysostomus a Gemiliano
Ioannes Dominicus Coscia
Io: Dominicus de Nigris
Io Dominicus Fratea
Ioannes Dominicus Maurus
Io: Franciscus Gemellius
Io: Franciscus Gualterius
Io: Franciscus Paparus
Io: Franciscus Raymondi
Io: Franciscus Savarus
Io: Franciscus Tranquillus
Io: Horatius Scollius
Io: Iacobus Bombinus,
Io: Iacobus de Martino
Io: Iacobus Pavisius.
Ioannes Ioachinus Abbas
Io: Laurentius Anania
Io: Leonardus Tufarellus.
Io: Marcus Aquilinus
Ioannes Paulus de Aquino
Io: Paulus Cæsarius
Io: Paulus Gualterius.
Io: Paulus Marincola
Ioannes Petrus Soda
Io: Pierius Ciminus
Io: Thomas Martyranus
Io. Vincentius Gravina.
Iordanus Polisichius
Iordanus Rufus
Ioseph Aceti.
Ioseph Bisogno
Ioseph de Amato

Io-

## STATUARII.



## SUPERIORES GENERALES SACRORUM ORDINUM.

Hieronymus Serfalis Abbas Montis Cafini
Joannes Aletus Ord. Minim.
Ioannes Bucatius Minorita, ftrictior. Obferv. bis Commiff. Gen.
Ifidorus Samblafius Ord. Minim.
Iulius Mantineus Congr. Cæleftin.
Laurentius Ciollarus Ord. Minim.
Lucas a S. Georgio Congr. Cæleftin.
Marcellus Palmerius Ord. Minim.
Marcus Antonius Mazziotta Bafilian.
Nicolaus a Rhegio Congr. Olivetan.
S. Nilus Bafilian.
Placidus a Polyftina Congr. Cæleftin.
Petrus Curtus Ord. Minim.
Petrus Mennitus Bafilian.
Silvefter a Montileono Ord. Capuccin.
Stephanus Carlevalius Ord. Minimor.
Thomas Serfalis Cl. Reg. Theat.

THEOLOGI.

Agathius Guidacerius.
Albertus de Jufo Ord. Prædic.
Annibal Rofellus:
Antonius Condimitti Ord Prædic.
AuguftinusCavallus Ord. Præd.
Barlaam a Seminaria Bafilian.
Bernardinus a Feroleto Min. ftrict. Obferv.
Bernardus Barbatanus Minorita.
Defiderius Mediopica Carmelita.
Dionyfius a Montileono Ord. Prædic.
Dominicus de Sanctis Ord. Prædic.
Dominicus Tranquillus Ord. Minim.
Francifcus a Malleis Ord. Capuccin.
Francifcus Amicus Soc. Iefu.
Francifcus de Rubeis Minorita.
Francifcus Longus Capuccin.
Francifcus Samblafius Soc. Iefu.
Francifcus Spinellius Ord. Capuccin.
Francifcus Zaccone Ord. Præd.
Francifcus Zavaroni Ord. Minim.
Gafpar a Foffo Ord. Minimor.
Gregorius Carbonellus Ord. Minim.
Guilelmus Sirletus.
Hieronymus Mufitanus Ord. Prædic.
Iacobus Brunus Ord. Prædic.
B. Ioannes Bafilianus.
Io: Dominicus Ettore.
Ioannes Ioachimus Ciftercien.
Iofeph Maria Perrimezzi Ord. Minim.
Lactantius ArturusConventual.
Marcellus Megala CL. Regul. Theat.
Martialis Peregrinus Conventual.
M. Aurelius Caffiodorus.
S. Nilus Bafilian.
Paulus Pyromallus Ord. Prædic.
Petrus a Pentedactylo Bafilian.
Petrus de Marina.
Petrus Croccus Ord. Præd.
Philippus Guerra.
Silvefter a Machæra Ord. Minim.
Stephanus a Cofano Ord. Præd
Stephanus Pepe Cler. Reg. Theat.
Theophilus a Tropæa aliis a Briatico Ord. Præd.
S. Thomas Aquinius Ord. Prædic.
Thomas CampanellaOrd. Præd.
Thomas Cafellius Ord. Præd.
Thomas Porta Minorita.
ThomasMaria Amendolia Ord. Prædic:

TOGATI.

Adamus a Duffiaco
Agathius Scriverius
Andreas Arduinus
Andreas Ganguzza
Andreas Garofalus
Angelus Chriftianus
Antonius Gaeta
Antonius Pepe
Antonius Plaftina
Antonius Telefius
Bartholomæus Bombinus
Bernardinus de Bernardis
Bernardinus Vulcanus
Bernardus Striverius
Brittus Moranus
Cæfar Biblia
Cajetanus Argentus
Carolus Calà
Carolus Maurellus Caftilionus
Curtius Bombinus.
Dantes Olivadifius
Ferdinandus Bifbal
Ferdinandus de Amato
Ferdinandus Laureus
Flaminius Samblafius
Francifcus de Tarfia.
Francifcus Laureus
Galeatius de Tarfia.
Galeatius Monachus
Gaudius Romanus
Gualterius Poerius
Guilelmus Frofina
Heliodorus Caffiodorus
Hieronymus de Balzo
Hieronymus Quattrimanus
Hyacinthus Alcadus Fillettus.
Hyacinthus Bifcardus.
Innocentius Paganus.
Ioannes Laureus.
Ioannes Andreas de Georgio.
Io: Antonius Moranus.
Io: Hieronymus Gonfaga.
Io: Hieronymus Moranus.
Jo: Hieronymus Trombatore.
Leander Aloe.
Leo a Rhegio.
Leo Matera.
Lucius Rheginus.
L. Æmilius Mamercus.
Lucius Brutius.
Lufticus Brettianus.
L. Pofthumius.
L. Temfanus.
Marcellus Craffus.
M. Aurelius Caffiodorus.
M. ÆmiliusLepidus Mamercus.
M. Æmilius Mamercinus.
Marinus Bolotta.
Marius Carbonellus.
Marius Pepe.
Martinus Minerva
Martinus Palatius.
Matthæus Reggio.
Nicolaus de Amato.
Nicolaus Forafterius.
Nicolaus Olzina
N. Poerius
Pactius Confentinus
Petrus Carinus
Petrus Ciaccius
Petrus Gironda
Philippus Pafchalis
Philippus Quattrimanus
Pompejus Puglifius
Præfens Brutius
P. Pinarius Mamercinus
Q. Antonius Merenda
Q. Manilius Thurinus
Q. Manlius Thurinus
Q. Minucius Terinus
Rogerius de Rofeto
Rogerius Quattrimanus
Saracenus Matera
Scipio Salicurus
Seraphinus Bifcardus
Ser. Cornelius Merenda
Thomas Parifius
Tib. Æmilius Mamercus
Timæus Locrenfis.
T. Antonius Merenda
Vibius Confentinus
Vitalis Vitale

*Cæteros vide fuis locis.*

IN-

# INDEX GENERALIS
## RERUM NOTABILIUM.

### *Quæ characteribus Italicis notata sunt ad Indiculum Barrii pertinent.*

## A

Sicla-

Argi-

# B



Be-

Car-

# E



# F



de

# G



Toral-

# H

# I



ab

Sam

S. Ma-

# N



Ni-

Bi-

Tor-

# V

**FINIS.**

# CORRIGENDA.

| | |
|---|---|
| Pag. 49. lin. 18. recenseat | recenseant. |
| Pag. 94. col. 1. lin. 40. militum | Dux militum |
| Pag. 98. col. 2. lin. 47. Extat | Extat Ms. Codex |
| Pag. 106. col. 2. lin. 6. Galavrese | Calavrese |
| Pag. 109. col. 1. lin. 12. sunt. | dele |
| Pag. 116 lin 5. vetus | veterem |
| Pag. 108. lin. 23. *Casignanum* | *Casignanum, Demetrium* |
| Pag. 171. lin. 42. 1473. | 1573. |
| Pag. 226. lin. 38. Visus | Usus |
| Pag. 280. lin. 2. Cantazarium | Catanzarium |
| Pag. 290. lin. 13. Mesoroca | Mesoraca |
| Pag. 294. col. 2. lin. 1. *diversis* | *diviseris* |
| Pag. 349. lin. 18. vavult | mavult |
| Pag. 379. lin. 39. Tarsiæ | Thurii |

# BRUTTII A CALUMNIA DE INLATIS JESU CHRISTO DOMINO NOSTRO TORMENTIS ET MORTE VINDICATI DISSERTATIO

PETRI POLIDORI FRENTANI.

ROMÆ MDCCXXXVII.
Ex Typographia S. MICHAELIS ad Ripam
Sumtibus Hieronymi Mainardi.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

# APPROBATIONES.

DIssertationem, cui titulus, *Bruttii a Calumnia de inlatis JESU CHRISTO Domino Nostro tormentis & morte vindicati*, incredibili animi voluptate perlegi. In ea Cl. Author Petrus Polidorus, sacræ ac prophanæ historiæ peritissimus, & egregie doctus, Veterum Scriptorum, Auli Gellii præsertim, Liviique testimoniis inter se collatis, atque ad severioris Criticæ leges exactis, Bruttiorum gesta Annibalis ætate recensens, adeo perspicue eorum nomen ab omni criminatione purgatum exhibet nobis, ut nec adversariorum calumnia possit retundi validius, nec veritas clarius exprimi. Porro qui illam attente volet expendere, atque ad examen vocare, fallor, si non statim de præconcepta in Bruttios iniqua opinione aliter sentire incipiat, ac fateatur ingenue, anilem prorsus fabellam, invictis, quæ ex tota antiquitate suppeditat argumentis, ita explodi, atque refelli, ut eidem æternum silentium tandem aliquando a recentioribus imponi necesse sit. Quare Opus hoc omnigena eruditione refertum, dignum publica luce censeo, cum nihil in eo offendatur, quod morum disciplinam, aut fidei candorem lædat, si ita visum fuerit Rmo P. Joanni Benedicto Zuanello Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Romæ ex Ædibus Vallicellanis VII. Idus Octobris, anno Domini 1736.

*Joseph Blanchinus Congregationis Oratorii Presbyter*

---

DIssertationem clarissimi viri Petri Polidori Frentani, qua *Bruttios a Calumnia de inlatis JESU CHRISTO Domino Nostro tormentis, & morte vindicat*, jussu Rmi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici accurate legi, quæ quum nihil catholicæ Fidei, & bonis moribus adversum contineat, imo varia, nec passim obvia referta sit eruditione, quam ex intimis sacræ, & prophanæ historiæ monumentis doctissimus Auctor eduxit, eandem typis dignissimam censeo.

Romæ ex Bibliotheca Ottoboniana Idibus Septembris 1736.

*Constantinus Roggerius Bibliothecæ Præfectus.*

# *IMPRIMATUR;*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

*Nuncius Baccarius Epiſcopus Bojanen. Vicesgerens.*

# *IMPRIMATUR.*

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

# INDEX, SYNOPSIS, ET ARGUMENTA CAPITUM DISSERTATIONIS.

*& in Vmbria, ante pugnam Cannensem infeliciter cum Hannibale Romani confligunt. Ad Trasimenum Insubres adversus Romanos pro Pœnis militant. Bruttii etiam in Cannensi prælio Populo Romano fidam operam impendunt.*

XIX. *Quo die, mense, & anno pugnatum ad Cannas? Cladis magnitudo ab hoste Romanis inlata multis ostenditur. In extremam infelicitatem, ac pene desperationem populum Romanum adducit. Vtramque Consul legatis Campanorum ingenue aperit, & opem flagitat.*

XX. *Campani postulata negant. In auxilium accisæ Reipublicæ armantur servi, pueri, ac prætextati. Hostium spolia e deorum templis abstracta. In usus publicos privatorum opes sumtæ. Romanorum extrema necessitas rursus expenditur. Alieno indigentes auxilio Sociis in præsenti discrimine laborantibus opitulari nequeunt. Petilinorum in Bruttiis, itemque Siculorum & Sardorum exemplis afflicta Romanæ reipublicæ conditio manifestior redditur.*

XXI. *Acceptæ cladis magnitudo Sociorum quoque animos dejicit. Necessitate ac desperatione ducti Italiæ populi ad eam diem fidi, & constantissimi labare incipiunt, & ad Pœnos deficiunt. In his recensentur Bruttii. Illorum defectio* error *non scelus habita.*

XXII. *Italorum primi, qui post pugnam Cannensem ad Hannibalem defecerunt, fuere Apuli, Samnites, Campani: qui, jam tum a prælio ad Trasimenum commisso, rebus novis studere cœperant. Campanorum ante alios Italos populos defectio Purpurionis, & Polybii testimonio manifestatur. Silii Italici locus expensus, illustratus, & emendatus. Harpi Dauniæ Civitas illustris,* Argyripa *quoque appellata, ad Pœnos transgreditur.*

XXIII. *Bruttii, illorumque Vrbes, nec statim a pugna Cannensi, nec uno tempore, nec omnes ad Carthaginenses desciscunt. Iniqua temporis conditio, qua Bruttii potissime premebantur, exponitur. Duodecim illorum populi ad Hannibalem deficiunt, & quando? Bruttiorum erga Romanos voluntas vel inter adversa patuit.*

XXIV. *Petellini obsessi a Pœnis frustra a Romanis opem postulant. Fidem suam invicta constantia ad extremum vitæ spiritum comprobant. Ob id præclaris Scriptorum elogiis celebrati. Vrbs post undecim obsidionis menses ab hoste capta, & incensa. Silius illustratus.*

XXV. *Consentia perstans in fide Romanorum ab Hannibale expugnatur. Rhegium frustra tentatum. Rheginorum in populum Romanum fides eximia ad ultimum servata. Locrensium in Romanos studium. Miserabili infortunio ad deditionem ab hoste compulsi. Eodem tempore affectæ erga Romanos voluntatis edunt argumenta. Livius multipliciter notatus.*

XXVI. *Crotonis fortuna varia atque conditio. A Carthaginensibus obsidetur, & capitur. Arx retenta. Dissentio inter cives orta. Pœnis favens, ab optimatibus, qui Romanis studebant, dissidet. Idem vitium commune omnibus Civitatibus Italiæ. Arx certis conditionibus deditur: Cives Locros traducti. Croton & Sybaris finitima oppida Romanos juvant.*

XXVII. *Defectionis Bruttiorum ad Hannibalem parum diligens enarrator Livius. Ejus negligentia multis ostenditur. Plures indicantur loci, qui ambages historiæ pariunt, & notantur. C. Cæsaris & Erasmi in Livium censura.*

XXVIII. *Consentini, & Thurini in Romanorum fidem, & ditionem redeunt. Caussa cur alii in Bruttiis idem non præstiterint, aperitur. Livii emendatio a Sigonio proposita. Terina ab Hannibale capta, & incensa. Locus ubi olim posita designatur. Stephanus notatus. Terinensium fidem eleganti Epigrammate Altilius commendat.*

XXIX. *Misera Bruttiorum conditio per illa tempora deterior facta ob eorum in Romanos studium. Locus Strabonis illustratus. Annonæ difficultas, & prava corruptæ militiæ exempla mala augent. Campi Bruttiorum ab amicorum etiam copiis populati.*

XXX. *Metapontum ac Thurium Vrbes, exacerbatæ Romanorum injuriis, ad Pœnos desciscunt, inter cives seditione orta. Indemnitati Vatinii præfecti & militari præsidio Thurini consulunt. Pro partium studio alii aliis vim inferunt, & detrimenta.*

XXXI. *Legatione ad Q. Fulvium Consulem missa, Bruttii in Romanorum fidem, ac ditionem redeunt.* Cum Verborum tantum increpatione ob ERROREM PRÆTERITUM *acepti. Historia illustratur, Obsequens notatus.*

XXXII. *Bruttiorum reditus in societatem Romanorum multis nominibus expenditur, & laude præcipua commendatur. Periculum ab hoste potente ob id ipsis creatum. Post deletum ad Metaurum Asdrubalem, Hannibal omnia auxilia in Bruttios contrahit. Silius illustratur. Castra Hannibalis quis locus in Bruttiis?*

XXXIII. *Difficultas alendi Carthaginensium exercitus in Bruttiis unde? In dies aucta. Qui & qualis Hannibalis milites? Illorum in Ducem fides, & studium. Duo Consules ab ipso, uno prælio, nec satis magno, interemti. Idem labore casso tentat Salapiam. Ad Locros Cincium fugat, victorque urbem obsidione solvit.*

XXXIV. *Bruttii fidem suam Romano multipliciter comprobant. Tarentum illorum opera recipit.*

pit. Contra Romani male de Bruttiis merentur. Locrenses ad Romanos inclinant, Pœnumque deserunt. Nimis rigidum Scipionis in Cives judicium.

XXXV. *Romani milites, eisque præfectus Q. Pleminius, Locris a Scipione relicti præsidio publice ac privatim magnopere noxii. Ipsorum iniqua, impia, & proprosa facta narrantur ex Livio. Inter Pleminii, & Tribunorum milites contentione orta, indignæ crudelitatis sævitur exemplis. Pari atrocitate Pleminius grassatur in Locrensium principes, qui ad Scipionem provocarunt.*

XXXVI. *Legati a Locrensibus Romam missi ad expostulandum injurias a Pleminio, ejusque militibus acceptas. Gravis illorum ad Senatum oratio, qua turpissima Romanorum scelera memorantur. Senatus ingens commotio. Q. Fabii in malorum auctores justa sententia. Pœnæ in reos homines constitutæ. Locrenses* Viri boni, Socii & Amici *a Senatu, Populoque Romano appellati. Ipsis libertas, legesque redditæ. Prætor in Bruttios missus, ut decreta exsequatur.*

XXXVII. *Bruttiorum in Romanos constans fides atque voluntas aliis argumentis aperitur. Petilia vi capitur. Consentia & Pandosia ultro deduntur. Illarum exempla aliæ in Bruttiis Civitates, & populi sequuntur. Livius emendatus. Cossenia Vrbs, quæ nunc Cassanum. Livius notatus. Obsequens illustratus. Durante Punico bello Romana militia adversus Pœnos in Bruttiis aucta. Quæ ab Carthaginensibus adhuc insidebantur Bruttiorum Oppida, pauca erant, & vi retenta. Paullus Diaconus confutatus. Multi* Italici *generis cum Bruttiis ab Hannibale in Africam vi transducti.*

XXXVIII. *Bruttii non omnium postremi ex Italis Poenorum societatem deseruerunt, ob idque a Romanis multati fuere. Appianus Alexandrinus redargutus. Ætas, qua vixit. Virorum eruditorum de illo adversa judicia. Campani defectionis ad Hannibalem miserando exemplo pœnas luunt.*

XIL. *An in Tarentinos ob defectionem ad Hannibalem Romani animadverterint? Joannes Lumensis, & Antonius Galateus expensi, & improbati. Rhegini, Neapolitani, Tarentini cum Populo Romano uno atque constanti fœderis jure conjuncti. Ligures, Gallique ad extremum Poenis favent. Diuturnæ temeritatis dant pœnas.*

XL. *Strabo Appiano, & Livio adversus. Bruttii quare dicti Congerones? Fulgentii Placiadæ locus illustratus. Josephus Scaliger rejectus. Picentes, Lucani, Bruttii numquam Cursorum, & Tabellariorum servili ministerio a Romanis damnati.*

XLI. *Vterque Scriptor Græcus novis momentis notatus. In milites qui apud Cannas rempublicam deseruerant, rigidissime animadversum a Romano Senatu: mox pœna temperata. Scriptorum dissentio in historia falsitatis indicium.*

XLII. *Appianus scribens ablatam Bruttiis libertatem cum jure societatis, atque militiæ, refellitur. Bruttios post alterum bellum Punicum militasse,* sociosque *Romanorum habitos, ostenditur. Qui fuerint* Navales Socii? *Ratio apud Romanos servata in scribenda, vel supplenda militia. Servi omni jure exuti erant: carebant nomine, tribu, censu.* Bruttianæ *Parmæ quales fuerint?*

XLIII. *In Bruttiis quamplurima Municipia atque Coloniæ post alterum bellum Punicum. Valentia Romanorum Colonia. Paterculus notatus, & illustratus. Vrbs ipsa Locrorum fuit ædificium. Ejus varia fortuna & nomina. Duæ Latinæ Coloniæ missæ in Bruttios. Livius expensus, & ex conjectura emendatus. Thurium, & Terina Coloniæ. Thurium a Tarentinis eversum. Colonia eodem a Romanis ducta, & Vrbs appellata* Copiæ. *Godelevaeus reprehensus. Vrbs ipsa Julii Cæsaris ætate* Municipium. *Tempsa, Croton, Rhegium Coloniæ. Rhegium item, Locri, Vibo, Petelia Municipia.*

XLIV. *Coloniarum & Municipiorum jura patefacta. Vrbes nonnullæ vario tempore utramque conditionem expertæ.*

XLV. *Post bellum Sociale Italis Civitas data. Bruttiorum oppida civium Romanorum jure subinde gavisa.*

XLVI. *Quæ fuerit in Romana Republica & Imperio ratio scribendi milites ex Sociis, Civibusque? Vt æqua esset, census habiti. Huc spectat* Breviarium Romani Imperii *ab Augusto Cæsare confectum.*

XLVII. *JESVS CHRISTVS Dominus noster a militibus illusus & Crucifixus.*

XLVIII. *Sub initium Romani Imperii, & primo Christi seculo milites, promiscue apud Romanos reis hominibus, vel damnatis supplicia inferebant. Tertullianus, & Juvenalis illustrati.*

XLIX. *Centuriones etiam, ac Tribuni ad neces inferendas adhibiti.*

L. *Fere* Speculatores *milites supplicia apud Romanos irrogabant. Etymologia ex Varrone patefacta. Speculatores pedites, Legionarii, Prætoriani, Vrbani, Classiarii, & Equites.* Spiculatores *a Spiculo quibusdam dicti.*

LI. *Speculatorum munus ex Euangelii libris, aliisque Scriptoribus illustratum. Vestes affectorum ultimo supplicio ad Speculatores pertinebant.* Panniculariorum *nomine a Romanis legibus censitæ, ac Speculationibus ipsis assertæ. Jus idem quandoque a Christi martyribus Speculatoribus compensatum, vel cumulatum.*

LII. A

# BRUTTII A CALUMNIA DE INLATIS JESU CHRISTO DOMINO NOSTRO TORMENTIS ET MORTE VINDICATI

# DISSERTATIO.

I. BELLUM *maxime memorabile omnium, quæ umquam gesta sint*, Punicum alterum extitisse, quod Carthaginenses Populo Romano intulere, veterum historicorum testimonio exploratum est. Enimvero, auctore Livio, libro XXI. *Neque validiores opibus ullæ inter se Civitates, gentesque contulerunt arma: neque ipsis tantum umquam virium, aut roboris fuit.* Præterea *non ignotas* utriusque gentis militibus *belli artes inter se, primo bello Punico expertas conferebant, & adeo varia belli fortuna* exstitit, ut propius periculo victores fuerint. Historiam Latinis, Græcisque jamdiu mandatam literis, insequentis ætatis scriptores multifariam illustrarunt. Miratus sum tamen vehementer, quod, quum viri eruditione præstantes & ingenio exponendis veterum scriptorum obscuris locis utilissimam navarint operam, aliquot nihilominus intactos omnino reliquerint, vel ad exactum criticæ examen non revocaverint, qui germanam tanti belli historiam non uno nomine labefactant, & putidissimorum in dies sunt errorum fontes. Auctorum illustre nomen grassanti late malo vires auget. Nec ita facile posteri eos suspicantur erraste, qui ne errori esset locus, hac potissimum in parte studium ac diligentiam adhibuisse præsetulerunt. Qua quidem in re humanæ mentis imbecillitatem licet arguere, quæ interdum ibi turpius caligat, ubi majori vigere lumine oportuit; aliisque dignoscendæ veritatis viam aperire, ac facem præferre.

II. Exemplo nobis sit Aulus Gellius, qui libro X. Noctium Atticarum capite tertio ex vagis illis, ambiguisque M. Catonis verbis, in libro, ut vulgo legitur, *de falsis pugnis* adversus Q. Thermum prolatis: *Dixit a decemviris parum sibi bene cibaria curata esse: jussit vestimenta detrahi, atque flagro cædi. Decemviros Brutiani verberavere*: hæc in Bruttios notissimos Italiæ populos ultro commentatus est: *Quod Cato dixit: Brutiani verberavere, ne quis fortasse de Brutianis requirat, id significat. Cum Annibal Pœnus cum exercitu in Italia esset, & aliquot pugnas Populus Romanus adversas pugnavisset, primi totius* Ita*liæ Brutii ad Annibalem desciverunt. Id Romani ægre passi, postquam Annibal* Italia *decessit, superatique Pœni sunt*,

*ſunt, Brutios ignominiæ cauſa non milites ſcribebant, nec pro Sociis habebant*: Sed *magiſtratibus in provinciam euntibus parere, & præminiſtrare ſervorum vice juſſerunt*. Itaque *ii ſequebantur magiſtratus tanquam in ſcenicis fabulis, qui dicebantur Lorarii, & quos erant juſſi, vinciebant, aut verberabant. Quod autem ex Brutiis erant, appellati ſunt Brutiani*. Gellii aſſertum tantam apud pleroſque auctoritatem ſibi vindicavit, ut majorem fortaſſe non exegiſſet, ſi ille Hannibalis ævo Romæ vixiſſet. Quoniam vero non parum refert ætatem noſcere, qua hæc tradens ſcriptor vixit, ut quo loco narratę ab eo res antiquę habendæ ſint, facile pateat, præſtat hic de illa inquirere. Inter Grammaticos, qui Trajano & Antonino Imperatoribus floruere a Petavio lib. v. Rationarii temporum cap. IX. num. X. recenſetur *A. Gellius. Floruiſſe ipſum ſub Antonino Pio, mortuumque primis annis M. Antonii Philoſophi*, ſcribit I. Albertus Fabritius in Bibliotheca Latina Tomo I. lib. III. cap. I. ex Henrico Dodvvello Diſſertatione *de ætate Peripli maris Euxini* §. X. Phavorinum Philoſophum, qui Antonino Pio claruit, viſum, nec ſemel auditum fuiſſe a Gellio, liquet ex Noctium Atticarum libro XII. capite I. lib. XIV. cap. I. lib. XX. capite item I. At id accidiſſe, quum illuſtris Philoſophus premeretur ſenio: quæque Gellius adoleſcens ab illo *quondam* acceperat, adulta demum ætate ſcriptis mandaſſe, ab ortu Jeſu Chriſti tertio excurrente ſeculo, ac prope milleſimum ab Vrbe condita annum, ſatis exploratum eſt. Ipſe ſiquidem Gellius citato capite libri viceſimi de duodecim Tabulis verba faciens, ſcribit: *Trecenteſimo namque anno poſt Romam conditam Tabulæ compoſitæ ſcriptæque ſunt. A quo tempore ad hunc diem anni eſſe non longe minus ſeptingenti videntur*: Milleſimus annus natalis Vrbis Romæ celebratus fuit Philippis Imperatoribus, anno ſecundo Olympiadis CCLVII. ut conſtat ex P. Victore de Cæſaribus, Julio Capitolino in vita Gordiani III. Euſebii Chronicis, Caſſiodoro, & aliis: *Philippi Imperatoris anno quarto labente* (inquit Petavius lib. V. cap. XII. Rationarii temporum) *quo conſul ipſe tertium, filius ejus Philippus Cæſar ſecundum fuere, Romæ ludi ſeculares anno Vrbis vertente milleſimo celebrati ſunt, Chriſti CCXLVIII. circa meſſis tempus, ut ex Zoſimo libro II. colligitur*. Hæc non animadvertit Vir cl. Camillus de Silveſtris in Epiſtola *de ætate A. Gellii* ad Apoſtolum Zenum, quæ excuſa legitur Venetiis in Tom. VI. Collectionis *Opuſculorum Scientificorum, & Philologicorum*. Ubi minus recte, & exacte Grammaticum ipſum *ſub annum Chriſtianæ ſalutis CL. Commodo imperante* floruiſſe, atque ſcripſiſſe tradit. Commodus enim, ut diſcimus ex Lampridio, natus eſt *M. Aurelio Patre, & Lucio vero Coſſ.* anno ſcilicet Jeſu Chriſti CLXI. occiſuſque pridie Calendas Januarii, anno ab ortu Salvatoris CXCII. poſt exactum Imperii annum XII. menſes novem, ac dies quatuordecim: ut ſcribit Xiphilinus, quum vixiſſet annos XXXI. & menſes quatuor, teſte Lampridio.

III. Idem ac Gellius de Bruttiis ſenſiſſe videtur ſextus Pompejus Feſtus inferioris (licet incertæ) ætatis auctor in libro *de Verborum ſignificatione*: *Brutiani dicebantur, qui officia ſervilia magiſtratibus pręſtabant: eo quod hi primi ſe Hannibali tradiderint, & cum eo perſeveraverunt uſque dum recederet de*

*Ita-*

*Italia*. Nihil tamen dubito, quin Gellius in hujusmodi tradendo posteritati figmento Appianum Græcum hominem, qui paullo ante scripserat, auctorem habuerit: quamvis ipse in causa narranda adversa fronte cum Appiano pugnet. Hic enim factum testatur; quia Brutii Italorum *ultimi* in Hannibalis societate pertinacissime manserint ille quod *primi totius Italiæ* ab Romanorum fide ad ipsum defecerint. At pleniori examine capitibus XXXVIII. & sequentibus Appiani locum expendemus. Gellio simul, ac Festo subinde non pauci recentiores adhæsere scriptores, quorum illustre in Republica Literaria viget nomen, nec minimi habetur auctoritas. Alexander ab Alexandro Genialium Dierum lib. IV. cap. 22. *Quum secundo bello Punico, post Cannensem Cladem Brutii ad Annibalem primi defecissent, postea dejecto Annibale, eos Romani numquam milites scripsere; neque pro sociis habuere, sed magistratibus præstare jusserunt servorum munia militiæ domique*. Idem habet lib. I. cap. 27. Nicolaus Perottus Sipontinus Archiepiscopus in *Cornucopia, seu Commentariis Linguæ Latinæ* fol. 238. editionis Aldi Manutii: *A Brutiis Brutiani dicti, qui officia servilia magistratibus præstabant: eo quod hi primum se Annibali tradiderunt, & cum eo perseveraverunt quousque ex Italia recederet*. Ludovicus Cœlius Rhodiginus *Lectionum Antiquarum* libro XXV. capite undevicesimo: *Apud Romanos pergentibus in Provincias magistratibus præministrabant servorum vice qui dicebantur Brutiani, tanquam in scenicis fabulis Lorarii nuncupati: & quos jussi erant, vinciebant, verberantes quoque. De Brutiis vero populis ratio propagata nominis est*. Carolus Sigonius libro secundo de antiquo Jure Civium Romanorum cap. XV. *Punico autem bello confecto, qui magistratibus in provincia apparerent, eos fere e Brutiis fuisse: unde Brutianos dictos tradit Gellius*: cujus mox descripta recitat verba. Petrus Crinitus libro secundo de honesta disciplina, capite septimo, quum ex Gellii sententia enarrasset, post aliquot minus feliciter a Romanis pugnatas pugnas, primos ex omni Italia Bruttios ad Pœnos defecisse, addit: *Sed quum superatus Hannibal Italia excedere cogeretur, bono atque utili exemplo Senatus Populusque Romanus censuit in Brutios animadvertendum; ac ita eos puniendos, ut numquam deinde pro sociis Romani Populi haberentur. Sed illud etiam statuerunt, ut ad majorem quidem ignominiam omnes Bruttii Romanis in Provincias tendentibus parerent; ac veluti mancipia quædam vilissima serviliter iisdem ministrarent*. Pardulphus Pratejus in Lexico Juris Civilis, & Canonici, sive Thesauro de verborum, quæ ad jus pertinent, significatione, libro II. pag. 60. *Bruttiani dicebantur, qui coacti erant servilia exhibere, pro eo quod bello secundo Punico post cladem Cannensem ad Annibalem defecissent*. Cæsar Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die XXVII. Maii, verbo *Officiales*. *Apparitores autem erant infimæ militiæ milites judicibus servientes, quibus nec ad altiorem militiam aspirare licebat. Est de his lex 19. & 20. de diversis officiis Codic. Theodosian. Brutianos eidem muneri fuisse mancipatos ex Senatus consulto, eo quod ipsi primi se tradidissent Annibali, auctor est Festus verbo Brutiani*. Philippus Broidæus in Auctario ad historiam Fori Romani Francisci Polleti

libro v. cap. tertiodecimo, loquens de Lictoribus: *Magistratibus vero* (inquit) *peregre proficiscentibus, atque in provinciis agentibus quondam Brutiani apparebant; Quod (ut testis est Gellius lib.* x. *cap.* 3. *Noctium Atticarum) quum Brutii primi totius Italiæ populi ad Annibalem defecissent, idque Romani ægerrime tulissent, Brutios ignominiæ causa nec milites scribebant, nec pro sociis habebant: sed magistratibus in provincias euntibus parere, & præministrare servorum vice jusserunt.*

IV. Gellii, Festique verbis potissimum ductus Gregorius a Jesu & Maria in opere, cui titulus *Prætorium Pilati*: Volumine secundo, parte IV. lectione xxii. numero sextodecimo, eos *qui Christum ligarunt, Bruttios* fuisse censet, *An vero*, addidit, *a dictis fuerit Christus, sicut ligatus, ita flagellatus, hoc nec certum, nec verisimile esse credo. Et ratio est: quia tunc in flagellatione hoc munus ministros justitiæ* (quales Bruttios asserit), *& militibus indifferenter impositum erat: ut patet evidenter ex textu Divi Joannis -- Et milites &c. .... & etiam ex Tertulliano, qui libro de Corona militis capite xi. suadens Christiano viro ne militet, hac de causa id suadet, quia, ut ipse ait, vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum.* Alphonsus Salmeronius Tom. x. historiæ Euangelicæ Tractatu xxix. ad tertium argumentum, ex memoratis Gellii, & Festi locis conjici, quamvis dubie, posse suspicatus est, non quidem a Calabris Jesum Christum Dominum nostrum ad columnam ligatum, sed quod multo majus est, flagellis cæsum, & crucifixum: *Ex his* (inquit) *non improbabiliter elicimus, Bruttios milites Ministros fuisse Pilati, qui Dominum flagellarunt, & forte etiam in Crucem adegerunt. Sunt autem Brutiani, vel Brutii Populi, quos hodie Consentinos vocamus, cum pagis vicinis, qui sunt, ut ferunt, supra trecentos.* In ejusmodi evulgando figmento dubitationem omnem sustulit Jacobus Hyacinthus Serry in exercitatione LXV. *de Christo, ejusque Virgine Matre.* Scribit enim numero x.: *Tertiam quæstionem aliquantulum odiosam ægre admodum attingo de Lictoribus, Tortoribus, & Carnificibus, qui ex Pilati sententia Christo Domino supplicium inflixere. Vereor enim, ne ad alicujus regionis injuriam pronunciare censeri possim. Quia tamen nil possum contra veritatem, dicam libere: Christi Lictores, atque Carnifices fuisse Brutios, seu Bruttianos Italiæ populos, tractum illum Italiæ quondam incolentes, qui hodie Calabria dicitur. Constat siquidem ex Aulo Gellio Noctium Atticarum lib.* x. *cap.* 3., *& Festo Pompejo in verbo BRUTTIANI, ex Strabone libro* vi., *& Diodoro Siculo, Brutios in pœnam, quod primi totius Italiæ a Romanis ad Annibalem defecissent, ea infamia notatos fuisse, ut Magistratibus ad regendas provincias euntibus parerent, & ad infligenda supplicia delinquentibus suam operam exhiberent. Hinc illud Catonis libro de falsis pugnis: Jussit illius vestimenta detrahi, & flagro cædi: Quem subinde Brutiani verberaverunt: Nempe ii lictorum officio fungebantur. Nihil itaque dubitandum, Pilatum Judææ Procuratorem, ac Præsidem ex more, & usu Romanorum Bruttiis, ceu administris, ad infligenda Christo supplicia, usum fuisse.* Idem ante Serry confidentia pari asseruit Donatus Cal-

Calvus in *Proprinomio Euangelico*: Resolutione LXXI., lateque per vulgi ora ad Calabrorum augendam invidiam circumfertur, nec sine convicio. At vero, an ita res se habeant, praesenti Dissertatione disquirendum est: qua sane Gellium, ac Festum, & qui cum Gellio, Festoque sentiunt, ab historica veritate longe abesse palam faciemus. Vindicandi siquidem ab hujusmodi commentis sunt Strabo, & Diodorus Siculus, quibus per apertam injuriam id recentes quidam scriptores affigunt. Quod enim uterque Graecus auctor de Bruttiis assertum protulit, alio prorsus tendit, quam quo illi attrahunt.

V. Perspicuo, ac permolesto Gellii loco, ut vim adimat Gabriel Barrius in libro *de situ Calabriae* pag.34. a malignis odio ductis adversus Calabros, corruptum pronunciat, ac pro Brutianis, *Bajani*, vel *Bojani* legendum contendit. Hanc tamen sententiam non probat Sertorius Quatrimanus in notationibus ad opus Barrii, quae scriptae manu prostant Romae in Bibliotheca Angelica Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini: *Non est* inquit, *Gellii codex corruptus, nec pro Brutianis Bojani, aut Bajani legendum: quia Bojani primi ad Annibalem desciverunt, & antequam in Italia pugnaret. Gellius autem scribit, post aliquot adversas pugnas a Romanis acceptas. Ergo Brutiani omnino legendum: & incusandus Gellius, qui livore animi in Brutios invehitur, & contra omnem historiae fidem. Vel dicendum: Gellium incidisse in corruptum Catonis Codicem. Vel legendum Bajani a Baiis, seu Campani potius. Nam Campani defecerunt a Romanis ad Annibalem. Verum nec Bajanos, nec Campanos hac ignominia a Romanis affectos legitur, quod sciam. Vel dicendum: has tres voculas* POST ALIQUOT PUGNAS *ab aliquo quopiam additas, qui Gellii codicem corrupit, ac in Brutios extorsit, quod ille in Bojanos dixerat.* At vero manuscriptis Auli Gellii codices, quos hactenus consulere licuit apud multos viros doctos, nec non in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana, & Coenobii S. Crucis Florentiae, Montis Oliveti, & S. Joannis de Carbonara Neapoli; quae demum omnium instar esse potest, Romae, in Vaticana praesertim sub numeris 259. 360. 1531. 1532. 1534. 1535. 1536. 1537. & 3453. *Brutiani* habent: tum illa quae in dubium revocantur verba *post aliquot pugnas* exhibent.

VI. Qui vulgatam ab Gellio narrationem adversus Bruttios veram habent, non ita ipsius auctoritate nituntur unice, quin longe potissimam ex recitato ab ipso Catonis loco arcessant. Ut autem validiorem ostendant, librum *de falsis pugnis* celeberrimo illi Marco Portio tribuunt, qui anno ab Urbe condita DCV. Lucio Censorino, & M. Manilio Consulibus, aetatis quinto & octogesimo, ut Cicero in Bruto Capite xx., & Plinius in historiis naturalibus lib.xxix. capite primo testantur, vita decessit. Tametsi hunc ipsum Livius libro xxxix. diutius vitam produxisse, annoque nonagesimo Servium Galbam ad Populi Romani judicium adduxisse narrat. Quod prodit etiam Plutarchus in ejus vita pag.344., nec ab utroque dissentit Valerius Maximus libro viii. capite septimo, numero primo. Eorum tamen sententiae non facile adhaereo, neque ab re dubito, an Seniori potius, quam M. Catoni Nepoti, qui anno Urbis conditae DCXXXVIII. Consul fuit, opella sit adscri-

adſcribenda. Certè, *ſcripſit*, *&* *ipſe Orationes* (ut verbis utar Joannis Alberti Fabricii in Bibliotheca Latina lib. 1. capite altero) *quæ a veteribus allegantur*, *&* *cum orationibus avi ſubinde confunduntur*. Gellii quoque diligentiam in ejuſdem opuſculi deſignando titulo, & argumento viri docti deſiderant. Enimvero idem Fabricius citato loco aperte fatetur, *Gellium Orationem Catonis librum appellare*. Juſtus autem Lipſius *Variarum lectionum* libro primo capite xvi. inquit: *Marci Catonis libri cujuſdam de* FALSIS PUGNIS *commemoratio fit apud vetuſtiores Grammaticos. Cujus inſcriptio ſatis ne recta*, *&* *integra ſit? ſoleo nonnunquam dubitare. Nam quum eo libro, quod ex fragmentis perſpicuum eſt, non aliud quam de Magiſtratuum*, *&* *Prætorum iniquo imperio*, *&* *dominatione in Provinciis, tyrannide in ſocios, denique de pœnis, mulctis, falſo*, *&* *præter æquum provincialibus irrogatis apud populum conqueſtus ſit, videtur mihi quidem inſcriptio illa de FALSIS PUGNIS non ſatis huic materiæ*, *&* *argumento convenire: potiuſque ex ea levi mutatione de FALSIS POENIS faciendum*. At nec ita reſtitutus titulus difficultate caret. Cur enim *falſæ*, & non potius iniquæ illæ pœnæ ſint appellandæ, quæ contra leges, & jura irrogantur, plane non video. Latinorum loquendi uſus id dicendi genus minime effert: quamobrem facile mihi perſuadeo, verum, atque germanum, non falſum, aut corruptum operis titulum indicari a Gellio. Nam ab Romanis ſtatuta in milites pœna fuit, qui ſtrenuum quidpiam a ſe factum ad Ducem, aut Tribunum falſo retuliſſent, teſte Polybio, cui crimini de *falſis pugnis* proprium nomen exſtitit. Nec infrequens in antiqua Republica illorum numerus, & animadverſio. Plautus in Truculento Act. II. Scena VI. verſ. 4:

> ........ *mille memorari poteſt*;
> *Qui* *&* *convicti*, *&* *condemnati*
> *de Falſis pugnis ſient*.

Eo crimine poſtulatum a M. Catone Cenſorio Q. Thermum in illa oratione, cui ab argumento titulus eſt factus, minime dubito. His accedit, quod non Gellius tantum, verum etiam Nonius Marcellus Tractatu III. *de proprietate ſermonum*. Verbo *vibices* citatæ Catonis orationi eumdem titulum tribuit. Ac *ita* quidem *recte* apud utrumque ſcriptum eſſe, *nec audiendos qui legunt POENIS, eo quod in fragmento ſævitiæ, ac pœnarum mentio*, nobiſcum cenſuit Joſias Mercerus in notis ad vitam Cornelii Agricolæ num. 2., quamvis parum accurate locus ipſe ſit expreſſus in editione Lugdunenſi *apud Marcum Orry*. Liberali enim vero ditati ingenio libenter favemus Gellio, ubi ratio, aut æquitas patitur. Adeo ut facile prudens lector intelligat, in auctoribus quos excutiendos ſuſcipimus, veritatem nos unice quærere. Eadem ex cauſſa ab iis etiam ultro diſſentio, qui alterutri Marco Catoni tributum librum ita abjudicant, ut plane rideant, & flocci pendant: monumentum tamen nullum afferunt, quo rem conficiant. Quod enim objiciunt: *Ea ne fieri bonis bono genere natis, boni conſulitis*: antiquum Latinorum dicendi modum non referre: pace illorum dixerim, ſi quæ verba locus profert, quæ vetuſtatem, puramque Latinorum elegantiam ſapiant, ac morem redoleant, ea profecto ſunt. Joannes Bertrandus libro primo de Juris peritis in *Domitio Vlpiano* pag. 123: ſcite animadvertit,

Roma-

Romanos nobiles, *bonos* appellasse, eosque Plebi opposuisse, ut videre licet apud Ciceronem in oratione pro Sextio: *Cajus Gracchus frumentariam legem ferebat, res erat jucunda PLEBI repugnabant BONI*. Romanæ eloquentiæ Principi Latini scriptores veteres, atque elegantissimi adstipulantur. Plautus in Persa Actu IV. Scena IV. *Bono genere natus*. Terentius in Phormione Actu I. Scena II. *Illam Civem esse Atticam bonam, bonis prognatam*. Eadem sententia Claudius in Oratione habita ad Senatum pro assumendis ad Imperii honores, & munera victis Populis, apud Lipsium in Commentario ad librum XI. Annalium Cornelii Taciti num. 84. pag. 152. editionis Parisiorum: ET. PATRUUS. TIBERIUS. CÆSAR. OMNEM. FLOREM. UBIQUE. COLONIARUM. AC. MUNICIPIORUM. BONORUM. SCILICET. VIRORUM. ET. LOCUPLETIUM. IN. HAC. CURIA. ESSE VOLUIT. Quicumque proinde pari gaudens nomenclatura germanus designati opusculi sit auctor, sua per nos illi stabit auctoritas, quam Marco Tullio *homo antiquior* sibi vindicat. Non enim adversantes Scriptores dissimulandi, fugiendi, vel contra fas contemnendi sunt, sed æquo, ac maturo judicio examinandi, ut illorum mens, dictorumque pondus, & veritas pateat, quæ justam semper facit caussam, atque defendit.

VII. Quoniam vero *Brutianorum* cognominatio Gellianæ commentationis substruit fundamentum, totaque asserti moles M. Catonis loco nititur, ut rem propius attingamus, num Bruttios ille populos, qui extremum Italiæ angulum ad occidentem incolunt, eo nomine designaverit, videndum est. Profecto res ipsa apud Catonem adeo obscura est, & anceps, vix ut alia in Romana historia sit incertior. Nullum ille de loco, nullum de tempore, nullum denique de personis prodit momentum, quo obtrusa per Gellium fabella certo probetur, tum firma, & tuta consistat. Gentis nomen a Græcis, Latinisque scriptoribus usurpatum Gellio non favet. Primi eam Βρέττιος appellarunt, quod magna fere ex parte, ut ipsi quidem ferebant, servi essent fugitivi, raptoque, ac præda viverent. Belli subinde artibus instructi, atque insignem adepti potentiam, præcipuam sibi constituere Rempublicam, teste Diodoro Siculo Bibliothecæ historicæ libro xiv. Ubi sub annum Mundi MMMDCXVI. Olympiade CVI. Urbis conditæ CCCXVII. Consulibus C. Mutio, & Cn. Manlio narrat ἐπὶ δὲ τούτων κατὰ μὲν τὴν Ἰταλίαν ἠθροίσθη περὶ τὴν Λευκανίαν πλῆθος ἀνδρώπων πανταχόθεν μιγάδων, πλείστων δὲ δούλων δραπετῶν. Οὗτοι δὲ τὸ μὲν πρῶτον λῃστρικὸν ἐνεστήσαντο βίον, καὶ διὰ τὴν ἐν ταῖς ἀγραυλίαις, καὶ καταδρομαῖς συνήθειαν ἔσχον τριβὴν, καὶ μελέτην τῶν κατὰ πόλεμον ἔργων. Διὸ καὶ τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσι προτεροῦντες τῶν ἐγχωρίων, εἰς ἀξιολογωτέραν κατέστησαν. Καὶ πρῶτον μὲν Τερίναν πόλιν ἐκπολιορκήσαντες διήρπασαν, ἔπειτ᾽ Ἀρπώνιον, καὶ Θουρίους, καὶ πολλὰς ἄλλας χειρωσάμενοι κοινὴν πολιτείαν συνέθεντο. Καὶ προσηγορεύθησαν Βρέττιοι, διὰ τὸ πλείστους εἶναι δούλους, καὶ γὰρ τῇ τῶν ἐγχωρίων διαλέκτῳ οἱ δραπέται Βρέττιοι προσηγορεύοντο, τὸ μὲν οὖν τῶν Βρεττίων πλῆθος οὕτω συνέστη κατὰ τὴν Ιταλίαν. *In Italia multitudo quædam hominum promiscuorum, plerique autem servi erant fugitivi, ex variis locis circa Lucaniam confluxerunt. Hi primum vitam prædatoriam instituebant. Mox excubiarum*

*rum in agris, & incursionum consuetudine, rerum bellicarum exercitationem usumque sibi compararunt. Itaque quum bellicis conflictibus Incolis regionis superiores evaderent, ad augmentum insigne progressi sunt. Ac principio Terinam Urbem expugnatam diripuerunt. Inde Arponio, Thuriisque, & multis aliis subactis, propriam sibi rempublicam constituerunt. Et quia plerique servi erant, Brettiorum nomen sumserunt. Indigenarum enim sermone fugitivi, Brettii nuncupantur. Brettiorum ergo in Italia multitudo ita coaluit*. Parum certe accurate descriptum Diodori locum expendit Cœlius Rhodiginus libro VII. *Lectionum Antiquarum* capite XXVI. scribens: *BRUTUM vero latina dictio est unde & Brutiis conciliatum nomen, ut scribit Diodorus. Quod eorum plerique omnes fugitivi servi initio fuerint, ac BRUTA gens, hominum colluvione circa Lucaniam confluente*. Strabo libro VI. Geographiæ eidem Populo Bretiorum nomen Lucanos tribuisse memorat, caussamque & occasionem aperit contumeliæ: quia nimirum, quum Pastores Lucanorum essent, ab eis desciverunt, quamvis non reticeat, ipsorum indulgentia fuisse Bruttios libertatem adeptos. Strabonis hæc verba sunt. Ὠνόμασται δὲ τὸ ἔθνος ὑπὸ Λευκανῶν, Βρετίους γὰρ καλοῦσι τοὺς ἀποστάτας ἀπέστησαν δ' ὥς φασι ποιμένοντες αὐτοῖς πρότερον εἶθ' ὑπὸ ἀνέσεως ἐλευθεριάσαντες.

VIII. In dedecus illustris Populi ab Græcis jactatam fuisse hujusmodi interpretationem vocabuli arbitror, non quod reipsa Græca lingua Bretios *fugitivos*, aut *servos* significat, quod jampridem viri docti Joannes Federicus, & Jacobus Gronovii ad caput tertium libri X. Noctium Atticarum Auli Gellii adnotarunt, sed quod affictа illis in contumeliam origo, saltem ex opinione atque dicterio indigenarum Græcorum, id secum ferret. Cujus generis multa apud Italos, aliasque nationes vigere scimus, & usurpari nomina. Aliud est enim id, quod nomen nativa significatione sonat, aliud id, ad quod significandum certis moti caussis homines adhibent. Dionysii, atque Strabonis verba facile hanc interpretationem admittunt. Nec alia fortassis via suppetit, qua verum habeatur, id cognomentum illustrem gentem sibi sumsisse & usurpasse ultro; simulque contumeliosum illi fuisse. Æmilius Lucanus, qui sextodecimo Jesu Christi seculo ineunte vivebat, propositam sententiam alia ejusdem vocabuli usurpatione comprobat. Joannem siquidem Calabrum Compsanum Prætorem satyrico carmine perstringens, de Bruttiis hæc habet.

*Bruttius an non INFIDUS sonat, improbe, vulgo?*
*Priscaque res verbo rationem ingessit apertam?*
*Si tantum tu prisca petas, & non tua mavis.*
*Gens etenim hæc propriæ fuit olim infida parenti,*
*Nec profuit quidquam vitam tribuisse, vel artes*
*Militiæ: queis clarebat Lucana Juventus.*
*Ipsa etiam sociis Romanis perfida fregit*
*Prima fidem, dum miles Afer fera bella cieret,*
*Victor & e Cannis Urbem terrore repleret.*
*Sed pœnam sceleris retulit damnata probrosam,*
*Afflictare reos pœnis, & plectere sontes.*

Eodem

Eodem forte vulgi dicterio, seu mavis contumelia, qua *Bruttium infidum, ac proditorem* significare Æmilius asseruit, Q. Sectanus inhærens, *Judam Bruttium* fuisse prodit. Enimvero Philodemum Calabrum hominem, qui se Neapolitanum prodebat, probrosis notis adspergens, Satyra IX. scripsit.

> *Albo Pastorum, & vestris expungite fastis*
> *Suppositum nomen. Non hic natalia traxit*
> *Parthenope, patriæ titulum mentitur, & ortus*
> *Dissimulat, Civemque suum, qui perlita felle*
> *Oscula divino potuit libare Magistro.*

Græci sane Bruttios, a quibus urbibus, agris, & ampla ditione spoliati fuerant, *oderant, & metuebant*, ut discimus ex Livio libro XXXIV. Qualis vero ob id esse consueverit Græcorum indoles, & animus in eos, quos adversos patiebantur, & dominos, norunt viri docti.

IX. Si Lucanos probrosæ agnominationis auctores malumus, non dispar concepti in Bruttios odii, sive invidiæ subest caussa. Quomodocumque tamen res accipiatur, originatio hujusmodi constantem apud veteres fidem non invenit: & quod potissime Bruttiorum caussæ patrocinium affert, non omnes æque Scriptores Græci eamdem Brutiorum nomini etymologiam tribuunt. Profecto a Bretto Herculis filio, qui eam regionem quondam incoluit, rexitque, populos appellatos fuisse βρεττίυς, produnt Eustathius in commentario ad Cosmographiam Dionysii Afri, Stephanus Byzantinus in libro de Urbibus & alii. Variatum aliquantisper ab Græcis Scriptoribus, & in Brettiorum orthographia est. Appianus enim Alexandrinus in Hannibalica historia βρυτίυς vocat. In pervetusta inscriptione, paucis ab hinc annis non longe ab arce Tarenti reperta, legitur ΣΑΛΛΕΝΤΙΝΟΙ ΚΑΙ ΒΡΕΚΤΙΟΙ. Dionysius Afer βρεντίυς scribit: Eustathius βρεττίυς duplici τ appellandos esse contendit. Et ipsorum quidem Regionem βρεττίαν fere dixere Græci, quamquam Olympiodorus apud Photium pag. 181. Bibliothecæ Codice ... Ῥήγιον appellat Μητρόπολιν τῆς βρετανίας: quod Salmasius in exercitationibus Plinianis, ex Diodoro item Siculo, & Athenæo, sumtis confirmat testimoniis. Polybio quoque in XI. libri Eclogis Bruttiorum tellus βρεττανία est. Cum autem βρεττίαν, tum etiam βρεττανίαν, a Bretto Herculis filio eam Græcos appellasse censet Albericus Longus in notis ad Dionysium Afrum, quas MS. habemus. Assentiri proinde jure non possumus Paulo Leopardo, qui libro IV. *Emendationum, & miscellaneorum* cap. 12. in Dionis libro XLI. ubi scribitur ἐς τὴν βρεττανίαν ἦλθε βρεττίαν legendum putat cum Xylandro. Priorem lectionem spectans antiquus auctor notitiæ Provinciarum Italiæ, editæ Romæ anno quingentesimo tertio supra millesimum, in Ædibus Jacobi Mazzocchii Romanæ Academiæ Bibliopolæ cum auctoribus de *Roma prisca, & nova* pag. CXII. *Nona* (Provincia) inquit, *Calabria: Quæ primitus ab antiquis BRITANIA dicta est ob immensam affluentiam totius deliciæ, & ubertatis.* Sed hanc rationem nominis *Calabriæ*, non *Britaniæ* congruere, græcæ linguæ peritis satis exploratum est.

X. De significatione nominis Bruttii a Romanis usurpata non ita honorifice sentit Nicolaus Perottus in Commentariis *Linguæ Latinæ* pag. 238. a

quo *Bruttii appellati* putantur, *quod quasi bruti. & obscæni sunt. Brutum enim dicitur, quod tardum, stolidum, & sine sensu est: a quo Bruti cognomen, qui se stolidum simulavit.* Eadem assertio in Lexicon Latinum, quod *Calepini* nomine circumfertur, irrepsit: nutansque & arbitraria sententia turpi errore oneratur, quo *Brutii*, *vel Bruttii*, *ac Brettii* eos esse in Italia populos asseritur, quos *Abruzzesi* vulgo dicimus. Felicior hac in parte non fuit Joannes Jacobus Hofmannus in Lexico Universali, falsoque opinamento Perotti & aliorum inhærens, novi figmenti genere labefactat historiam: *A Romanis* (inquit) *Brutii appellati sunt quasi Bruti, hoc est stupidi, & vecordes. Qua ignominia ideo notati sunt, quod secundi belli Punici tempore ad Annibalem descivissent.* At vero si prisca Latinorum de Bruttiis consulamus monimenta, longe alia occurret caussa, quamobrem eo nomine sint appellati Trogus siquidem Pompejus Strabone, Dionysio Afro, Appiano, ac Stephano antiquior, qui Augusto imperante, eadem, qua Dionysius Siculus, ætate floruit, libro xxiii. historiarum a Justino breviatarum, capite primo, de Dionysio Siculorum tyranno loquens, narrat: *Primi igitur hostes illi* Bruttii *fuere, qui & fortissimi, & opulentissimi videbantur, simul & ad injurias vicinorum promti. Nam multas civitates Græci nominis Italia expulerant: auctores quoque suos Lucanos bello vicerant, & pacem cum his æquis legibus fecerant. Tanta feritas animorum erat, ut nec origini suæ parcerent. Namque Lucani iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani, instituere soliti erant. Quippe ab initio pubertatis in sylvis inter Pastores habebantur sine ministerio servili, sine veste, quam induerent, vel cui incubarent: ut a primis annis duritiæ parcimoniæque sine ullo usu urbis assuescerent. Cibus his præda venatica, potus aut lactis, aut fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos durabantur. Horum igitur ex numero quinquaginta primum ex agris finitimorum prædari soliti: confluente deinde multitudine solicitati præda, quum plures facti essent, infestas regiones reddebant. Itaque fatigatus precibus Sociorum Dionysius Siciliæ tyrannus, sexcentos Afros ad compescendos eos miserat: quorum Castellum proditum sibi per* Bruttiam *mulierem expugnaverunt: ibique Civitatem, concurrentibus ad opinionem novæ Urbis pastoribus, statuerunt.* Bruttiosque *se ex nomine mulieris vocaverunt. Primum illis cum Lucanis originis suæ auctoribus bellum fuit. Qua victoria erecti, quum pacem æquo jure fecissent, ceteros finitimos armis subegerunt: tantasque opes brevi consequuti sunt, ut perniciosi etiam regibus haberentur.* Feminam illam B*ruttiam* nomine, a qua suum sortiti sunt Bruttii Lucanorum proles, *Reginam* fuisse, Jornandes de rebus Geticis capite xxx. & Paullus Diaconus libro secundo de gestis Longobardorum capite xvii. memorant. At quæcumque illa fuerit, nulla a Trogo, & ab iis, qui Trogum sequuti fuerunt, Bruttiis est afficta servitus, nulla memorata fuga probrosa. Quinimo Lucanorum prolem Bruttios fuisse; inter pastores more gentis educatos, primumque prædatoriis velitationibus, tum demum justo bello rem privatam ac publicam auxisse, Latinorum narrant historiæ. Neque levia suadent momenta, ut, ubi de Bruttiis

agitur

agitur, illis potius, quam Græcis fidem habeamus. Quorum auctores, præterquamquod rem alienam atque externam attingunt, suopte ingenio ad fabulas proni pervulgato proverbio locum fecere apud Juvenalem Sat.X.vers.174.

*. . . & quidquid Græcia mendax*
*Audet in historia* ———

Ab hoc numero viri critici Diodorum Siculum contumeliosæ in Bruttios narrationis auctorem profecto non eximunt, quem Ludovicus Vives *de caussis corruptæ eloquentiæ* libro II. pag. 155. & Joannes Bodinus in *methodo historiæ* capite quarto, merito nugacitatis arcessunt, ac judicio maxime adverso perstringunt.

XI. Constans gentis nomen apud antiquos Romanos non *Bretii*, sed *Bruttii* fuit. Tabulæ Capitolinæ apud Gruterum pag.169. primæ editionis col.2. DE LUCANIS. BRUTTIEIS. pag.191. n.1. BRUTT. Apud Rainesium classe VI. Inscriptione 12. CORRECTORI LUCANIÆ BRUTTIORUM. Antiquis lapidibus adstipulantur emendatissimi, ac optimæ notæ codices MS. Latinorum historicorum, Oratorum, Poetarum: quorum locos & exemplaria longum esset hic recensere. Testes autem rei perspicuæ multos habemus viros criticos eruditione præstantes & ingenio. A vero proinde aberrat vir doctissimus Fulvius Ursinus in notis ad Epitomam Festi Pompei, verbo BRVTTIANI scribens: BRETTIANI *esset legendum, quia a* BRVTIIS, *quos* Græci βρέττιους dicunt, *ductum est nomen. Nec aliter habent manuscripti libri Livii, quam* Brettii. Notandus sane in rem ipsam est locus Cluverii Italiæ illustratæ libro iv. cap.xv., qui designatum a nobis discrimen nominis ab Latinis, Græcisque usurpatum, expendens: *Vera* (inquit) *vocabuli formatio magis genuina fuerit Gentis appellatio Romana, an Græca, equidem haud facile dixerim. At id scio mihi minime convenire peritiorem ea in re me velle esse Romanis: qui certe non per imperitiam, sed certa ratione* BRVTTII *maluerunt dicere, quam* BRETTII. Non me latet Joannem Annium, aliosque nonnullos a BRVTO, spectatæ virtutis viro Brutiorum nomen derivasse. At ejus rei Christophoro Cellario Geographicæ antiquæ libro II. capite IX. merito *incerta est ratio.* Nobis vero adeo sententia non arridet, quin etiam potissime improbatur. Nullus siquidem usquam Brutus peculiare quidquam habuit cum eo populo, cujus caussa illi nomen inderet. Dolemus profecto Annianum placitum ita nonnullis arrisisse, ut pro historia venditaverint; & quod magis mirere, illud merito in dubium revocari non posse, prodiderint. Hoc autem recolenti Harpasti Senecæ Uxoris succurrit historia, quæ quum cæcitate fuisset oppressa, cæcam tamen se esse nesciebat, videntesque orbata lumine ducere volebat. Jactatum vulgo assertum opportune arripuit Bonaventura Moronus Tarentinus Poeta nobilis, laudique Bruttiis vertens, sequenti celebravit Epigrammate.

*Brutius a Bruto sumens agnomina, factis*
*Gaudet magnificis, & leve spernit opus.*
*Inclyta fama, decus claræ sunt præmia Genti;*
*Par tamen est merito gloria nulla suo.*
*Virtutem natura juvat; juvat usque ferocis*
*Ignea vis animi, maxima semper avens.*

C 2 Quod

Quod autem alii cum Joanne Florio parte prima *Calabriæ illustratæ* lib.I. cap.3. appendice I. arbitrantur, illis ab origine fuisse proprium atque germanum nomen *Brettii*, *Bruttiosque* appellatos postea ob feritatem in victos exercitam, perinde incertum est. Ambages & difficultates auget Pompejus Festus libro *De verborum significatione* pag.xxiv., ubi Btuttios ab antiquissimo Sallentinorum Poeta Ennio BRVTATES dictos memorat, *bilinguesque* appellatos, quod Osce, & Græce loquerentur. Apud Porphyrionem veterem Horatii interpretem illustrantem verba *Canusini more bilinguis*: BRVTACES legitur: quo eos nomine & Lucilium indicasse prodit. *Bilinguis dicitur, quoniam utraque lingua Canusini usi sunt; sicut per omnem illum tractum Italiæ, quem ex majori parte Græci incoluerunt, ex quo magna Græcia nomen accepit. Ideo ergo Ennius & Lucilius BRVTACES bilingues dixerunt*: Ita enim ex veteri codice emendandum esse Porphyrionis locum, monet Josephus Scaliger in Castigationibus ad Sextum Pompejum Festum pag.31. editionis Parisiensis.

XII. Porro extremam Italiæ partem occidentem versus incolentes populos a Latinis aureo florente seculo BRVTIANOS dictos, novum prorsus & insuetum est. De vero ejus gentis apud Latinos usurpato nomine, supervacuum duco recensere antiquorum Scriptorum testimonia, quæ BRVTTIOS eam appellatam ostendunt. Quin imo id nomen adeo proprium ac peculiare fuit eidem populo, ut ipsa, quam incolebat regio, & quæ ad illum res pertinebant, non alio vocabulo appellarentur. M. Tullius Cicero in oratione pro A. Cecinna: *Si via sit in Bruttios immutata*. In Oratione pro Sexto Roscio Amerino. *Qui in Sallentinis, aut Bruttiis habent.* Livius libro XXVII. *Locros in Bruttiis.* Item: *In Apuliam ex Bruttiis reditum*; & in fine ipsius libri: *Hannibal, ut omnia auxilia, quæ diffusa latius tueri non poterat, in extremum Italiæ angulum Bruttios contrahere, & Metapontinos civitatem universam excitos sedibus suis, & Lucanos, qui suæ ditionis erant, in Bruttium agrum traduxit.* Lib.viii. ejusdem Decadis. *In Bruttiis propter Junonis Laciniæ templum æstatem Hannibal egit.* Pomponius Mela libro II. de situ Orbis capite septimo: *Agro Bruttio adnexa. Ager Bruttius* Plinius historiarum naturalium lib.III.cap.v. *Bruttium litus*. Ibidem. *Bruttia pix* libro xv. cap.vii. & lib.xvi. cap.xi. Silius Italicus libro xvi. de Bello Punico secundo versu 1.

> *Bruttia mœrentem casus patriæque, suosque,*
> *Annibalem accepit tellus* ——

Et libro xvii. vers.437.

> *Sævior his Latios vastabat Bruttia signa*
> *Lælius increpitans* ——

Silvam in Bruttiis optima abundantem pice Strabo libro vi. Geographiæ Βρέττιον Σίλαν appellatam memorat. De qua Bruttiorum Silva inter nemora agit Vibius Sequester in libro de Fontibus, Lacubus, Nemoribus, Paludibus, & Montibus ad Virgilianum filium.

XIII. Contra, quod ad Brutum spectabat a Latinis scriptoribus, qui ante, vel post Gellii ætatem floruere, *Brutianum* appellatum est. Quamobrem hoc item nomine perspicuum fit, id genus adjectivum a *Bruto*, non a *Brutiis* derivatum esse. Sic *Brutiana castra* non semel dicuntur a Vellejo Pa-

Paterculo libro II. historiarum capite LXXV. Item *Brutianæ partes*, *Brutiani milites* a Julio Obsequente libro de Prodigiis cap. CXXIX. ad annum Vrbis conditæ DCCXII. M. Lepido, & Munatio Planco Coss. *Brutianis in prælium egredientibus Æthiops in porta occurrit*, *&* *a militibus confossus*: *Cassius*, *&* *Brutus interierunt*. Lactantius Firmianus, qui apud Latinos nostros *M. Tullius Cicero Christianus* audit, libro altero Divinarum Institutionum cap. VIII. bellum, quod a Bruto gestum est, *Brutianum* nominat. *Campus Brutianus* in Regione XIV. Transtiberina memoratur ab antiqua inscriptione Capitolina, a Publio item Victore, aliisque, qui Romanæ Vrbis partes enarrarunt, & nobiliora ædificia. Apud eumdem Victorem in ipsa regione VICVS BRYTTIANVS occurrit: Itemque DOMVS BRYTTIANA. In Sexto Rufo inter ædificia III. regionis legitur DOMVS BRYTIANA. In antiquæ Vrbis Notitia DOMVS BRITTI *Domus D. BRVTI*, quæ *Foro propinqua* erat, meminit Sallustius in conjuratione Catilinæ. De his locis Pancirolus in Vrbis Romæ descriptione, agens de regione XIV. hæc habet. *Campum Brytianum*, *&* *Codetanum*. *Hos Victor dividit*, *&* *Campum Brutianum appellat ab eodem Bryto*, *seu Bruto*: *cujus Domus pro insigni in tertia regione supra ostenditur*. *Hunc campum complanatum exornatumque puto*: Loquens autem de regione III. ad illa verba: *DOMVS BRYTTI*. *Rufus inquit*, *&* *Victor pro Brytti habet Brytiana*: *credo legendum Bruti*, *vel Brutiana*; *Græci enim librarii sæpe ponunt Y. pro V. ut ex lectione Pandectarum Florentinarum apparet*. *Quare hujus Descriptionis librarius Græcus fuisse videtur*. *Cujus vero Bruti hæc domus extiterit*, *difficile est discernere*: *plures enim fuere*. Patet itaque ratio, cur pro: VICVS BRVTIANVS. DOMVS BRVTIANA, ET BRVTI: *Vicus Bryttianus*, *Domus Bryttiana*, *Brytiana*, *&* *Britti* citatis locis contra rectam Latinorum scribendi rationem a Librario notatum sit. Non me præterit, Famianum Nardinum libro VII. de Vrbe Roma capite XI. Campum, quem paullo ante memoravimus, a *Bruttiis* habitatum censere, ab iisque *Bruttianum* dictum. Sed viri critici tantæ rei locupletiorem testem desiderant. Quod autem Xiphilini testimonio in Nerone freti nonnulli ajunt: scenicis fabulis, quæ in eodem campo exhiberi consueverunt, Larariorum ministerio *Bruttianos* inservisse, purum item putum commentum est. Nihil enim tale Xiphilinus prodit: nec historica veritate fulcitur assertum, tametsi passim recentes scriptores obtrudant, & recoquant. Nicolai Calliachii Cretensis *De ludis scenicis Mimorum*, *&* *Pantomimorum syntagma posthumum* non ita pridem Patavii prodiit, in quo nulla de Lorariis suam operam navantibus fabulis scenicis, neque de Bruttianis, eodem Romæ ministerio fungentibus, mentio est. Et fortasse, si Gellium excipias, antiquum scriptorem reperies neminem, qui de Bruttiis Lorariis scenicis mentionem faciat. De BRVTIANA Figlina, a Brutorum servis curata in agro Romano, duplex occurrit monimentum: quorum alterum, duodecimo ab hinc anno descripsimus ex tegula effossa in Villa Cæsarina non longe ab Oppido Cynthiano, & antiqua Vrbe Lavinio; habetque.

BRVTIANA
VERNÆ F F.

Al-

alterum repertum jampridem in via Latina, tertio ad Vrbe lapide, descripsit Raphael Fabrettus inter veteres Inscriptiones Capite VII. num. 66. pag. 497. exemplo sequenti.

BRVTIANA
S. V.

Figlinas antiquos Romanos in fundis habere consuevisse, liquet ex lege xxv. *De fundo instructo, vel Instrumento legato* §. *Quidam*. Illæ autem in agris quomodo essent exercendæ, Hostilii Sisennæ Pater & Filius libris editis docuerunt, M. Varrone teste libro primo De re rustica capite altero. Quæ quum ita sint, si Portius Cato apud Gellium revera de *Bruttiis* loquutus fuisset, profecto non alio, quam Latino more, usitatoque eleganti, ac sui seculi nomine eos appellasset: neque latina florente lingua, barbaro ac non nisi post Christum natum orto vocabulo usus fuisset. Hæc omnia serio expendenti, si alibi, heic potissime locum sibi vindicare videtur Ludovici Vivis in Gellium censura gravissima, qua libro III. De tradendis Disciplinis prodidit. *Aulus Gellius, homo rapsodus plane: congestor potius, quam digestor, & ostentator, quam peritus: loquaculus sine eruditione, in verbis ac sententiis putidulus. Quæ de significatu vocum disserit, sunt frivola, & plerumque imperita, ac falsa. Legendus est quidem, sed ita, ut rem levem scias inspicere:*

XIV. At vero alio etiam nomine in Catonis loco interpretando Aulus Gellius plus sibi sumsit, quam *Brutiani* vocabulum jure posceret. Nam etsi ultro daremus, id unos certo significare *Bruttios* hodiernæ Calabriæ populos, de servis publicis potius ad eam pœnam irrogandam addictis, quam de iis, qui proprii erant Q. Minutii Thermi, reipsa natione Bruttii, aut tandem de Bruttiis militibus accipiendum esse, nulla valida evinceret ratio. Certe ex variis nationibus Patricios Romanos proprios habuisse servos, notum est ex Romana historia. Minutios præterea non semel per id temporis magistratum, ac publica munera in Bruttiis gessisse, & Livius, & alii memorant. Q. Minutius Thermus domi, forisque nobilis, ædilis Curulis fuit, tum etiam Consul cum L. Cornelio Merula, ut constat ex Livio libro XXXII. & XXXIV. Si locus, ubi ea injuria decemviris a Thermo est illata, ipsa fuit Bruttiorum regio, ex eaque homines sumti, qui patrium magistratum violarent, quemadmodum gravius admissum scelus exstitisset, ita longe Portius abesset a mente, & interpretatione Gellii. Loci ipsius obscuritas Bruttiorum caussæ favere debet, non officere. Saltem in utramque partem ancipitem sententiam, quo quisque jure in aliam detorquet, pro altera alius contra efferet. Præter servos publicos, præcipuos etiam Lictores habebant Vrbes, quorum opera facile uti potuit, ac forte omnino voluit Thermus, ut acerbiorem suo Magistratui inferret injuriam. Enimvero LICTOR BRIXIANORVM memoratur in antiqua Inscriptione apud Gruterum pag. DCXXXI. num. 6. alter autem Lapis literatus in agro Numentano, non longe a via Salaria sic habet:

M. ONESIMO FVLVO
LICTORI MVNICIPI NVMENT.
OPT. COH. V. PRAET.
LAELIA CONJVS B. MERENTI
ET SIBI ET FILIIS DVLCISS.
P.
IN AG. P. XII.

At quemadmodum ex re ita accepta nihil

nihil probrosum Bruttiorum nationi jure potest inferri, ita memoratis a Portio *Bruttianis* Lictorium ministerium, ob majorum noxam Genti impositum, a Gellio gratis affingitur, quum nihil tale Cato indicet. Non negaverim tamen ego, Q. Minutium Thermum publico tunc Magistratu ornatum fuisse, abusumque potestate esse *iniquo imperio*, quod *servitutem* afferebat Sociis, addita *contumelia*. Quæ tria illi Cato non sine magno animi sensu, & exprobratione aperte objicit. Iniquum enim fuit imperium, servitutemque Sociis imposuit Thermus, ea jubens, quæ non debebat. Constat siquidem ex Livianæ historiæ libro quadragesimo secundo, Romanorum Magistratus ad A. Posthumii Albini consulatum, qui in annum ab Urbe condita quingentesimum septuagesimum quartum ex Petavii calculo incidit, nihil itineris & adventus caussa imperasse populis: nec quidquam illis debitum cibariorum aut viatici gratia. Quem morem, quum contra fas Thermus violasset, addidit etiam non ferenda dominatione contumeliam, ea pœna in Socios animadvertens, quæ ut iniqua erat, ita quoque liberis corporibus minime congruens. Etenim, vel in suppliciis juste sumendis habenda fuerat personarum ratio. Propterea, si quando jure essent verbera infligenda, servi *flagris*, liberi *fustibus* erant cædendi, non autem contra. Quod erudite ex Romanis legibus illustrant viri doctissimi Radulphus Fornerius *Rerum quotidianarum* libro IV. capite altero, & Barnabas Brissonius *selectarum ex jure civili antiquitatum* libro tertio, capite nono. An vero in ipsa Provincia, aut loco id Thermus egerit, ubi jus suum, & potestatem explicare debuerat, seu potius in itinere, decernere non audeo.

XV. Neque hæc tantum, sed & alia momenta suppetunt, quibus Gellianam confidentiam magis magisque improbemus, ac propulsemus Bruttiorum injuriam. Commentus fuerat ipse, *omnium primos* in Italia post Cannensem pugnam ad Hannibalem defecisse Bruttios: eos proinde ab Romanis *ignominiæ caussa non milites scriptos, nec pro sociis habitos: sed Magistratibus in Provincias euntibus apparere, ac præministrare servorum vice jussos*. Apparitorum multa erant genera etiam ætate Gellii, quæ late explicantur in codice Justinianæo libro XII. titulo LIII. & sequentibus. Philippus Broidæus in additionibus ad Historiam Fori Romani Francisci Polleti libro quinto, capite XII. *Apparitoris nomen* (inquit) *generale videtur a parendo, vel apparendo dictum: quod omnibus Ministris commune est: de quibus omnibus ordine dicemus*. Eos porro distinguit in *Scribas*, *Commentarienses*, *Amanuenses*, *Graphiarios*, *Actuarios*, *Notarios*, *Accensos*, *Præcones*, *Interpretes*, *Viatores*, *Lictores*, *Statores*. Ex tanto apparitorum numero, nulla suadente ratione, atque evincente momento, in unum *Lictorum* ordinem Bruttios coniicere placuit Aulo Gellio. Atqui, quomodocumque ipsius accipiatur assertum, novis illud difficultatibus fit obnoxium. Constat siquidem ex Livii libro secundo, eos, qui Romæ apparebant Magistratibus, ex *plebe Romana* fuisse. Præterea Justus Lipsius libro primo Electorum capite XXIII. ejusdem Livii, aliorumque scriptorum Romanæ historiæ testimonio ostendit, *liberos* illos fuisse, *non servos*. Liber profecto non servus fuit C. Manius Rufus *Lictor* simul atque *Viator*, Papiria,

vel

vel Papia censitus tribu: & quod alio item nomine adversatur Gellio, natione VMBER, non Bruttius, ut constat ex sequenti epitaphio Narbonensi descripto a cl. V. Scipione Maffejo, in egregio opere hoc anno Parisiis vulgato, cui titulus: *Galliæ antiquitates quædam selectæ*, Epistola XVI. pag. 80.

C. MANIVS CF
PAP RVFVS VMBER
EXS DECVRIA
LICTORVM VIATORVM
QVÆ EST CIPNM
FECIT SIBI ET SVIS

Item apud Gruterum pag. CCCXXII. num. 7. legimus.

D. M.
L. AEL. MALCO. LICTORI. EQ. PRÆTORIANO
COH. III. PR. QVI. ET. VRB. TEM. ANTISTES
SACERD. TEMP. MARTIS. CASTRORUM
PR.
FECIT. BEN. MERENTI. CONJUGI. DVL. SVO
ROSCIA. SVCCESSA. CVM. QVO. VIXIT. AN. XL.
DECESSIT. ANNOR. LXVI.

Prodit insuper citato loco Lipsius: *Taciti vero, ac supra paullo tempore, etiam ex Libertinis & Libertis*, Togatos proinde illos extitisse, ac *Civitatis jure* gavisos. Ad rem ipsam illustrandam egregie facit alia vetus Inscriptio prostans Romæ in hortis Mediceis Montis Pincii, cujus sequens est exemplum.

SECVRITATI
COGNATIONIS SVAE
FORTVNATVS AVG. L
VERNA PATERNVS
AB EPISTVLIS
ACCENSVS PATRON
DIVO AVG. VESPASIANO
LICTOR CVRIAT
VIAT. HONOR DEC. COS. ET PR
ET SIBI ET
EPAPHRODITO AVG. L.
AB EPISTVLIS FRATRI SVO.

*Vernas* & hic, & in aliis antiquis monimentis, non servos, sed *libertos* esse, ostendit Josephus Castalio in libro *Variarum lectionum* capite ultimo. Quales autem milites fuissent *Accensi*, docet Vegetius libro II. *de re militari* cap. XIX., & Stevvechius, qui auctorem ipsum præclaro Commentario illustrat. *Liberti*, ac etiam *ingenui* Lictores, ac Viatores multi occurrunt in antiquis Inscriptionibus recitatis a Grutero, & aliis. Ex quibus nihil clarius patet, quam illos militiæ quoque gradus, & publica diversi generis gessisse munera. Broidæus citato loco minus accurate rem, de qua agimus, pertractans, discrimen temporum non animadvertit. Scripsit proinde pag. 703. *Apparitores ex libertis, & libertinis Magistratibus, quibus apparebant*, fuisse: perinde ac si unus idemque semper in re ipsa mos viguerit. Non reticet insuper Lipsius, *paullatim, ut Gracchum e suis libertis, ita alios sumsisse è propriis Servis*. Præterea, primo JESV Christi seculo, non ejus generis dumtaxat præcipuos familiarum servos, verum etiam *Publicos* (qui nimirum publico essent ære emti) *plerisque Magistratibus apparuisse*, eosque Lictorum functos fuisse ministerio, ab Sexto Julio Frontino, Petronio Arbitro, & Dione Cassio discimus. Morem ipsum, vel sub initium Romani Imperii, obtinuisse, liquet ex Varrone libro XXI. Rerum Romanarum: *Ædiles Stipati servis publicis, non modo prœhendi non possunt, sed & ultro summovent populum*. Eosdem *voce valde apta, sed pene obsoleta* LIMOCINTOS quandoque appellatos esse, animadvertit, & nomenclationem illustrat L. Pignorius in commentario *de servis, & eorum apud veteres ministeriis* capite V. Vbi prodit, hujusmodi *servos publicos* non modo *Civitatibus*

*tibus*, *atque Provinciis*, *sed etiam municipiis*, *Collegiis*, *Decuriis*, *Fisco*, *Societatibus*, *Fanis*, *Curiis*, *Corporibus fuisse*. Idem pluribus antiquarum Inscriptionum testimoniis ostendit & Fabrettus cap. IV. num. 563. & sequentibus pag. 336., & 337. Sed hæc nihil ad ætatem M. Catonis, & Q. Minutii Thermi, qui ab Legatione Asiæ cum C. Manlio in Italiam rediens, a latronibus Thracibus interemtus est, anno ab Urbe condita quingentesimo sexagesimo. Gellius constanti negligentia, & oscitantia Romanam historiam miscens, sua, non antiqua tempora, expressit, moremque recentem, non priscum aperuit, ut confictam in Bruttios fabulam arbitrariis momentis undecumque muniret. Eodem errore laborant, qui antiquum morem non alium, quam recentem arbitrati, M. Catonis, Q. Minutii ævum Tiberii Cæsaris, & Christi Domini ætati ad amussim, hac in parte respondere fingunt, ut immerentes dedecore, & invidia onerent.

XVI. Hactenus satis fuse, atque perspicue vidimus, *Brutianorum* vocabulum ab Catone usurpatum non dubiæ modo, & ancipitis significationis esse, magisque ad *Brutos* quam *Bruttios* spectare; verum adeo inepte illi Gellium novas fabulas affixisse, ut nihil a proposito sit magis alienum; ac ab historia, & congruente disceptatæ rei antiquitate discrepet. Nunc caussam, quamobrem gravissimam probrosamque illi pœnam Gelliano judicio, ac testimonio luerint, excutienda est: videndumque, an hoc saltem nomine Gellius, & qui cum Gellio sentiunt, vera loquantur. *Cum Hannibal Poenus* (inquit) *cum exercitu in Italia esset*, *&* *aliquot pugnas Populus Romanus adversas pugnavisset*, *primi totius Italiæ Bruttii ad Hannibalem desciverunt*. Atqui tam falsum est, omnium primos in Italia Bruttios ad Pœnos descivisse, quam verum & exploratum id sceleris admisisse Bojos, & post eos Gallos Cisalpinos, Insubres, & Ligures: illa addita temeritate, & pertinacia, qua turpis culpæ gravitas longe, multumque cumulata est: quando nec adversis pugnis accisa erat res Romana, nec hostis secundo Marte atque successu vires auxerat. Luculentum illustris historiæ testem præstat audire Livium, qui libro XXI. hæc habet: I*n Italia* .... *nihil ultra quam Iberum transisse Hannibalem a Massiliensium legatis Romam perlatum erat*, *quum perinde acsi Alpes jam transisset*, *Boji*, *sollicitatis Insubribus*, *defecerunt*. *Nec tam ob veteres in Populum Romanum iras*, *quam quod nuper circa Padum Placentiam*, *Cremonamque Colonias in agrum Gallicum deductas ægre patiebantur*. *Itaque armis repente arreptis*, *in eum ipsum agrum impetu facto*, *tantum terroris*, *ac tumultus fecerunt*, *ut non agrestis modo multitudo*, *sed ipsi Triumviri*, *qui ad agrum venerant assignandum*, *diffisi Placentiæ mœnibus*, *Mutinam confugerint* ..... *Id quoque dubium est*: *legati ad Bojos expostulandum missi*, *violati sint*, *an in Triumviros agrum metantes*, *impetus sit factus*. *Mutinæ quum obsiderentur*, *&* *gens ad oppugnandarum urbium artes rudis*, *pigerrima eadem ad militaria opera*, *segnis intactis assederat muris*. *Simulari cœptum de pace agi*: *evocatique ab Gallorum principibus legati ad colloquium*, *non contra jus modo gentium*, *sed violata etiam*, *quæ data in id tempus erat*, *fide*, *comprehenduntur*: *negantibus Gallis*, *nisi obsides sibi redderentur*, *eos*

*se dimissuros*. Veteris historiæ sequutus fidem Silius Italicus libro IV. de bello Punico secundo, Bojos perinde ac Gallos Senonas, in Italia Pœnis conjunctos, apud Ticinum adversus Romanos alacriter decertasse memorat versu 148. & sequentibus.

*Bojorum ante alios Chryxo duce mobilis ala*
*Arietat in primos, obicitque immania membra.*
*Ipse tumens Atavi Brenni se stirpe ferebat*
*Chryxus, & in titulos Capitolia capta trahebat,*
*Tarpejoque jugo demens & vertice sacro*
*Pensantes auro Celtas umbone ferebat.*
*Colla viri fulvo radiabant lactea torque,*
*Auro virgatæ vestes, manicæque rigebant.*
*Ex auro, & simili vibrabat crista metallo.*
*Sternitur impulsu vasto perculsa Camertum*
*Prima phalanx, spissæque ruunt conferta per arma*
*Undæ Bojorum, sociata examina densant*
*Infandi Senones, collisaque quadrupedantum*
*Pectoribus toto volvuntur corpora campo.*
*Arva natant, altusque Virum cruor, altus equorum*
*Lubrica belligeræ sorbet vestigia turmæ*
*Seminecum letum peragit gravis ungula pulsu,*
*Et circum volitans tetros a sanguine rores*
*Spargit humo, miserisque suo lavat ora cruore.*

XVII. Post hæc Boji L. Manlium Mutinæ obsessis opem ferentem adoriuntur, magna edita cæde Romanorum, quam eodem libro XXI. narrat Livius. Quam pertinaci vero odio Punico vigente bello adversus Romanos perstiterint, satis perspicue produnt historici. Ita autem in Romanum nomen crevit ira, & acerbitas, ut ex calva Posthumii Consulis poculum sibi fecerint celatum auro, teste Livio libro XXIII. Qui Gallis Cisalpinis contermini fuere Ligures, non levioris perfidiæ notas ab historicis retulere. *Venienti in Ligures Hannibali* (inquit Livius libro XXI.) *per insidias intercepti duo Quæstores Romani C. Fulvius, & L. Lucretius cum duobus Tribunis militum, & quinque equestris ordinis Senatorum ferme liberis, quo magis ratam fore cum his pacem, Societatemque crederet, traduntur*. Neque vana data Duci fides exstitit, aut opis expers. Progredienti siquidem ultra Pœno valida utrique populi tribuerunt auxilia. Quibus audacior factus hostis, ad extremam fere calamitatem, & perniciem rem Romanam adduxit. Livius libro XXI. *Quantæ copiæ transgresso in Italiam Hannibali fuerint, nequaquam inter scriptores constat. Qui plurimum, centum millia peditum, XX. equitum fuisse scribunt. Qui minimum XX. millia peditum, sex equitum. L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Hannibale scribit, maximus auctor moveret me, nisi confunderet numerum Gallis, Liguribusque additis. Cum his scribit LXXX. millia peditum, X. millia equitum adducta in Italiam*. Qui auxiliares in Romanorum castris merebant Galli mox popularium perfidiam turpissimo scelere superarunt. Etenim inter Padum Alpesque ab Carthagi- nienſi-

nienfibus cum Romanis pugnata pugna: *Hannibal*, ut narrat Livius in eodem libro. *Paucis post diebus, sex millia passuum a Placentia, castra communivit, intempestivo die, in conspectu hostium acie directa, potestatem pugnæ fecit. Insequenti nocte cædes in castris Romanis, tumultu tamen, quam re major, ab auxiliaribus Gallis facta est, ad duo millia peditum, & CC. equites, vigilibus ad portam trucidatis ad Hannibalem transfugiunt. Quos Pœnus benigne alloquutus, spe ingentium donorum accensos in Civitatem quemque suam ad sollicitandos popularium animos dimisit*. Ne multa. Ex late fusa *Gallica gente*, quo tempore ad Cannas pugnatum est, *Cenomanorum* dumtaxat *auxilia in fide mansisse* idem scriptor memorat citato libro. Initam ab Liguribus cum Pœno Societatem perincommodam atque molestam rebus suis Romanus in dies agnoscens, quæsiturus ingenti malo remedium, Q. Fabio, & M. Attilio Coss. Legatos ad eos misit *ad expostulandum*(inquit Livius libro xxii.) *quod Pœnum opibus, auxiliisque suis juvissent. Simul ad visendum ex propinquo quæ in Boiis, atque Insubribus gererentur*. At nihil Romanis ea industria profuit: constantesque non minus Boji & Galli, quam Ligures Hannibali studuerunt,ut constat ex Livio libro xxvii. De ipsorum ausis, bellis, ira, & odio in Populum Romanum porro auctis satis fuse agunt historici. Prodit autem Livius libro xxiv. Ligures potissimum audaciores in dies factos Lunensem agrum, & Pisanum populatos esse; Placentinum cædibus & incendiis vastasse, & lege sacrata exercitum in Romanos coegisse.

XVIII. Dum propiores Urbi regiones petit Hannibal, compluries ab eo feliciter pugnatum est: ac primum quidem ad Ticinum, tum ad Trebiam, deinde ad Trasimenum, postea in Umbria: eademque adversa Romano Populo prælia enarrat Livius libro xxi., & xxii. De hujusmodi Pœnorum successibus loquens Cornelius Nepos in Hannibale num. iv.: *Conflixerat* (inquit) *apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione Consule, eumque pepulerat. Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit: saucium inde, ac fugatum dimittit. Tertio idem Scipio cum collega Tiberio Longo apud Trebiam adversus eum venit, cum his manus conseruit: utrosque profligavit. Inde per Ligures Apenninum transiit petens Hetruriam. Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea numquam dextero æque bene usus est. Qua valetudine cum etiam premeretur, lecticaque ferretur, C. Flaminium Consulem apud Trasimenum cum exercitu insidiis circumventum occidit. Neque multo post C. Centenium Prætorem cum delecta manu saltus occupantem.* Quales animos, ac virtutem adversus Romanos Insubres conjuncti Pœnis ad Trasimenum ostenderint, libro xxii. ex Livio discimus. *Multitudinem Italici generis* pro Romanis adversus Hannibalem ibidem militasse, citato loco memorat idem Livius. Hos inter non dubito quin fuerint Bruttii. Ipsos enim Cannensi prælio, quod paulo post in Apulia commissum est, Romanorum auxilia suis copiis auxisse prodit Silius Italicus libro viii. de bello Punico secundo carminibus sequentibus.

*Bruttius haud dispar animorum unaque juventus*
*Lucanis excita jugis, Hirpinaque pubes*

*Horrebat telis, & tergo hirsuta ferarum.*
*Additur his Calaber, Sallentinæque Cohortes*
*Nec non Brundusium, quo desinit Itala tellus*
*Parebat legio audaci permissa Cethego*
*Cui socias vires, atque indiscreta maniplis*
*Arma recensebant* . . . . . . .

Quod autem longe potiori momento rem nostram comprobat adversus falsa asserta Gellii, Livius ipse in fine ejusdem lib. xx. secundi, narrata Cannensi clade, inter *Socios*, qui ad eam *diem firmi* pro Romanis *steterant*, *Bruttios* recenset.

XIX. Funestissimum, ac seculis omnibus memorandum excidium, si Q. Claudio credimus in libro V. Annalium apud Gellium lib. V. cap. xvii. *ante quartum nonas*, si Livio, aliisque *sexto idus Sextilis* editum est, M. Terentio Varone, & L. Æmilio Paullo II. Coss. Cujus historiam, quum recentiores scriptores Gelliano testimonio freti, potissime adversus *Bruttios* detorqueant, & objiciant, ut suum stet perspicuæ veritati pretium, opportune illustrabimus. Mali magnitudo tantis ambagibus Viam aperuit: quæ subinde erroribus gravibus caussam præbuerunt. In eo conflictu non Æmilius tantum Consul est occisus, sed teste Dionysio Halicarnasseo in libro secundo, ex octoginta Romanorum millibus tria millia dumtaxat evasere. Titus Manlius in Oratione de Captivis redimendis quinquaginta millia interemta significat: nec desunt authores gravissimi, qui Romanæ Reipublicæ dispendium augeant. Enimvero Polybius libro I. historiarum ad septuaginta millia cæsa tradit. Livius autem libro xxii. diligentiori calamo tristem casum posteritati commendans, quadraginta millia peditum, duo millia & septingentos equites cecidisse: præterea supra tria Romanorum millia capta scribit. Tanto per Hannibalem edito Romanorum excidio, quatuor fere hominum millia, & ducenti Equites, quibus in maximo omnium luctu, atque discrimine *satis virium, aut animi fuit*, Canusium profugerunt, unaque sententia Ap. Claudio Pulchro, qui proxime Ædilis fuerat, & P. Cornelio Scipioni *admodum juveni* imperium detulerunt: *Quibus consultantibus inter paucos de summa rerum* (inquit Livius citato libro) *nuntiat P. Furius Philus consularis viri filius: NE QVICQVAM EOS CONSVLTARE PERDITAM SPEM FOVERE: DESPERATAM, COMPLORATAMQVE SPEM ESSE PVBLICAM.* Addit præterea: *Nobiles juvenes quosdam, quorum Principem L. Cæcilium Metellum mare ac naves spectare, ut, deserta Italia, ad Regem aliquem transfugiant.* *Quod malum*, eodem teste Livio, *præterquamquod atrox, super tot Clades etiam novum, cum stupore, ac miraculo* torpidos defixisset, Scipio *fatalis Dux hujusce belli, consilium renuens, eo ubi conventus erat, perrexit, strictoque super capita juvenum consultantium gladio, jurare universos coegit; se rempublicam non deserturos.* Narrat insuper Polybius in fine libri VII. Romanos in summam desperationem adductos, non modo de suo, sed de totius patriæ interitu dubitasse, ferocissimum hostem ad ipsa Romana mœnia jam jam exspectantes. Tam late accisæ Romanæ rei omnes detinebat cogitatio, timorque transversos agebat, ac desperatio. Neque id sine justa, & gravi caussa

eaussa accidit. Hac siquidem pugna Romani imperii opes pene concidisse, Plutarchus in Hannibale, & Valerius Maximus lib.iv. cap.vi. num.10. verissime memorant. Lactantius item Firmianus Divinarum Institutionum libro II. capite xvii. *Romanum nomen apud Cannas pene deletum* scribit. Durissimum, fusissimumque acceptæ cladis malum ipsemet Romanus Consul Legatis Campanorum ingenue aperuit, apud Livium libro xxiii. Quum enim ii significassent, Senatum, Populumque Campanum ægre ferre adversi quicquam evenisse Romanis: quæque ad bellum opus essent, pollicerentur. *Morem* (inquit) *magis loquendi cum Sociis servastis, Campani, jubentes quæ opus essent ad Bellum comparare, quam convenienter ad præsentem fortunæ nostræ statum locuti estis. Quid enim nobis ad Cannas relictum est, ut quasi aliquid habeamus, id quod deest, expleri ab Sociis velimus? Pedites vobis imperemus, tamquam equites habeamus? Pecuniam deesse dicamus, tamquam ea tantum desit? Nihil, nec quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna. Legiones, equitatus, arma, signa, equi, virique, pecunia, commeatus, aut in acie, aut in ruinis, postero die amissis castris perierunt. Itaque non juvetis nos in bello, oportet, Campani, sed cum Pœnis bellum pro nobis suscipiatis...... Pulchrum erit: Campani, PROLAPSVM CLADE ROMANORVM IMPERIVM, vestra fide, vestris viribus retentum, ac recuperatum esse. Triginta millia peditum, quatuor equitum, arbitror ex Campania vos scripsisse: jam pecuniæ affatim esse, frumentique. Qui si parem fortunæ vestræ fidem habetis, nec Hannibal se vicisse sentiet, nec Romani se victos esse.*

XX. Campani, detrimenti intellecta magnitudine, longe alia via, quamvis infelici exitu, rei suæ consulere, quam Romanæ maluerunt. Romani autem auctis in dies malis in extremas compulsi angustias, id porro consilii suscipere sunt coacti, quod magis magisque discriminis immanitatem patefecit. Narrat enim Livius citato libro, & post Livium Valerius Maximus libro vii. cap. vi. num. i. *exausta juventute Romana, Senatum, auctore Tiberio Graccho Consule designato, censuisse, uti publice servi adversus propulsandorum hostium impetum emerentur. Eaque de re per Tribunos Plebis ad populum lata rogatione, tres creati sunt viri, qui quatuor, & viginti millia servorum comparaverant: adactosque jure jurando strenuam se, fortemque operam daturos, quoad Pœni essent in Italia, datis armis, in castra miserunt.* Cladis præterea magnitudo ita Urbem confudit, ut eodem teste Valerio.M. *Junii opera Dictatura rempublicam administrantis spolia hostium affixa Templis, Deorum Numini consecrata, instrumento militiæ futura convellerentur, ac prætextati pueri arma induerent. Addictorum etiam, & capitali crimine damnatorum sex millia conscriberentur.* De re ipsa S. Augustinus libro III. de Civitate Dei Capite xix. scribit: *Cannense excidium tanta militum inopia sequuta est, ut Romani reos facinorum, proposita impunitate, colligerent: servitia libertate donarent, atque ex illis pudendus non tam suppleretur, quam instrueretur exercitus. Servis itaque, imo ne faciamus injuriam, jam libertis pro Romana Republica pugnaturis arma defuerunt, detracta sunt Templis..... Tunc etiam stipendiis sufficiendis, quum defe-*

*defecisset ærarium, in usus publicos opes venere privatæ. Adeo unoquoque id, quod habuit conferente, ut præter singulos annulos aureos, singulasque bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri Senatus ipse, quanto magis ceteri ordines, tribusque relinquerent*. Præstat. hic & L. Valerii testimonium afferre, qui in oratione pro lege Oppia apud Livium libro xxxiv. ita differit: *Hannibal in Italia erat victor ad Cannas. Jam Tarentum, jam Arpos, jam Capuam habebat. Ad urbem Romam admoturus exercitum videbatur. Defecerunt Socii. Non milites in supplementum, non Socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus. Servi, quibus arma darentur, ita ut pretium pro iis, bello perfecto, dominis solveretur, emebantur. In eamdem diem frumentum, & cetera, quæ belli usus postulabant, præbenda publicani se conducturi professi erant. Servos ad remum numero ex censu constituto cum stipendio nostro debeamus. Aurum, & argentum omne a Senatoribus initio orto in publicum inferebamus. Viduæ, & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant. Cautum erat, quo ne plus auri, & argenti facti, quo ne plus signati argenti, & æris domi haberemus*.

Ex his duo potissimum pro re nata licet colligere, ac serio animadvertere: Romanos nempe ob Cannense excidium in durissimam, & extremam necessitatem conjectos, ægerrime se ab hoste victore, ac potentissimo tueri potuisse, alieno indigentes auxilio: Socios autem eodem & ipsos laborantes malo, a Romanis omni ope, ac viribus destitutis in præsenti discrimine juvari nequisse. Quamobrem auxilium orantibus, Senatus id ab se præstari non posse respondit; liberrima, ut rebus suis consulorent, potestate facta. Perspicuum ejus rei exemplum habemus in Petellinis Bruttiis, quod paullo post opportuniore loco illustrabimus. Cui tamen ea nunc lubet attexere, quæ de Siculis, & Sardis Sociis ex Romana historia narrat Valerius Maximus lib. vii. cap. vi. n. 3. his verbis: *Propter eamdem cladem*( Cannensem ) *Senatus Otacilio, qui Siciliam, & Cornelio Mammulæ, qui Sardiniam pro prætoribus obtinebant, querentibus quod neque stipendium, neque frumentum classibus eorum, & exercitibus Socii præberent, affirmantibus etiam, ne habere quidem eos unde id præstare possent: rescripsit: Ærarium longinquis expensis non sufficere: proinde quo pacto tantæ inopiæ succurrendum esset, ipsi viderent. His literis quid aliud, quam imperii sui gubernacula e manibus abjecit? Siciliamque & Sardiniam benignissimas Vrbis nostræ nutrices, gradus & stabilimenta bellorum, tam multo sudore, & sanguine in jus, & potestatem redactas, paucis verbis, te scilicet necessitate jubente, dimisit?*

XXI. Immanis clades, quæ amplissimum ordinem, ejusque Romanos ita commoverat, Sociorum quoque dejecit animos. Actum propterea de Romano imperio arbitrantes, ac deteriora ab hoste potentissimo, ac barbaro victore timentes, quum suis se viribus nullatenus tueri possent, nec a Romanis defendi, partim vi, partim instantium pœnarum terrore, ad eos defecerunt. Miserabile mali genus non unam, & alteram dumtaxat gentem, sed universos fere Italiæ populos corripuit. Id tamen iniqua expensa conditione temporum, non pravæ voluntatis argumentum, sed adversæ fortunæ

næ, uno cunctos volventis turbine, fuit indicium: proinde non scelus, neque culpa ab ipsomet antiquis Scriptoribus, qui Gellium & Appianum ætate præcesserunt ea defectio appellata est, sed ERROR. Livius in fine libri xxxii. *Quanto autem major hæc clades* ( Cannensis ) *Superioribus cladibus fuerit, vel ea res indicio est: quod qui Sociorum ad eam diem firmi steterant, labare cœperunt* NULLA PROFECTO ALIA DE RE, *quam quia desperare cœperant de Imperio. Defecere autem ad Pœnos hi Populi. Atellani, Calatini, Hirpini: Apulorum pars, Samnites: præter Petellinos Bruttii omnes, Lucanos. Præter hos Surrentini* (meliores codices habent *Sallentini*) *& Græcorum omnis ferme ora. Tarentini, Metapontini, Crotonienses, Locrique, & Cisalpini omnes Galli*; Ipsa Hirpinorum, Lucanorum, & Volscentium ad Pœnos transgressio, non alio quam *Erroris* nomine notata fuit ab eodem Livio lib. xxvii. quando in Romanorum gratiam, & Societatem a Q. Fulvio Consule fuisse receptos scribitur. Silius Italicus libro xi. versu xvii. & sequentibus, quum memoratos priori loco Italiæ populos, pari motos caussa, ad Hannibalem defecisse narrasset, postremo Calabriæ, & Sallentinorum oram Jonio ablutam mare indicans, inquit:

*Lætas res Libyæ & fortunam* Errore *sequuta*
*Juravit* pavitans *Tyrio sua prælia Marti*.

Quantum inter *crimen* & *errorem* intersit, facile quisque noscit. Cn. Plancus scribens ad M. Tullium Ciceronem libro x. Epistolarum familiarum numero xxv. inter *errorem & culpam*, jure discrimen constituit: atque illum ad factorum excusandum pravitatem, ac scelus propulsandum prodesse plurimum, sapienter indicat. Ob id Publ. Ovidius *erroris* nomine sæpenumero peccatum suum, quo Augustum Cæsarem gravissime offendit, imminuere studet, ubi de illo incidit sermo. Libro iii. Tristium Elegia 1. ad Augustum vers. 51.

*In quo pœnarum, quas se meruisse fatetur,*
*Non facinus caussam, sed suus* error *habet*.

Et ejusdem libri Elegia v. vers. 49.

*Inscia quod crimen viderunt lumina, plector*
*Peccatumque oculos est habuisse meum*.
*Non equidem totam possum defendere culpam,*
*Sed partem nostri criminis* error *habet*:

Abest itaque quam longissime, ut qui post Cannense excidium *necessitate, & errore* ducti ad Hannibalem defecerunt, memoranda seculis omnibus pœna digni censeri debeant: In iis autem longe graviori, quin etiam turpissima plecti debere Bruttios, qui nec primi ad Pœnos sunt transgressi, nec talem, qualem Campani, aliique ostenderunt nefariis factis adversus Romanos animum. Neque illam subinde in errore præ se tulere pertinaciam, quæ miserationem non meretur, ac veniam.

XXII. Omnium sane primos ex Italiæ Populis, qui post cladem Cannensem a Romanis ad Pœnos desciverunt, alios omnino fuisse quam Bruttios, exploratum est. Liquet siquidem ex Livii, & Polybii historia, primum universa fere Apulia Hannibalem fuisse potitum. Ex Apulia a Samnitibus vocatum

tum, nulla mora interposita, in Samnium movisse, ut Hirpinos, Cossamque ultro sese dedentes acciperet. Partito deinde exercitu Magonem fratrem ad occupandas illarum regionum Urbes; quæ deficiebant, misisse. Ipsum autem ad Capuam, quo ab legatis arcessitus fuerat, perrexisse. Post hæc Magonem e Samnio evocatum, Carthaginem ad insignem, ac memorandam victoriam nunciandam legatum fuisse. Ante tamen per Bruttios transisse, ut civitates desciscentes reciperet. Omnia indicatis Romanæ historiæ locis comprobabimus, quo magis magisque Gellii inscitiam, ejusque iniquum in Bruttios commentum fiat clarius. Livius sub initium libri xxiii. *Hannibal post* Cannensem *pugnam, & castra capta, ac direpta confestim ex Apulia in Samnium moverat, accitus in Hirpinos a Statio, pollicente se Cossam traditurum. Cossanus erat Trebius nobilis inter suos; sed premebat eum Cossanorum factio, familiæ per gratiam Romanorum potentis. Post famam Cannensis pugnæ, vulgatumque sermonibus adventum Hannibalis, cum Cossani Urbe excessissent, sine certamine tradita urbe Peno, præsidiumque acceptum est. Ibi præda omni atque impedimentis relictis, exercitu partito, Magonem regionis ejus Urbes, aut deficientes ab Romanis accipere, aut detrectantes cogere ad defectionem jubet: Ipse per agrum Campanum mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim, ut Urbem Maritimam haberet*. Hirpini Samnitum erant proles, Strabone teste in Geographiæ libro vi. Samnitibus autem latum per eas regiones fuisse imperium, latet neminem. Jam tum, dum hæc agebantur, Campani rebus novis studere cœperant: proinde vel *omnium primi*, aut certe, *cum primis* fuere, qui ab Romanorum societate descivenrunt. Livius etenim eodem libro de militibus Prænestinis Romanorum subsidio in Apuliam contendentibus scribit: *Profecti a Casilino avertit eos retro Casilinum nuntius* Cannensis *pugnæ. Ibi quum dies aliquot suspecti Campanis, timentesque cavendis, ac struendis invicem insidiis, transduxissent, jamque de Capuæ defectione agi, accipique Hannibalem, satis pro certo haberent, interfectis nocte oppidanis, partem Urbis, quæ cis Vulturnum est, (eo enim dividitur amni) occupavere*. Neque id mirum. Jampridem siquidem, quum ad Trasimenum infeliciter a Romanis pugnatum est, *Campani equites multis illecti donis, promissisque Hannibalis, ad conciliandos popularium animos dimissi fuerant*. Iidemque Pœno nuntiarunt. *Si in Campaniam exercitum admovisset, Capuæ potiundæ copiam facere*: teste Livio libro xxii. Rem ipsam remotis ambagibus aperit L. Furius Purpurio apud eumdem Livium libro xxxiv. *An inquit, Campanorum pœnæ (nec ipsi quidem queri possunt) nos pœniteat? Hi homines, quum pro eis bellum adversus Samnites per annos prope LXX. cum magnis nostris cladibus gessissemus, ipsos fœdere primum, deinde connubio, atque inde cognationibus, postremo civitate conjunximus. Tempore nostro adverso* PRIMI OMNIUM ITALIÆ POPULORUM, PRÆSIDIO NOSTRO FOEDE INTERFECTO, AD HANNIBALEM DEFECERUNT. *Deinde indignati se obsideri a nobis, Hannibalem ad oppugnandam Romam miserunt*. L. Furii Purpurionis testimonium in hac illustranda historia, ac dirimenda quæstione fidem longe

gra-

graviſſimum ſibi vindicat: quippe qui ipſo ſecundo bello Punico Tribunus Militum ſub Claudio Marcello meruit, multis deinde geſtis magiſtratibus, anno demum ab Urbe condita DLVIII. Conſul fuit cum M. Claudio Marcello. Purpurioni, ac Livio probe concinit Polybius, qui Africani minoris præceptor exſtitit, vicinuſque eidem Punico bello. Nec aliter ſentit Silius Italicus Neroni Cæſari æqualis ætate, qui deſcriptum ex Liviana hiſtoria priorem locum ob oculos habens, ac pene commentans, libro xi. verſ. 1. & ſequentibus hæc habet:

*Nunc age, quas clades inſignis Japyge campo*
*Verterit ad Libyam populos, Sarranaque caſtra,*
*Expediam: Stat nulla diu mortalibus uſquam*
*Fortuna titubante fides: adjungere dextras*
*Certavere palam rumpenti fœdera Pœno.*
*Heu nimium faciles læſis diffidere rebus!*
*Sævior ante alios iras ſervaſſe repoſtas,*
*Atque odium renovare ferox in tempore Samnis;*
*Mox levis, & ſero preſſurus facta pudore*
*Bruttius; ambiguis fallax mox Appulus armis.*
*Tum Gens Hirpini vana, indociliſque quietem,*
*Et rupiſſe indigna fidem: Ceu dira per omnes*
*Manarent populos fœdi contagia morbi.*
*Jamque Atella ſuas, jamque & Calatia abegit,*
*Fas ſuperante metu, Pœnorum in caſtra cohortes.*
*Inde Phalanteo levitas animoſa Tarento*
*Auſonium laxare jugum: patefecit amicas*
*Alta Croton portas, Afriſque ad barbara juſſa*
*Theſpidum docuit ſubmittere colla nepotes.*
*Idem etiam Locros habuit furor: Ora vadoſi*
*Littoris Argivos major qua Græcia muros*
*Servat, & Ionio luitur curvata profundo,*
*Lætas res Libyæ, & fortunam errore ſequuta,*
*Juravit pavitans Tyrio ſua prælia Marti.*

Non ſtatim tamen a Samnitum defectione Hannibali ſeſe adjunxiſſe Bruttios, ſed aliquo interjecto tempore, paullo poſt oſtendemus. *Mox* enim eo ſenſu adhibuit Silius, quo uſus eſt Suetonius ejuſdem fere ætatis ſcriptor in Otthone capite x. *Interfuit* (inquit) *huic bello Pater meus. Mox crebro referre ſolebat* .... Illud etiam hic animadvertimus in antiquo ejuſdem Poetæ MS. codice, quem Neapoli nobiſcum communicavit Vir clariſſimus Michael Amatus doctrina, & eruditione præſtans, non Gens *Hirpini*, ſed Gens *Harpini* legi in xi. verſu. Quæ ſane germana libri lectio utriſque noſtrum viſa eſt: nec dubito, quin alii quoque facile ſint conſenſuri. Harpi ſiquidem pervetuſta & illuſtris *Dauniæ* Urbs fuit, a Diomede condita, alias *Argyripa* ſcriptoribus dicta: de qua Virgilius libro II. Æneidum verſu 245.

*Ille Urbem Argyripam patriæ cognomine Gentis*
*Condebat.* ——— ———



Apu-

*Apulos*, quibus finitimi sunt *Daunj*, proxime memoraverat Silius ; *Samnites* vero, ad quos pertinebant *Hirpini*, ante *Apulos*. Argyripanorum ad Hannibalem defectio potissime narratur a Polybio. Non parvi præterea illa tempestate Arpos in Daunia fuisse momenti, liquet ex oratione L. Valerii pro lege Oppia apud Livium libro quarto decadis quartæ : ubi scribit: *Hannibal in Italia erat victor ad Cannas. Jam Tarentum, jam Arpos, jam Capuam habebat.*

XXIII. At vero quemadmodum purum putumque figmentum est, omnium primos ex Italiæ populis ad Hannibalem descivisse Bruttios, ita plane apertum, ac testatissimum, ipsos nec uno tempore, neque omnes ad Pœnorum partes accessisse. Quin eodem adverso tempore, quando infestis furentium hostium agminibus, duroque bello premebantur, ea Bruttii edidere erga Romanos integræ fidei, & voluntatis exempla, quæ de aliis Italiæ populis ipso affecti malorum genere plane non legimus. Quoniam vero Bruttii partim errore, partim vi, Pœnorum subierunt imperium, meliorem adepti mentem, ac novendarum rerum occasionem nacti, mature malefacta mutarunt. Ob id tamen adversis contriti præliis, donec Hannibal in Italia mansit, assidue inter extrema pericula sunt versati. Post pugnam Cannensem, quum adversus Romanos Punicum magis magisque sæviret bellum, Q. Fabio Maximo Verrucoso quartum, & M. Claudio Marcello tertium Coss. duodecim in Bruttiis Populi sese adjunxerunt Hannibali, ut ex Livio libro xxiii. & Julio Obsequente libro de Prodigiis capite xxxv. licet addiscere. Infessa siquidem jam inde fuerat a Pœnis Bruttiorum regio, eorumque duces præcipui inibi rem suam curantes, Himilco, Anno, & Hamilcar eodem libro memorantur a Livio. Quinam omnes illi Populi exstiterint, historici minime narrant. Promiscue nihilominus inter Bruttiorum oppida fuere Urbes Græci nominis, jampridem a Bruttiis ipsis subactę, quæ aliis vivebant ritibus, moribus, legibus, aliaque utebantur lingua: ut constat ex Livio libro sequenti. Eutropius in *Epitome Historiæ Romanæ* libro III. ita rem narrat, ut Bruttiorum caussæ, non uno nomine, novum præsidium adiiciat: *Anno quarto* ( inquit ) *postquam in Italiam Hannibal venit, M. Claudius Marcellus Consul apud Nolam contra Hannibalem bene pugnavit. Hannibal multas civitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, & Bruttios occupavit.* Illud etiam certum, multas tunc in Bruttiis fuisse civitates, quæ singularem erga Populum Romanum fidem ostenderunt, & in amicitia Romanorum permansere, quamvis *Carthaginenses*, ut scribit Livius libro xxiii. *Regionem obtinerent*.

XXIV. In his memorandi præ ceteris sunt *Petellini*: qui quum ea de caussa a Pœnis perinde atque a *Bruttiis ceteris, ob separata ab se consilia* oppugnarentur, *nec resistere malis possent*, *Legatos*, inquit Livius citato libro, *Romam ad præsidium petendum miserunt. Quorum preces, lacrimæque ( in questus enim flebiles, cum sibimet ipsis consulere jussi sunt, sese in vestibulo Curiæ profuderunt) ingentem misericordiam Patribus ac populo moverunt. Consultique iterum a M. Pomponio Prætore patres, circumspectis omnibus imperii viribus, fateri coacti, nihil jam longinquis Sociis in se præsidii*

*dii esse. Redire domum, fideque ad ultimum expleta, consulere sibimet ipsis in præsenti fortuna jusserunt. Hæc postquam nuntiata legatio Petellinis est, tantus repente moeror, pavorque Senatum eorum cæpit, ut pars profugiendi, qua quisque posset, ac deserendæ Urbis auctores essent: pars, quando deserti a veteribus Sociis essent, adjungendi se ceteris Bruttiis, ac per eos dedendi Hannibali. Vicit tamen ea pars, quæ nihil raptim, ac temere agendum: consulendumque de integro censuit. Relaxata postero die per minorem trepidationem re, censuerunt optimates, ut convectis omnibus ex agris, Urbem ac muros firmarent.* Non modo omnibus numeris & partibus, verum etiam longe, multumque supra debitum erga Romanos expleta fide, tandem, eodem teste Livio: *Petellia in Bruttiis, aliquot post mensibus, quam cœpta oppugnari erat, ab Hamilcone, Præfecto Hannibalis, expugnata est, multorumque sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit. Nec ulla magis vis obsessos, quam fames expugnavit. Absumtis enim frugum alimentis carnisque omnis generis quadrupedum, Sutrinæ postremo coriis, herbisque, & radicibus, corticibus teneris, frictisque rubis vixere: nec antequam vires ad standum in muris, ferendaque arma deerant, expugnati sunt.* Neque unum, aut alterum, sed undecim omnino menses hostes consumpsere, ut urbe obsessa potirentur. *Petilia* (inquit Frontinus lib:iv. Stratagematum cap. v. num.8.) *a Pœnis obsessa parentes, & liberos propter inopiam ejecerunt: ipsi coriis madefactis, & igne siccatis, foliisque arborum, omni genere animalium vitam trahentes undecim menses obsidionem tolerarunt.* Et Athæneus in lib.xii. Dipnosophistarum ..... Πετελῖνοι δὲ τηρήσαντες τὴν πρὸς Ρωμαίους πίστιν τῆς τοσοῦτον καρτερίας ἦλθον πολιορκούμενοι ὑπ' Ἀννίβα, ὥστε μετὰ τὰ πάντα μὲν τα κατὰ τὴν πόλιν δένδρων τοὺς φλοιοὺς, καὶ τοὺς ἀπαλοὺς πτόρθους ἀναλῶται. Tantum ego facinus memorans, non alia, quam quæ jampridem Valerius Maximus in libro vi. cap. vi. numero secundo, inter externa prodidit, referam. Petellinis nempe, *quibus propter recentem cladem Cannensem succurri non potuit, permissum esse, uti facerent, quod utilissimum incolumitati ipsorum videretur. Liberum ergo erat Carthaginensium gratiam amplecti. Illi tamen feminis, omnique ætate imbelli urbe ejecta, qua diutius armati famem traherent, pertinacissimi in muris perstiterunt. Expiravitque prius eorum tota Civitas, quam ulla ex parte Romanæ Societatis respectum deponeret. Itaque Hannibali non Petelliam, sed fidei Petellinæ sepulcrum capere contigit.* Ob hanc singularem in Romanos fidem Scriptores laudibus eximiis Petellinos ornant. Eodem nomine Petelliam effert & Silius Italicus libro xii. versu 431., ubi eam alteram Saguntum appellat, incendia quoque ab hoste crudeli passam memorans.

*Fumabat versis incensa Petilia tectis,*
*Infelix fidei, miseræque secunda Sagunto.*

XXV. *Recepta Petellia*, inquit Livius eodem libro xxiii., *Pœnus ad Consentiam copias traduxit: quam minus pertinaciter defensam intra paucos dies in deditionem accepit.* Rhegium Bruttiorum item Urbs longe clarissima, portus opportunitate, populi frequentia, & mœnibus valida,

magna hostium contentione, ac primo quoque tempore tentata est. *Dies aliquot* in eo molimine *nequicquam absumtos*, narrat Livius libro xxiv. Quapropter in suscepto proposito magis magisque confirmati, *& in fide erga Romanos, & potestatis suæ usque ad ultimum manserunt*, eodem teste Livio libro xxiii. Interea hostium vim Locrenses veriti, nihil intentatum reliquerunt, quo affectam in Romanos voluntatem, constantemque animum ostenderent. Ubi propius periculum novere, studio conatuque majori in id incubuerunt. Bellum proinde adversus Pœnos cogitantes, & propugnationem, certatim *frumentum, lignaque, & cetera necessaria usibus ex agris in urbem rapere, etiam ne quid relictum prædæ hostibus esset: & in dies major omnibus portis multitudo effundi. Postremo ii modo relicti in Urbe erant, qui reficere muros ac portas, telaque in propugnacula congerere cogebantur*. At vero, dum præclaro insistunt operi, *in permixtam omnium ætatum ordinumque multitudinem, & vagantem in agris magna ex parte inermem Hamilcar Poenus Equites emisit*, exclusitque ab Urbe fuga dissipatos. Eadem civibus spoliata, & robore, quum interim hostis instaret, & qui pauci intra mœnia relicti fuerant, ad deditionem compellerentur, ut extremo periculo populum, qui in hostium potestate erat, eximerent, contra votum durissimæ necessitati cessere. Neque in tanto miseræ Civitatis casu visa erga Romanos imminui fides est. Enimvero antequam urbs dederetur, L. Attilium, Romanosque, qui cum eo erant, milites, clam in portum deductos, Rhegium devehi curarunt, pacta etiam conditione, *ut fœdus extemplo æquis legibus fieret*. *Cujus rei*, inquit Livius libro sequenti, *prope non servata fides est, quum Pœnus dolo demissum Romanum incusaret: Locrenses profugisse ipsum caussarentur..... Locrensibus nihilominus jussu Hannibalis data pax, ut liberis suis legibus viverent. Urbs pariter & portus in potestate Locrensium esset. Societas eo jure staret, ut Pœnus Locrensem, Locrensisque Pœnum pace, & bello juvaret*. Si posteriori hoc Livii Testimonio caruissemus, ex priori hujus historiæ oscitanter, minusque fide mandata literis narratione, immerita Locrenses premerentur invidia. De ipsis enim libro xxiii., prodidit: *Et Locrenses descivere ad Bruttios Pœnosque, prodita multitudine a principibus*. Quæ quam probe hìc enarratis, ac sinceræ veritati congruant, facile quisquam videt. Nisi aliam Urbem germana codicum indicet lectio, graviori longe errore laborat Livius, memorans paullo post in eodem libro, quo tempore Ap. Claudius Messana Locros trajecit, specie circumeundæ Provinciæ, ut Bomilcarem cum supplemento militum, & commeatu Carthagine ad Annonem in Bruttios profectum, incautum opprimeret, *Locrenses Romanis portas clausisse*. Hoc enim tantum a vero abest, quantum ipsemet Scriptor nobilissimus diffidet ab iis, quæ narrat sub initium libri sequentis de Locrensibus, ad id usque tempus Romanorum Societati conjunctis, Pœnoque adversantibus. Sed eumdem Livianæ historiæ locum rursus expensuri sumus numero XXVII. Illud etiam hìc notandum: quum de Locrorum deditione, novaque societate cum Carthaginensibus ineunda ageretur, nullam inter Cives dissensionem recenseri a Li-

a Livio, quin ipse ita rem narrat, ut sine dissidio atque tumultu transacta credi queat. Fuisse nihilominus vehementem inter illos discordiam primoresque principes, audacter a Romanis stantes, naviter obstitisse tradendæ Urbis proposito, atque ob id extorres actos, conjicere licet ex libro xxix. ubi idem Livius *Locrensium principes* memorat, *qui exulabant Rhegii, pulsi ab adversa factione, quæ Hannibali Locros tradiderat*. Si fides itaque huic asserto habeatur, videtur, non multitudinem a Principibus Civitatis fuisse proditam, sed contra.

XXVI. Designatis conditionibus ad deditionem exceptos Locros ægro ferentes animo, qui Hannibali studebant, Bruttii, *conscriptis armatisque juventutis suæ quindecim millibus*, ut scribit Livius xxiv. Crotonem Græcam Urbem circumsident: *opulentam quondam* ( eodem teste libro xxiii.) *armis virisque: tum jam adeo multis, magnisque cladibus afflictam, ut omnis ætatis minus viginti millia Civium superessent. Itaque Urbe defensoribus vacua facile potiti sunt hostes. Arx tantum retenta, in quam inter tumultum captæ Urbis e media cæde quidam effugere*. Arcem ipsam *Optimates tenebant, circumsedente cum Bruttiis eos etiam plebe sua* ex Livio libro xxiv. Neque id mirum: Ut enim ibidem narrat idem historicus: *Crotone nec consilium unum inter populares, nec voluntas erat. Unus præterea velut morbus invaserat* OMNES ITALIÆ CIVITATES, *ut Plebs ab Optimatibus dissentiret*: *Senatus Romanis faveret, Plebs ad* Pœnos *res traheret*. Diu frustra oppugnando obsessorum constantia tentata est. Postremo quum arx inexpugnabilis suis viribus hosti videretur, Anno certis conditionibus Optimates compellere conatur, *ut Coloniam Bruttiorum eò deduci, antiquamque frequentiam eorum recipere vastatam, ac desertam bellis Urbem, paterentur*. Sed quum sua Dux ipse frustratus esset opera, Locrenses subinde legati permissu Annonis arcem intrant, persuadentque, *ut traduci se in Locros paterentur, nec ultima experiri vellent. Jam hoc, ut sibi liceret, impetraverant, & ab Hannibale, missis tunc legatis. Ita Crotone excessum est; Deductique Crotoniatæ ad mare naves conscendunt: Locros omnis multitudo abeunt*. Quæ Crotoni & Sybari finitima erant oppida, in Romanorum item fide mansisse, conjicere licet ex eodem Livio libro xxvi. Qui, quum vix quinque Romanis ipsis per id temporis fuisse naves narrasset, quibus extremæ Italiæ lustrarent littora, & commeatum ex Sicilia in arcem Tarentinam inferrent, D. Quintius *a Sociis Rheginis & Velia, & Pesto debitas ex fœdere exigendo classem viginti navium* effecisse prodit: *quas pro illarum magnitudine egregie instructas, & armatas circa Crotonem, Sybarimque suppleviſſe remigio*.

XXVII. Qui Livium de Bruttiis ad Hannibalem descifcentibus libro secundo & vigesimo scribentem legerit, tum illa, quæ de ipsorum Urbibus porro addit, mature expendet, facile judicabit, eum parum diligenter illustris populi, Punico sæviente bello, res narrasse; præcipuaque expositione indigere, ut dicta sibi invicem constent, tum etiam temporum rationi, atque historicæ veritati congruant. Itaque Henricus Glareanus in notis Livianis pag. 122. locum ex libro xxii. nuperrime indicato expen-

expendens, quo narrata clade Cannensi, cum alios Italiæ populos, tum etiam *præter Petillinos, Bruttios omnes* ad Pœnos defeciſſe proditur: *Non ſubito* (inquit) *defecere omnes*, *quos hìc enumerat*, *Populi*, *ſed quidam ſtatim*, *quidam poſt annum*, *ut Croton*, & *Locri*; *Tarentum vero*, *Metapontus*, & *Thurium quarto poſt anno*, *Ap. Claudio Pulchro*, & *Q. Flavio Flacco conſulibus*: *nec omnes Bruttii defecere*: Hac in parte non ſolum fidem, verum etiam diligentiam Glareanus in Livio deſiderat: tum autem *temere hæc mixta eſſe* conqueritur. Multo magis incogitantiæ Livius eſt redarguendus, ſi ex Sigonii ſententia, vera loci lectio eſt: *Samnites præter Pentros*, *Bruttii omnes*, Petellinis prorſus excluſis. Sigonius ipſe, quamvis Livio addictiſſimus, ejus vitium uſquequaque diſſimulare non audet. Viam proinde, ac rationem excogitat, qua objectas difficultates, & ambages benigna dictorum explicatione depellat. Scribit ergo in Scholiis ad librum xxv. capite primo: *Illo anno* (nempe ad Urbe condita DXXXV. ut ipſe enumerat) *omnium Bruttiorum Populorum*, *quos hoc loco duodecim fuiſſe ait*, *defectionem factam eſſe accipere debemus*; *ita ut ter de hac re loquutus ſit*: Primum *breviſſime*: *poſt aliquanto latius*, *idque non ſuo anno*, *ſed anno* DXXXIV. *ad Cannenſis cladis damna ingentia demonſtranda*, *quæ conſternati tot populi defecerint*: *poſtremo latiſſime anno ſuo DXXXV. Quamquam ibi nihil de Petellia*, & *Conſentia dixit*, *de quibus obiter antea dixerat*. *Hæc mihi pluribus verbis exponenda fuerunt*, *ut quoquo modo poſſem*, *Livium a Glareani obtrectatione defenderem*. Ita quidem Vir clariſſimus. Ea tamen tanti non ſunt, qui Livium omni prorſus culpæ eximant. Enimvero dignam peculiari laude Rheginorum fidem erga Romanos ab ſe alibi commendatam oblitus idem hiſtoricus, lib. XXIII. *Petelliam* quo tempore ab hoſtibus oppugnabatur, unam in Romanorum fide manſiſſe narrat: Quum tamen & *Conſentia* tum Romanis ſtuderet, eademque poſt Petelliæ expugnationem *intra paucos dies*, *quum minus pertinaciter ſe defendiſſet*, Carthaginenſibus dedita eſt, eodem teſte Livio. Noxiæ item hiſtoricæ rei oblivionis arguitur Livius, ſcribens in ipſo libro: *Ap. Claudius per ſimulationem provinciæ circumeundæ Meſſanam raptim exercitu ducto*, *æſtu ſecundo Locros trajecit*. *Jam inde Bomilcar ad Annonem in Bruttios profectus erat*, & *Locrenſes Romanis portas clauſerunt*. Ex libro enim ſequenti luce meridiana clarius conſtat, vel *poſt reditum Annonis in Bruttios e Campania*, *tentatumque Rhegium*, conſtanter Locros Romanis hæſiſſe; eorumque præſidium militum intra Urbem, quo validius Pœnis obſiſterent, habuiſſe. Ob id merito Livius a Glareano reprehenditur in notis ad librum IV. decadis tertiæ. Latius autem, quod ad Bruttios attinet, ejus vitium fuſum detegens: *Eadem* (addit) *de Crotoniatibus oblivio. Quam Urbem expugnatam a Bruttiorum exercitu ait* (libro tertio) *hìc* (libro quarto) *rurſus oppugnari ab eiſdem*. *Non eſt mihi dubium*, *in tanto rerum geſtarum acervo Livium memoria lapſum*. *Nam quod quidam hunc locum excuſant*, *obiter priore libro innuiſſe*, *hìc vero rem ipſam diffuſè ſcripſiſſe*, *ut acta ſit*, *mihi non probatur*: Et Sigonius, qui Livium tueri ſtudet, ejus verbis libro XXIII. expreſſis deceptus, ubi de Urbium Bruttiorum oppugna-

gnatione, ac deditione agit, aperte fallitur. In Scholiis siquidem ad librum xxv. cap. 1. de ordine, quo ille ab hostibus bello sunt petitæ, vel acceptæ, hæc habet: *Petilia in Bruttiis a Pœnis capitur: post Consentia: tum Croton Urbs Græca a Bruttiis occupata: postremo Locrenses descivere ad Bruttios, Pœnosque*. Et tamen ex eodem Livio libro sequenti perspicue liquet, post subactas Peteliam atque Consentiam, primum a Carthaginensibus frustra tentatum fuisse Rhegium, tum Locros ad deditionem compulsos, deinde Crotoni bellum inlatum. Hæc autem quum ita se habeant, longe gravi momento apud criticos, atque historicæ rei peritos eorum fides laborat, quæ idem Livius citato libro xxiii. prodidit, narrata defectione Capuæ. *Dum hæc* (inquit) *Romæ atque in Italia geruntur, nuntius victoriæ ad Cannas Carthaginem venerat Mago, Amilcaris filius, non ex ipsa acie a fratre missus, sed retentus aliquot dies in recipiendis Civitatibus Bruttiorum, quæ deficiebant*. Fatale Romanis apud Cannas prælium M. Terentio Varone, & L. Æmilio Paullo II. consulibus mense Augusto commissum est. Duodecim vero Bruttiorum Populi Q. Fabio Maximo Verrucoso IV. & M. Claudio Marcello III. Coss. ad Pœnos defecisse, produnt Livius libro xxv. & Julius Obsequens in libro de Prodigiis capite xxxv. Tertio itaque post anno seculis omnibus memorandam victoriam Carthaginensi Senatui Hannibalem nuntiasse credibile non est. Quæ quum ita sint, quemadmodum omni major laude aliis nominibus jure habetur Scriptor tantus, ita narratarum rerum curam exactiorem, atque constantiam quandoque desiderari patitur. Ob id tamquam *verbosum*, & *negligentem in historia* a Cajo Cesare ipsum notatum fuisse, ex Suetonio in ejus vita c. XXXIV. censent viri critici. Neque injuria Erasmus in Ciceroniano pag. 109. scripsit *T. Livius non raro secum ipse dissidet in rerum gestarum narratione: tantum abest, ut numquam aberret a vero*. Horum tamen judicium ita æquo lectori propono, ut nihil penitus celeberrimo historico detractum cupiam: Cui tantum semper tributum volo, quantum ipse jure meretur, & veritas exigit.

XXVIII. Ex duodecim Populis, quos in Bruttiis Maximo Verrucoso, & Claudio Marcello Consulibus ad Pœnos accessisse diximus, illorum Societatem aversati, & imperium, anno sequenti, ut constat ex Livio libro xxv. *Consentini*, & *Thurini in fidem Populi Romani redierunt*: & *plures*, eodem testante, *rediissent, nisi L. Pomponius Vejentanus Præfectus Socium prosperis aliquot populationibus in agro Bruttio, justi Ducis speciem nactus, tumultuatio exercitu coacto, cum Annone conflixisset. Magna ibi vis hominum, sed inconditæ turbæ agrestium, servorumque cæsa, aut capta est. Minimumque jacturæ fuit, quod Præfectus inter ceteros est captus*, & *tum temerariæ pugnæ auctor*, & *ante publicanus omnibus malis artibus*, & *Reipublicæ*, & *Societatibus infidus, damnosusque*. Hoc in loco mendum esse suspicatur Sigonius in Scholiis ad librum xxv. cap. xv. ac pro *Turini*, *Terinei* legendum contendit. Nam Strabo Geographiæ libro VI. & Plinius historiarum naturalium libro III. capite V. Consentiæ Terinam adnectunt. Ea vicina mari Urbs fuit, ut liquit ex Lycophrone in Cassandra. Cujus locum perperam accipiens Stephanus Byzantinus

tinus in Ethnicis, ex oppido maritimo *Infulam* finxit, quem errorem merito reprehendit L. Holftenius in notis, & caftigationibus ad illius opus verbo ΤΕΡΙΝΑ. Hinc *Terinæus finus* Plinio citato loco, nunc *Golfo di S. Eufemia*. Thurii vero ad oram finus Tarentini pofita urbs erat ad oftia illuftrium fluviorum Crathis, & Sybaris. Duæ itaque longe inter fe diverfæ Civitates temere in Livio non confundendæ, ne fatis in Bruttiis perturbata fecundi belli Punici hiftoria denfioribus tenebris, & ambagibus obducatur. Terina rurfus ab Hannibale fubinde capta eft: quumque fe illam retinere, ac tueri poffe Dux barbarus defperaret, improbo fævitiæ exemplo evertit, tefte Strabone loco citato. Quod alterum ejufdem Urbis erga Romanos conftantis voluntatis, & fidei eximium argumentum eft. Lubet hìc Gabrielis Altilii Polycaftrenfis Epifcopi, doctrina atque poetica facultate clari, Epigramma defcribere, quo ejufdem Urbis ruinam in eximium elogium merito vertit.

*Quos fpectas lapidum tumulos, & grandia faxa,*
*Vrbs Terina fuit, mole fuperba, & Avis.*
*Dum Romæ ftudet, ac focialia jura tuetur,*
*Dat fidei pœnas fubruta ab Hannibale.*
*Cur ftupidus mœres lugens fera fata viator?*
*Clarius e cineri nunc capit illa decus.*

Succeffus expeditionis, tanto rerum molimine ab Hannibale tentatæ in Bruttiis, magis magifque, quod pro Bruttiis ipfis affertum eft, ac propugnamus, illuftrat. Si omnes indifcriminatim Bruttii Pœno faviffent, nullo negotio tota illico regione Carthaginenfes potiti fuiffent. Longe tamen aliter fe rem habuiffe, & Livius, & alii memorant. Quin imo, fi Latini, Græcique Scriptores antiqui de altero bello Punico agentes expendantur, facile comperietur, Hannibalem poft tot labores exanthlatos, & dura certamina, non adeo magnum terrarum tractum in Bruttiis occupaffe: in eaque regionis parte, quæ ad Orientem verfa eft, Petiliæque, Locrorum, & Crotonis agros complectitur, potiffime confediffe, & quod maxime notandum, numquam Bruttiorum Vrbes meridionalis, vel occidentalis littoris ipfi paruere. Quæ utpote viciniores Africæ ad inftituendum, retinendumque cum patria gente commercium longe multumque opportuniores fuiffent: pluribufque nominibus Carthaginenfium res juvaffent. Spe proinde fua fruftratus Dux barbarus, ex illa demum ora folvit, quando ex Italia in Africam rediit: maritimum iter tenere coactus longum, minus fibi compertum, & incommodum, ut ex Valerio Maximo libro ix. capite viii. §. *Externa*, numero 1. licet addifcere.

XXIX. Interea vero, Punico in extrema Italia fervente bello, miferrima, fi qua alias, exftitit Bruttiorum condito, qui, quum hoftem potentiffimum acerrimeque inftantem paterentur, eidem, nonnifi cogente neceffitate, ac vi inlata, cefferunt. Subactas autem ab Pœnis urbes recuperaturi Romani, quibus Livio tefte lib. xxiv. nufquam in Bruttiis deerat ftudiofa factio, adverfa belli mole hoftes vexabant: affiduifque utriufque partis conflictibus grave oppidis detrimentum ac-

accedebat, populisque pernicies. Quod innuit Strabo Geographiæ libro iv. narrans, Bruttios ab Hannibale, atque Romanis attritos fuisse: Βρεττίοις δὲ ἐπέτριψαν Ἀννίβας τε καὶ Ῥωμαῖοι. Valerius item Maximus lib vii. cap. vi. numero 4. *Alterum Italiæ latus*, quod ad Bruttios pertinebat, *Hannibalem lacerasse* memorat. Quod certe fieri non poterat, si omnes ad Pœnos defecissent, eisque ad extremum studuissent mordicus. In tanta temporum iniquitate, & rerum angustia aliquod etiam præcipui adjumenti Romani ceperunt ex Bruttiis. Enim vero quamvis ipsis, quum ab gravissima accepta clade relevarentur, aliunde suppeterent militares copiæ, quas hosti objicerent, negari tamen nequit, non minimam subsidiariæ opis partem in ipsis Bruttiis ex incondita hominum agrestium, atque servorum multitudine *tumultuario* collectam exstitisse: quod aperte citato nuper loco innuit Livius. Illud etiam notandum: ex eo Bruttiorum numero, quos Pœni sub suis vexillis habebant, frequentes ad Romanos transiisse, ipsorumque adjunctos copiis, mox strenuissime pro Romano Populo contra Hannibalem decertasse. Quorum virtutem laude præcipua non fraudat Livius libro xxvii., ubi hæc narrat: *Additi erant Bruttiorum indidem perfugæ, & audaciæ, & ad audendum omnia necessitatibus pares. Hanc manum ad Bruttium primum agrum depopulandum duci jussit, inde ad Cauloniam Urbem oppugnandam. Imperata non impigre solum, sed etiam avide exsequuti, direptis fugatisque cultoribus agri, summa vi Urbem oppugnabant*. Depopulationes hic, libro xxv. & alibi passim in hujus belli historia a Livio memoratæ, ad corruptæ militaris disciplinæ morem referendæ sunt: quo non probo jure belli, sed Latronum ritu a Pœnis, ac Bruttiis, perinde ac Romanis res gerebatur. Id merito reprehendit, ac queritur ipsemet Livius libro undetricesimo: nam magis magisque aliorum in alios irritabant animos, extremamque vastitatem afferebat hostium campis. Qui, quum ali intra suas quique Regiones non possent, alibi necessaria humanæ vitæ alimenta, atque animalium pabula quærere cogebantur: ira semper incensi majori, ac turpioribus fœdati exemplis. Ferenda tamen levius injuria, & scelus fuisset, si in hostium dumtaxat agris, & non in Sociorum quoque prædiis id actum esset. Dummodo enim hosti cibum, & pabula adimerent, in amicorum, an in adversantium regionibus rem auderent, nihil habebant pensi. Neque hoc vitium gregales dumtaxat milites, sed duces etiam præstantissimos occupasse legimus. Consentinos jam tum in Romanorum amicitiam, & societatem rediisse vidimus: & tamen libro xxxviii. narrat Livius *In Consentinum Agrum Consules exercitum duxerunt* (L. Vetutius nimirum, & Q. Cæcilius) *passimque depopulati, quum agmen jam grave præda esset, in saltu angusto a Bruttiis jaculatoribus disturbati sunt, itaut non præda tantum, sed armati quoque in periculo fuerint. Major tamen tumultus, quam pugna fuit: & præmissa præda, incolumes legiones in loca tuta evaserunt*. Annonæ in Bruttiis difficultatem prudenter expendit Livius eodem libro. Enim vero suum alendi exercitum *nonnisi ex Bruttio agro* spes erat Hannibali, qui nec totus colebatur; nec si totus fuisset cultus, par tanto alendo copiarum nu-

numero habebatur. Quare, & fame subinde Pœnos in Bruttiis *super modum* laborasse, idem in citati libri fine narrat Historicus.

XXX. Metapontum, & Thurium munita Bruttiorum oppida, quo tempore L.Pomponius temere infeliciterque cum hoste conflixit, adhuc Romanis fideliter hærebant, Romanosque milites retinebant. Illorum tamen exacerbati injuriis par pari referre cogitarunt. Quum autem C.Servilius *satis validum* militare præsidium, quod Metaponti erat, Tarentum ab Hannibale obsessum, ac summopere laborans, traduxisset, *Metapontini*, ut scribit Livius libro xxv. *extemplo metu, quo tenebantur, liberati, ad Hannibalem defecere. Hoc idem eadem Ora maris & Thurini fecerunt. Movit eos non Tarentinorum magis defectio Metapontinorumque, quibus indidem ex Achaja oriundi, etiam cognatione juncti erant, quam ira in Romanos propter obsides nuper interfectos. Eorum amici, cognatique literas, ac nuntios ad Hanonem, Magonemque, qui in propinquo in Bruttiis erant, miserunt: si exercitum ad mœnia admovissent, se in potestatem eorum Urbem tradituros. M.Atinius Thuriis cum modico præsidio præerat: quem facile elici ad certamen ineundum rebatur posse, non tam militum, quos perpaucos habebat, fiducia, quam Juventutis Thurinæ. Nam ex industria centuriaverat, armaveratque ad tales casus*. Ex composito res peracta est. *Conjurati conglobati, quum popularium agmen patentibus portis accepissent, ubi* Romanos *fusos ad urbem ferri viderunt, conclamant, instare Pœnum, permistosque hostes urbem invasuros, ni propere portas claudant. Ita exclusos Romanos præbuere hosti ad cædem. Atinius cum paucis receptus. Seditio inde paullisper tenuit. Quum alii urbem tuendam, inde alii cedendam fortunæ, & tradendam urbem victoribus censerent. Ceterum, ut plerumque, fortuna & consilia mala vicerunt. Atinio cum suis ad mare, ad naves deductos, magis quia ipse ob imperium in se mite, ac justum consultum volebant, quam respectu* Romanorum, *Carthaginenses in urbem recipiunt*. Aucti viribus Pœni, quæ a Romanis stabant, oppidis negotium augebant. Mago enim cum valido præsidio in Bruttiis præerat, atque ultro citroque adversæ factionis milites vim aliis inferebant, & detrimenta. Ita variante fortuna suspensa omnia utrimque erant, integra spe, metuque integro. Nec Hannibal, quamvis alibi præsens administraret bellum, ut in dies singulos in ea Italiæ parte opibus cresceret, quidquam calliditatis prætermittebat, & operæ. Quo tempore vehementiori studio, atque conatu Romani Capuam obsidebant, ipse teste Livio libro xxvi, *Ex Lucanis in Bruttium agrum, ad fretum vero, ac Rhegium eo cursu contendit, ut prope repentino adventu incautos oppresserit*. Nihil tamen tunc factum memorabile, virtute, ac fide facile superante conatus, & fraudes.

XXXI. Lectis, magnisque ad eam diem Hannibal fultus copiis, urbes, quæ Pœno studebant, tuebatur valide, durissimumque Romanis in ea regione negotium facessebat. Nota Ducis sævitia, atque calliditas facile Bruttios deterrere poterant, ne noxii quidpiam adversus ipsum pro Romanis molirentur; multo facilius impedire, ne deditæ sibi

ſibi Civitates in Populi Romani jus, ac poteſtatem redirent. Contra tamen accidit. Enimvero publicæ rei conditione diligentius explorata Bruttii, Italorumque nomen inclytum & immortale in Romanis reveriti, de inſtauranda cum illis priſtina ſocietate mature conſtituerunt. Neque illuſtris Populi ſano conſilio præſens opera, & res defuit. Vibium ſiquidem & Pactium in ea regione genere, atque auctoritate longe præſtantes, ad Q. Fulvium Conſulem legatos miſerunt, qui deditionem iiſdem omnino æquis perinde ac honorificis conditionibus, quibus per id temporis Lucanis, Hirpinis, atque Volſcentibus reſtituta Societas erat, paciſcerentur. Benigne accepti, auditique Oratores, quod poſtulabant, impetrarunt, Livio teſte libro xxvii.: qui ignoratam ab Gellio, & aliis, qui cum Gellio perperam ſentiunt, hiſtoriam narrat his verbis: *Iiſdem ferme diebus ad Q. Fulvium Conſulem Hirpini, & Lucani & Volſcentes, traditis præſidiis Hannibalis, quæ in urbibus habebant, dediderunt ſeſe: clementerque a Conſule cum VERBORVM TANTVM caſtigatione ob ERRORЕМ PRÆTERITVM accepti. Et Bruttiis ſimilis ſpes veniæ facta eſt, quum ab iis Vibius & Pactius fratres longe nobiliſſimi Gentis ejus, eamdem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes veniſſent.* Bruttii Lucanis erant finitimi, quamobrem facile fuit aliorum alios duci exemplo. Quinto autem Fabio Maximo quintum, & Q. Fulvio Flacco quartum Conſulibus, *Idibus Martiis, quo die magiſtratum inierunt*, ita ab Senatu Italicarum Regionum eſſe partitum imperium, *ut C. Fabius ad Tarentum, Fulvius in Lucanis, & Bruttiis rem gereret*, paullo ante in eodem libro Livius memorat. Probe itaque loco, tempori, atque perſonis reparata a Bruttiis cum Romanis concordia congruit. Livius tamen alio prorſus loco, & tempore Lucanorum deditionem repetit. Poſt nominatos enim C. Cæcilium, & L. Veturium Conſules; *Inde* (ſcribit libro ſequenti) *in Lucanos profecti, ea ſine certamine tota gens in ditionem Populi Romani rediit.* Nihil hic de Bruttiis auctor graviſſimus. Julius nihilominus Obſequens in libro de Prodigiis capite XLI. poſteriori Livianæ hiſtoriæ loco priorem miſcet, quartumque demum in annum protracta hiſtoria errores cumulat; proditque Q. Veturio Philone, & Q. Cæcilio Metello Coſs. *Lucani in ditionem Populi Romani ſine certamine redierunt. Bruttiorum Vrbes ſeſe Romanis dediderunt.* Perſpicua Livii ſententia alio profecto trahi nequit, nec Obſequens rectæ temporum rationi, ſolidæ hiſtoriæ, ipſique Livio cohæreret, ſi quæ de Lucanis & Bruttiis in Romanorum Societatem, & fidem a Q. Fulvio Conſule receptis ſcripta ſunt, in annum ab Urbe condita quingenteſimum quadrageſimum octavum referantur.

XXXII. Bruttiorum in fidem, ac ditionem Populi Romani reditus merito præcipuo ac laudi vertetur Genti, ſi non modo libera, qua id egerunt, voluntas, ſed temporum quoque cogitetur conditio. Quæ licet impeditiſſima, ob idque iiſdem Bruttiis iratus, & adhuc potens hoſtis extremam perniciem facile poſſet afferre, conſtantiſſime tamen in



ſuſce-

ſuſcepto propoſito perſtiterunt. Neque tantum perſtitere, verum etiam luculentis exemplis ſuam erga Romanos fidem, utilemque operam, nec uno quidem argumenti genere, comprobarunt. Hæc omnia gravibus ex Romana hiſtoria petitis momentis ita monſtrabimus, ut jure quiſpiam inficiari nequeat. Vix Bruttii deditionis conditionem per legatos cum Romanis pepigerant, quum certis comperitur nuntiis: in utrorum que malum imminere Haſdrubalem, qui validis fultus copiis fratris vires aucturus, celeriter ſuperatis alpibus, Italiam feliciter eſt ingreſſus. Sed aliter, quam Pœni putabant, evenit. M. Livino ſiquidem Salinatore, & C. Claudio Nerone Coſſ. Dux idem cædes, atque incendia Italiæ ac Romano Populo minitans, cum florenti exercitu ad Metaurum deletus eſt: in eaque clade quinquaginta ſex hoſtium millia a Romanis cæſa narrantur ab Obſequente capite xl. capta quinque millia, & quadringenti. Civium autem Romanorum, qui captivi apud hoſtes detinebantur, quatuor millia recepta. Eo vulnere perculſus Hannibal periculum Bruttiis auxit, non ademit. Enimvero *amotis inde caſtris*, ut ſcribit Livius libro xxviii., *omnia auxilia, quæ diffuſa latius tueri non poterat, in extremum Italiæ angulum Bruttios, contrahit, & Metapontinos civitatem univerſam excitos ſedibus ſuis, & Lucanos, qui ſuæ ditionis erant, in Bruttium agrum traduxit*. Id ſpectans Silius libro xvi. verſu 1. cecinit;

> Bruttia *mœrentem caſus, patriæque, ſuoſque*
> *Hannibalem accepit Tellus: hic agere ſeptus*
> *In tempus poſita ad renovandum bella coquebat.*

Hodieque in Bruttiis locus eſt, qui *Caſtra Hannibalis* appellantur. Quamvis autem non ſemper inibi eum conſediſſe, certum ſit, vero tamen eſt quam ſimillimum, ibi poſt deletum Haſdrubalem præcipuam fixiſſe ſedem, & caſtra vallaſſe. Quod indicare fortaſſe voluit Silius, Hannibalem *agere ſeptum* in Bruttiis memorans: indeque loco nomen factum, quem ſenior Plinius libro tertio hiſtoriarum naturalium cap. x. his verbis deſignat. *Terinæus Sinus peninſulam efficit, & in ea Portus, qui vocatur CASTRA HANNIBALIS, nuſquam anguſtiore Italia, xx. millium paſſuum latitudo eſt. Itaque Dionyſius major interciſam eo loco adiicere Siciliam voluit*. Lucas Holſtenius in notis ad Italiam antiquam Philippi Cluverii libro iv. pag. 1306. putat fuiſſe *ſub loco*, qui nunc *Rocella* dicitur: vel ad Oſtia Fluvioli, qui *Rio cupo*. Ibi enim anguſtus eſt Italiæ Iſthmus; atque hoc confirmat Tabula itineraria, quæ ab Lacinio promontorio ad Caſtra Hannibalis xxxvi. millia paſſuum numerat, conſentitque accolarum traditio.

XXXIII. Minus valide, negligenterque defenſa Capua *multorum Italiæ Populorum ab Hannibale animos averterat*: quos, quum neque omnes ſine virium imminutione (*quod minime tunc expediebat*) diviſis retinere præſidiis poſſet; *nec iis deductis ſpei liberam, vel obnoxiam timori Sociorum fidem relinqueret*, majore, ac turpiore malo neceſſitatem in ſcelus vertit. *Præceps enim*, ut ſcribit Livius libro xxvi., *in avaritiam, & crudelitatem animus ad ſpolianda, quæ tueri*

*tueri nequibat, ut vastata hosti relinquerentur, inclinavit. Id fœdum consilium, tum incœpto, tum etiam exitu fuit. Neque enim indigna patientium modo alienabantur animi, sed ceterorum etiam: quippe ad plures exemplum, quam calamitas pertinebat.* Narrat præterea idem Livius libro xxvii. *cetera* tunc *Italia concessisse* Hannibalem. Ad reliquas autem difficultates, eam quoque accessisse, *ut, ne alendi quidem exercitum, nisi ex Bruttio agro, spes esset: qui ut omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat. Jam magnam partem juventutis bellum occupaverat, & mos vitio etiam insitus genti inter latrocinia militiam exercendi. Nec ab domo quicquam mittebatur, de Hispania retinenda sollicitis, tamquam omnia prospera in Italia essent*. Exercitus autem, quem ductabat Hannibal, & in Bruttios transvexerat, eodem teste Livio, non *suus Civilis erat sed mixtus ex colluvione omnium gentium: quibus non lex, non mos, non lingua communis, sed alius habitus, alia vestis, alii arma, alii ritus, alia sacra, alii prope dii*. Quæ nihilominus quum ita essent, mirum profecto fuit, ac præcipuæ duci laudi merito vertit Romanus historicus, prodens: *ita quodam vinculo eos copulasse, ut nulla, nec inter ipsos, nec adversus ducem seditio exstiterit; quum & pecunia sæpe in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent: quorum inopia primo bello Punico multa infanda inter duces, militesque commissa fuerant*. Illud longe majori admiratione dignum, extero barbaroque homini, tantum quandoque studium ostendisse Italos, ipsosque Romanos milites, ut non modo frequentes essent ad illum transfugæ, sed vel ex adverso exercitu quam fidissime secreta proderent. Quo fiebat, ut hostis callidus audaciores animos indies sumeret, dolique, atque fallaciæ in Romanos instructæ feliciter sæpenumero succederent, magno cum rei publicæ detrimento, atque extremo privatorum dispendio. Id & in Bruttios per eosdem dies spectatum est. Quum Locri ab L. Cincio summa vi, & operibus, ac omni tormentorum genere a Sicilia advecto oppugnarentur, Claudius vero Marcellus, ac T. Quintius Crispinus Consules præsentibus subsidiis oppugnationem juvare contenderent, neque hostiles suspicarentur insidias ab Hannibale, qui clam de rebus agendis fuerat instructus, mature circumventi, dum temere, ac tumultuario certant, Marcellus lancea transfixus occubuit: Crispinus graviter vulneratus paullopost & ipse periit. Ita *duo Consules sine memorando prælio* interfecti, ut scribit Livius lib. xxvii. & Julius Obsequens lib. de Prodigiis cap. xxix. *velut orbam rempublicam* reliquerunt: *quod nullo ante bello acciderat*. Hoc casu magis magisque elatus Hannibal, quum frustra subinde tentasset Salapiam, Locros est profectus, ubi Cincium fugavit, urbem obsidione solvit, potitusque simul est universis machinis, & operibus, quibus muri quatiebantur.

XXXIV. Promissam Romanis fidem quum dederentur, religiose quidem implevere Bruttii: Bruttiis tamen pro meritis ac debito Romani non responderunt. Post pactam deditionis conditionem Bruttiorum præsidium, quod ex Hannibalis imperio Tarentum servabat, & tuebatur, re cum Fabio Consule communicata

cata, urbem Romanis per proditionem dedidere. Ingressi nihilominus urbem ex condicto Romani, *alii alios passim, sine discrimine armatos, inermesque cædunt, Carthaginenses, Tarentinosque pariter. Bruttii quoque multi*, inquit Livius libro xxvii., *passim interfecti, seu per errorem, seu vetere in eos insito odio, seu ad proditionis famam, ut vi potius, atque armis captum Tarentum videretur, extinguendam*. Locri, quo omnis Crotoniensis civitas translata erat, tam valido muniebantur Civium præsidio, & Punicis copiis, ut omnem Romanorum conatum facile eluderent. Nec illis Romani potiti essent, nisi cives ipsi, qui Rhegii partim captivi, partim a contraria factione acti exsules morabantur, de restituenda urbe pristino illorum imperio ultro consultassent: initisque consiliis fidem, ac strenuam adjunxissent operam. Tribus millibus itaque Romanorum cum Q. Pleminio pro Prætore in urbem noctu per scalas a Bruttiis exceptis, alteraque ex arcibus eis tradita, acerrimum cum Pœnis certamen incipitur. Livius lib. xxix. *Oppidani Urbem habebant victoribus præmium in medio positam. Ex arcibus duabus præliis quotidie levibus certabatur. Q. Pleminius Romano, Amilcar Punico præsidio præerat, & accersentes ex propinquis locis subsidia copias augebant. Ipse postremo veniebat Hannibal. Nec sustinuissent Romani, nisi Locrensium multitudo, exacerbata superbia, atque avaritia Pœnorum, ad Romanos inclinasset*. Novis subinde per Scipionem a Messana allatis suppetiis, territi Carthaginenses, noctu fugiunt. *Scipio, ut arcem relictam ab hostibus, & vacua vidit castra, vocatos ad concionem Locrenses graviter ob defectionem incusavit. De auctoribus supplicium sumsit; bonaque eorum alterius factionis principibus ob egregiam fidem erga Romanos concessit. Publice nec dare, nec eripere se quicquam Locrensibus dixit. Romam mitterent Legatos: quam Senatus æquam censuisset, eam fortunam habituros. Et si male de Populo Romano meriti essent, in meliore statu sub iratis Romanis futuros, quam sub amicis Carthaginensibus fuerint*. Mox Q. Pleminio legato, ac militum præsidio ad urbis tutelam relicto, cum auxiliaribus copiis Messanam repetiit. Scipionis in Locrenses judicium sæverius fuit, quam ob mutatam voluntatem, strenuosque pro Romanis adversus Pœnum conatus merebantur. Si autem modus, & caussa, quamobrem Hannibali olim sunt dediti, procul a partium studiis, prudenter expendantur ex Livio, iniquum etiam non injuria censeri poterit, ac truculentum. Id quod ipsius Romani Senatus Consultum, nulla non ex parte Locrensibus favens, paullo post luculenter ostendit.

XXXV. Male etiam Romani milites, qui Locris ab eodem Scipione sunt relicti præsidio, publice, atque privatim de Locrensibus meriti sunt, crudelibusque ac turpibus factis proborum civium exspectationem fefellerunt. Rem non ex alia, quam ex Romana Livii aperiemus historia, qui lib. xxix. hæc habet. *Tam superbe crudeliterque habiti Locrenses a Carthaginensibus post defectionem ab Romanis fuerant, ut modicas injurias non æquo modo animo pati, sed prope libenti videri possent. Verum enim vero tantum Plenius Amilcarem præsidii Præfectum, tantum præsidiarii milites Romani Pœnos scelere atque avaritia superarunt*,

*runt, ut non armis, ſed vitiis videretur certari. Nihil omnium, quæ inopi inviſas opes potentioris faciunt, prætermiſſum in oppidanos eſt ab Duci, aut a militibus. In corpora ipſorum, in liberos, in coniuges infandæ contumeliæ editæ. Jam avaritia ne ſacrorum quidem ſpoliatione abſtinuit. Nec alia modo templa violata, ſed Proſerpinæ etiam intacti omni ætate theſauri: præterquam quod a Pyrrho, qui cum magno piaculo ſacrilegii ſui manubias retulit, ſpoliati dicebantur..... Summæ rei Pleminius præerat: militum pars ſub eo, quam ipſe ab Rhegio abduxerat, pars ſub tribunis erat. Rapto poculo argenteo ex oppidani domo Pleminii miles fugiens, ſequentibus quorum erat, obvius forte Sergio, & Matieno tribunis militum fuit. Cui quum juſſu tribunorum ademtum poculum eſſet, jurgium inde & clamor, pugna poſtremo inter Pleminii milites, tribunorumque, ut ſuis quiſque opportunus advenerat, multitudine ſimul ac tumultu creſcente. Victi Pleminii milites, quum ad Pleminium, cruorem ac vulnera oſtentantes, non ſine vociferatione, atque indignatione concurriſſent, probra in eum ipſum jactata in jurgiis referentes, accenſus ira domo ſeſe proripuit, vocatoſque Tribunos nudari, ac virgas expediri jubet. Dum ſpoliandis iis [ repugnabant enim, militumque fidem implorabant ] tempus teritur, repente frequentes milites, feroces recenti victoria, ex omnibus locis, velut adverſus hoſtes ad arma conclamatum eſſet, concurrerunt. Et quum violata jam virgis corpora Tribunorum vidiſſent: tum vero in multo impotentiorem ſubito rabiem accenſi, ſine reſpectu non majeſtatis modo, ſed etiam humanitatis, in Legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum multatis, faciunt. Tum ipſum ab ſuis interceptum, & ſecluſum hoſtiliter lacerant, & prope exanguem, naſo auribuſque mutilatis, reliquunt. His Meſſanam nuntiatis, Scipio poſt paucos dies Locros hexeri advectus, quum cauſam Pleminii, & Tribunorum audiſſet, Pleminio noxa liberato, relictoque in ejuſdem loci præſidio, Tribunis ſontibus judicatis, & in vincula conjectis, ut Romam ad Senatum mitterentur, Meſſanam, atque inde Siracuſam rediit. Pleminius impotens iræ, neglectam ab Scipione, & nimis leviter latam ſuam injuriam ratus, nec quemquam æſtimare alium eam litem poſſe, niſi qui atrocitatem ejus patiendo ſenſiſſet; Tribunos attrahi ad ſe juſſit, laceratoſque omnibus, quæ pati corpus ullum poteſt, ſuppliciis, interfecit. Nec ſatiatus vivorum corpora, inſepultos projecit. Simili crudelitate & in Locrenſium principes eſt uſus, quos ad conquerendas injurias ad Scipionem profectos audivit: & qui antea per libidinem atque avaritiam fœda exempla in Socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere, infamiæ atque invidiæ, non ſibi modo ſed etiam Imperatori eſſe.*

XXXVI. Decem propterea Legati Locris ad expoſtulandas injurias a Pleminio, militibuſque Romanis acceptas Romam miſſi nullo non verborum pondere illorum ſcelera aperuerunt: nec quidquam omiſere, quod vel externo corporis habitu ex more gentis intimum animi dolorem, mœroremque oſtenderent. Quærentibus autem in Comitio Conſulibus, *Locrenſes eſſe dixerunt, ea paſſos a Q. Pleminio legato Romaniſque militibus, quæ, ne Carthaginenſes quidem, velit Populus Romanus. Orare uti ſibi Patres adeundi, deplorandique ærumnas ſuas poteſtatem facerent. Senatu dato, maximus natu*

tu

*tu ex iis, scio, inquit, quanti æstimentur nostræ apud vos querelæ P. C. Plurimum in eo momenti esse, si probe sciatis, & quomodo proditi Locri Hannibali sint; & quomodo, pulso Hannibalis præsidio, restituti in ditionem vestram. Quippe si & culpa defectionis procul a publico consilio absit, & reditum in vestram ditionem appareat, non voluntate solum, sed ope etiam ac virtute nostra, magis indignemini bonis, ac fidelibus sociis tam atroces, atque indignas injurias ab legato vestro, militibusque fieri. Sed ego causam utriusque defectionis nostræ in aliud tempus differendam arbitror esse, duarum rerum gratia; unius ut coram P. Scipione, qui Locros recepit, quique omnium nobis recte, perperamque factorum est testis, agatur: alterius, quod qualescumque sumus, tamen hæc, quæ passi sumus, pati non debuimus. Non possumus dissimulare P.C. nos, quum præsidium Punicum in arce nostra haberemus, multa fæda indigna, & a præfecto præsidii Amilcare, & ab Numidis, Afrisque passos esse. Sed quid illa sunt collata cum iis, quæ hodie patimur? Cum bona venia, quæso, audiatis P.C., id quod invitus eloquar. In discrimine est nunc humanum omne genus, utrum vos, an Carthaginenses principes orbis terrarum videat. Sed si ex iis, quæ Locrenses, aut ab illis passi sumus, aut a vestro præsidio nunc quam maxime patimur, æstimandum Romanum, ac Punicum imperium sit, nemo non illos sibi, quam vos Dominos præoptet. Et tamen videte quemadmodum Locrenses in vos animati sunt. Quum a Carthaginensibus injurias multo minores acciperemus, ad vestrum imperium confugimus: quum a vestro præsidio plusquam hostilia patiamur, nusquam alio, quam ad vos querelas detulimus. Aut vos respicietis perditas res nostras P. C., aut ne ab Diis quidem immortalibus, quod precemur, quicquam superest. Q. Pleminius legatus missus est cum præsidio ad recuperandos a Carthaginensibus Locros, & cum eodem ibi relictus est præsidio. In hoc legato vestro (dant enim animum ad loquendum libere ultimæ miseriæ) nec hominis quicquam est, præter figuram, & speciem, neque Romani civis præter habitum, & sonum Latinæ linguæ. Pestis, ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia dividimur, ad perniciem navigantium circumsedisse fabulæ ferunt. Ac si scelus, libidinem, & avaritiam solus ipse exercere in Socios vestros satis haberet, unam profundam quidem voraginem tamen patientia nostra expleremus. Nunc omnes Centuriones, militesque vestros [ adeo in promiscuo licentiam, atque improbitatem esse voluit ] Pleminios fecit. Omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt, constuprant matronas, virgines, ingenuos, raptos ex complexu parentum. Quotidie capitur Urbs nostra, quotidie diripitur: dies, noctesque omnia passim mulierum, puerorumque; qui rapiuntur, atque asportantur, ploratibus sonant. Miretur, qui nesciat, quomodo, aut nos ad patiendum sufficiamus, aut illos qui faciunt, nondum tantarum injuriarum satietas ceperit. Neque ego exsequi possum, nec vos operæ est audire singula, quæ passi sumus. Communiter omnia complectar. Nego domum ullam Locris, nego quemquam hominem expertem injuriæ esse. Nego ullum genus sceleris, libidinis, avaritiæ superesse, quod in illo, qui pati potuerit, prætermissum sit. Vix ratio iniri potest, uter casus Civitatis sit detestabilior, quum ho-*

*hostes bello urbem cepere, an quum exitiabilis tyrannus vi atque armis oppresſit. Omnia, quæ captæ urbes patiuntur, paſſi ſumus, & nunc quam maxime patimur P. C. Omnia crudeliſſimi, atque importuniſſimi tyranni ſcelera in oppreſſos cives edunt, Pleminius in nos, liberoſque noſtros, & conjuges edidit*. Pleminii Romanorumque militum deinde narratis ſacrilegiis, graviſſimæ orationi Legatus finem imponit, tot injuriarum, ac ſcelerum pœnas depoſcens. Juſſis extemplo legatis excedere, ingens animorum eſt facta commotio. Pleminius juxta ac Scipio principum orationibus lacerari: præ ceteris autem Q. Fabius, *natum ad corrumpendum diſciplinam militarem* ipſum arguere. Sententiam porro adjecit: *Pleminium legatum vinctum Romam deportari placere, & ex vinculis cauſſam dicere: ac ſi vera forent quæ Locrenſes quererentur, in carcere necari, bonaque ejus publicari. P. Scipionem, quod de provincia deceſſerit injuſſu Senatus, revocari; agique cum Tribunis plebis, ut de imperio ejus abrogando ferrent ad populum. Locrenſibus coram Senatu reſpondere quas injurias ſibi factas quererentur, neque Senatum, neque Populus Romanus velle factas. Viros bonos, ſocioſque, & amicos eos appellare, Liberos, conjuges, quæque alia erepta eſſent, reſtitui; pecuniam, quanta ex theſauris Proſerpinæ ſublata eſſet conquiri, duplamque pecuniam in theſauris reponi, & ſacrorum piaculare fieri...... Milites qui Locris eſſent, omnes in Siciliam tranſportari: quatuor cohortes Sociorum Latini nominis in præſidium Locros adduci*. Prætor Legatique, ut Senatus decreta exſequutioni mandarent, in Bruttios profecti, primum Religionis curam ex præſcripto habuerunt. Poſt reſtitutam deinde loco ſacro pecuniam, reſque cujuſvis generis, & libera corpora, quibus debebantur, reddita, Locrenſium concio advocatur, denuntiaturque. *Iis libertatem, legeſque ſuas Populum Romanum, Senatumque reſtituere*.

XXXVII. Tot injurias, & mala graviſſima, quæ ab improbis militibus Romanis, atque præfectis reverſi in eorum ditionem populares multifariam patiebantur, profecto non ignorabant alii Bruttii, qui *in paucis illis oppidis*, ab Hannibale Punico præſidio adhuc oppreſſis, conſidebant: & tamen vicit hæc omnia affecta ipſorum erga Romanos voluntas, noviſque factis, proprio ubique comtento periculo, oſtenderunt. Enimvero quamvis Bruttiorum deditio Q. Fulvio Conſuli facta nobiliores populos, ac longe majorem eorumdem urbium partem ad Romanos attraxerit, aliquot nihilominus ſub Hannibalis imperio reſtabant oppida, obſcuri fere nominis, ſi unum, aut alterum excipias. Ex his *Petilia a M. Scipione Conſule vi capta, Conſentia, & Pandoſia* inquit Livius libro undetriceſimo, *& ignobiles aliæ Civitates in deditionem venerunt*. Anno nihilominus ſequenti teſtatur idem Livius libro XL. *Ad Cn. Servilium Conſulem, qui in Bruttiis erat, Conſentia, Vſſugum, Vergæ, Beſidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanumque, Dampetia, multique alii ignobiles populi, ſeneſcere Punicum bellum cernentes, defecere*. Verum, & hic Livius negotium faceſſit. Quæ ſiquidem ab eo nominatur, *Conſentiam* jampridem in Romanorum ditionem rediiſſe conſtat, nec rurſus ad Carthaginenſes defeciſſe legimus. In nonnullis M.S. Codicibus non Conſentia, ſed *Coſſennia*, & *Coſ-*



*ſannia*

*sannia* scribitur. Cossennia autem id oppidum censetur, quod nunc in Bruttiis *Cassanum* dicitur, Episcopali sede insigne. Ad ipsum pertinet vetus epitaphium in agro Uxentino a nobis descriptum.

D. M.
L. HETERIO Q. F.
DOMO COSSENNIA
CENT. LEG. GALBIANAE
QVI MIL. ANN. XVI. M. X
IVL. ROSCIVS COMMILEX
B. M. P.

Verum, si hoc idem, quocumque fuerit, oppidum, ad Romanos rediit M. Cornelio Cerrhego, & P. Sempronio Tuditano Coss., quomodo paucos post menses jam actum agit? Perperam fortasse a Livio divisa sunt, quæ uno fuerant loco narranda. Conjecturam firmat Obsequens in libro de Prodigiis cap. xliii., ubi Sempronio Consule nullas in Bruttiis urbes in Romanorum fidem rediisse memorat, sed tantum anno sequenti, quo Cn. Servilius Consulatum gessit. Scribit enim capite xliv. *Romani multas in Bruttiis ad se deficientes Civitates receperunt, Hannibalemque in agro Crotoniensi ceciderunt*. Prior Livii locus, si penitus expendatur, designatam interpretationem facile admittit, objectosque nodos solvit. *Mirabile* siquidem *videri* potest, tam sæpe illustrem Urbem defecisse, neque suspectam ejus, a quibus semel defecerat, fidem habitam. Quod scite, atque opportune expendit, & fatetur Sigonius in Scholiis ad librum xxv. pag. 213. ubi ingestas a Livio ambages, minime reticet. Interea constans Bruttiorum in Romanos voluntas & opera strenua magis magisque illorum vires adversus Pœnos confirmabant; contra vero hostiles debilitabant opes, sine quibus diutius in ea regione Dux Barbarus perstare non poterat. Et Romani quidem Bruttiorum in se animos probe noscentes, utilemque in dies comprobantes operam, nihil habuerunt antiquius, quam militum ex ipsis Bruttiis augere præsidia, ubi Carthaginenses extremos conatus experiri volebant. Proinde libro vicesimo nono narrat Livius: *M. Cornelio, P. Sempronio Coss. (quintus decimus is annus belli Punici erat) Provinciæ Cornelio Hetruria cum veteri exercitu, Sempronio Bruttii, ut novas scriberet legiones decretæ*. *Pauca* demum illa *Oppida* Punico in Bruttiis ab Hannibale firmata præsidio, ipsomet Livio teste libro xxx. *magis metu, quam fide retinebantur*: tantum abest, ut seclusa vi atque necessitate, ultro libentesque Bruttii Carthaginensibus studuerint, quamvis iisdem obtemperare cogerentur. Errat autem Paullus Diaconus libro iii. historiarum cap. xvii. scribens: *Q. Cæcilio, & L. Veturio Coss., triennio nimirum ante devictum Hannibalem, omnes prorsus Civitates, quæ in Bruttiis ab Hannibale tenebantur, Romanis se dedisse*. Paullus ducem habuit Eutropium, qui totidem fere verbis idem prodit in Epitome libro iii. *A Petilia classe* ducem barbarum *Africam repetisse freto*, ex Valerio Maximo libro nono capite viii. alibi notavimus. Ab Italia vero discessurus Hannibal, belloque cum primis gravi, ac permolesto finem impositurus, *quod roboris in suo exercitu erat*, teste Livio eodem libro, *in Africam transvexit*. Multos autem *Italici generis*, quod illò sequi Pœnos abnuerent, quum in Junonis Laciniæ delubrum, ad eum diem inviolatum, concessissent, ibidem fœde interfe-

interfecit. In illis *Bruttii plerique erant*, sed eos *vi ac necessitate*, barbari ducis sequi jussa, fuisse compulsos, paullo post auctor ipse testatum reliquit. His ipsis Italici generis in Africam abstractis militibus adeo parum fidit idem Hannibal, ut quo die sinistro eventu cum Scipione conflixit, *singulari arte* ex eodem Livio exercitum instruens *Italicos intervallo quoque diremtos, incertus socii, an hostes essent, in postremam aciem summotos voluit*. In his fuisse aliquam saltem partem *sex Romanorum millium, quæ capta in Castris apud Cannas* Hannibal retinebat, ac redimere Senatus renuit, quum ab eo potestas fieret, *memor, tantam multitudinem armatorum juvenum, si honeste mori voluissent, turpiter capi non potuisse*, facile quispiam putabit: de quibus Valerius Maximus lib. ii. cap. vii. num. 15., & alii.

XXXVIII. Hæc autem quum ita se habeant, toto errat cælo, gerrasque Siculas lectoribus obtrudit Appianus Alexandrinus in Hannibalica Historia pag. 598. editionis Amstelodami, curatæ ab Alexandro Tollio, prodens Ἀννίβου ἀποπλεύσαντος ἡ βουλὴ τοῖς μὲν ἄλλοις ἔθνεσι τῆς Ἰταλίας, ὅσοι μετέθεντο πρὸς ἐκεῖνον συνέγνω τῶν γεγονότων, καὶ ἀμνηστίαν ἐψηφίσατο. Βρυτίων δὲ μόνων, οἳ μέχρι τέλους αὐτῷ προθυμότατοι ἐγεγένηντο, χώραν τε πολλὴν ἀφείλετο, καὶ ὅπλα εἴ τινα ἦν ἔτι χωρὶς ὧν Ἀννίβας ἀφῄρητο, ἔς τε τὸ μέλλον ἀπεῖπεν αὐτοῖς μὴ στρατεύεσθαι ὡς οὐδ᾽ ἐλευθέροις οὖσιν, ὑπηρέτας δὲ τοῖς ἐς τὰς τῶν ἐθνῶν ἡγεμονίας ἀπιοῦσιν, ἐς τὰς δημοσίας ὑπηρεσίας οἷα θεράποντας ἀκολουθεῖν. Idest: *Hannibale digresso, Senatus omnibus Italicis populis, qui ad Pœnum defecerant, veniam tribuit, resque omnes anteactas oblivione sempiterna delendas censuit. Bruttiis, quia ad ultimum promtissimi Socii Hannibali permanserunt, pars agri ademta, armaque, si qua restabant, præter ea quæ Hannibal prius eripuerat. Omni etiam militia, ut qui jus libertatis amisissent, illis interdictum, & Romanos Consules in provincias euntes, ad publica munia obeunda, veluti famuli sequi jussi sunt*. Appianus Græcus auctor, altero Christi seculo floruit, quæque hic de Bruttiis narrat, omnium primus, post annos ferme trecentum quinquaginta ab eo tempore, quo res ipsæ decretæ produntur, commentus est. Si quis hactenus prolata ex Livio longe graviori, & antiquiori Romanorum historico cum Appiani loco conferat, facile intelliget, plus æque exaggeratæ in Bruttios enarrationi a Græco homine fuisse indultum. Joannes Bodinus in method. histor. cap. iv. *Appiano de Romanis scribenti se non ubique assentiri* fatetur. Ipsum *in Romanorum antiquitate sæpe lapsum*, compertum est Antonio Possevino in Bibliotheca selecta. Neque injuria *multis in rebus levem* jampridem notavit Sigonius de historia Romana cap. xv. Obtrusa de pœnis fabula, quas ex omnibus Italiæ populis *unos* Bruttios ob defectionem, constanterque ad Hannibalis in Africam reditum servatam Pœno fidem & societatem, dedisse memorat, non una de caussa Appianum redarguit erroris & inscitiæ. Enimvero quæ Romani inflixere Campanis supplicia, postquam illorum urbs vi & armis recuperarunt, satis fuse narrat Livius libro xxvi. *Ad* lxx. (inquit) *principes Senatus interfecti. Trecenti fere nobiles Campani in carcerem traditi. Alii per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati variis casibus interierunt. Multitudo alia*

 *civium*

*civium Campanorum venum data. De urbe agroque reliqua consultatio fuit: quibusdam delendam censentibus urbem prævalidam, propinquam, inimicam. Ceterum præsens utilitas vicit. Nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ, satis constabat, primum in Italia esse, urbs servata est, ut esset aliqua aratorum sedes. Ubi frequentandæ multitudo incolarum, libertinorumque & institorum, opificumque retenta. Ager omnis, & tecta Populi Romani facta. Ceterum habitari tantum tanquam Urbem Capuam frequentarique placuit. Corpus nullum Civitatis, nec Senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse. Sine consilio publico, sine imperio multitudinem, nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore. Præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros.* Quod profecto pœnę genus prudentium virorum judicio gravius æstimatum fuit, quam si solo Urbs æquata esset, mœnibusque destituta & ædificiis. Hinc Legatus Macedonum apud Livium libro xxxi. pronunciavit: *Capua quidem sepulchrum, ac monumentum Campani populi, elato, & extorri ejecto ipso populo, superest urbs trunca, sine Senatu, sine plebe, sine magistratibus, prodigium relicta crudelius habitanda, quam si deleta foret.*

XXXIX. Joannes Lamensis in Oratione *de origine, & situ Tarenti* ad Raymundum Ursinum Soleti, & Lupiarum Comitem: *secundo* (inquit) *bello Punico, ob defectionem ad Hannibalem, aversumque ab Romanis animum ad extremum ostensum, Tarentum a Senatu male multatum fuit. Magna siquidem ex parte æquata solo urbe, pristina amplitudine sua Civium frequentia, & opibus defecit.* Qui Joannis Orationem legit Antonius Galateus, Ferdinando I. Aragonio Neapolitanorum Regi æqualis ætate, in libro *de situ Japygiæ*, de Tarento loquens, id ipsum sensisse videtur. Scribit enim pagina 27: *Hæc amplitudine & divitiis & civium multidine diu floruit usque ad secundum bellum Punicum.* Scimus non deesse, qui Joannis testimonio freti majorem in Appianum conflent invidiam: quasi aliarum ipse Italicarum Urbium peccatum, & pœnas dissimulans, unos Bruttios immerito probris oneret. Altius tamen investiganda Tarentinorum historia est, nec plus recentium Scriptorum assertis tribuendum, quam explorata antiquorum monimentorum fides postulat. Livius libro xxvii. post narratum Bruttiorum reditum in Romanorum fidem pristinam, Urbes Mandurium, atque Tarentum in Sallentinis recuperatas memorat. Addit præterea: *De Tarentinis inde magna contentione in Senatu actum coram Fabio, defendente ipso quos ceperat armis, aliis infensis, & plerisque æquantibus eos Campanorum noxæ pœnæque, Senatus consultum in sententiam M. Aurelii factum est, ut oppidum præsidio custodiretur, Tarentinique omnes intra mœnia continerentur; res integra postea referretur, quum tranquillior status Italiæ esset.* Auctor ipse libro xxx. *Dictator ad idipsum creatus P. Sulpicius pro jure majoris imperii, Consulem in Italiam revocavit. Reliquum anni cum M. Servilio Magistro equitum circumeundis in Italia Urbibus, quæ bello alienatæ fuerant, noscendisque singularum caussis consumsit.* At de illis nihil actum, nec in ipsos ultra progressum, apud Livium legitur. Et quidem benigne, clementerque cum

cum Tarentinis rem esse transactam, nihilque eos communiter pœnæ dedisse, quæ perennaret ad posteros, liquet ex Oratione Sulpitii recitata libro xxxv. Livianæ historiæ: Ubi narratur, pactum primo cum illis jus fœderis, & societatis, constanter deinceps viguisse, ac etiam post bellum Punicum secundum mansisse integrum. *Ab Rheginis, & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno, & perpetuo tenore juris, semper usurpato, numquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus*. Præterea quamvis post receptos in fidem Bruttios Tarentum a Romanis sit subactum, id nihilominus non extremo illo tempore accidit, quo Hannibal in Africam transmissurus, reliquit Italiam, sed aliquot ante annos. At vero, si non Tarentini, alii certe Italiæ Populi eo nomine Appianum urgent, ac magis magisque Bruttiorum caussam tuentur, atque commendant. Ligures enim, & qui finitimi Liguribus erant Galli, quo tempore Hannibal in Africam rediit, pertinaciter Pœno studebant, hærebantque, ut liquet ex Livii libro xxx. Postquam in Africam Dux ipse remigravit, bellum adversus Romanos continuans, *Auxilia Ligurum, Gallorumque* habebat in acie. Variam autem ipsius adhortationem pro militum discrimine idem historicus referens: *Gallis* (inquit) *proprio, atque insito in Romanos odio accenduntur. Liguribus campi uberes Italiæ deductis ex asperrimis montibus in spem victoriæ ostentantur*. Quam infesti porro Romano Populo Ligures fuerint libris xxxiv. & vi. prosequitur Livius. Victi demum atque deleti meritas diuturnæ temeritatis, & impotentiæ luere pœnas, ut legimus in libris xxix. & xl. Falsum itaque est, ex omnibus Italiæ Populis unos Bruttios ad ultimum a Romanis aversos studuisse Hannibali: falsum quoque solos proinde dedisse pœnas defectionis, & societatis pertinacissimæ.

XL. Strabo Græcus item auctor, qui Tiberio imperante vixit, libro v. Geographiæ, Livio ipsique Appiano adversus oppido, scribit ob defectionem ad Hannibalem non Bruttios tantum, sed & Picentes, Lucanosque pari ab Romanis pœna fuisse affectos, *Cursorum* nimirum ac *Tabellariorum* fungentes munere: Τῶν δὲ Πικεντῶν ὑπῆρχε μητρόπολις Πικεντία, νυνὶ δὲ κωμηδὸν ζῶσιν ἀπωσθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων διὰ τὴν πρὸς Ἀννίβαν κοινωνίαν, ἀντὶ δὲ στρατείας ἡμεροδρομεῖν, καὶ γραμματοφορεῖν ἀπεδείχθησαν ἐν τῷ τότε δημοσίῳ, καθάπερ καὶ Λευκανοί, καὶ Βρέττιοι κατὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας. Idest: *Picentum caput fuit Urbs Picentia, sed nunc per pagos habitant, a Romanis urbe expulsi, quod se Hannibali conjunxissent: quo quidem reipublicæ statu pro militia iis injunctum fuit, ut Cursores ac Tabellarii essent: sicut & eamdem ob caussam Lucanis, & Bruttiis*. Josephus Scaliger in castigationibus ad Sexti Pompei libros de Verborum significatione, Verbo *Bruttiani* pag. xxxiii. editionis Parisiensis, huc referre contendit locum Fulgentii Placiadæ, in libello *de Prisco sermone* ad Chalcidium Grammaticum, verbo *Congerones*. At longe aliam inibi esse auctoris mentem, ita exploratum est, ut explicatione plane non egeat: *Congerones* (inquit) *qui aliena ad se congregant: unde apud Romanos Gerones Brutiani sunt*. Enimvero *congerere* Latinis *accumulare*,

*lare*, & coacervare est, Bruttii autem eo nomine sunt appellati, quod eas, in quibus late dominabantur regiones, & oppida, finitimis populis eripuerant: tantasque opes brevi sunt adepti, ut etiam Regibus perniciosi essent, teste Justino in summa historiarum Trogi Pompei lib xxiii. Tum vero Scriptor ipse citato loco, tum Livius libro xxviii: Bruttios prædæ conquirendæ potissimum fuisse addictos testantur. Alio etiam ex capite Strabonis assertum fide laborat. De Picentinorum siquidem ad Pœnos defectione nulla prorsus apud Livium occurrit mentio, quando alios, & quidem finitimos, nominat; verbisque, & amplificationi non parcit, ut Italorum Populorum vitium, extremumque Romanæ Reipublicæ periculum aperiat. Idem scriptor Lucanorum tantum *partem* ab Romanis descivisse prodit. Cum autem ipsos tum etiam Bruttios sola *verborum increpatione ob præteritum errorem* pristinæ illorum gratiæ, & societati restitutos fuisse, ex eodem historico paullo ante notavimus. Vir eruditissimus Laurentius Pignorius in Commentario *de Servis*, *& eorum apud veteres ministeriis*, agens de Cursoribus, & Tabellariis, locum Strabonis, vel non animadvertit, vel, quod mihi longe verosimilius videtur, consulto præteriit: adeoque ne verbum quidem de Cursoribus, & Tabellariis Lucanis, Picentinis, & Bruttiis ingessit. Quod factum bene est ab homine emunctæ naris, & docto. Enimvero supervacaneum omnino erat ac turpe, putidas fabellas pro historiis obtrudere. Apud veteres insuper Scriptores, qui post alterum bellum Punicum floruere, Numidas, Magyces, Cappadoces, alios, *Cursores* memoratos legimus, *Bruttios* autem *Lucanos*, atque *Picentes* nusquam.

XLI. Sed fingamus Livii antiquioris, ac longe gravioris in re Latina historici auctoritatem utrique scriptori Græco non obstare. Qui, ut suo loco vidimus, Bruttios eadem cum Lucanis conditione, nulla scilicet inflicta ob præteritum errorem pœna, in pristinam Romanorum gratiam, & societatem indiscriminatim receptos memorat. Fingamus in illos fuisse animadversum, qui auctores defectionis exstitere, vel ad ultimum Carthaginensibus pertinaciter studuerunt. Si Straboni fides est habenda, supplicium reorum dumtaxat personas affecit, nec ad posteros fuit productum. Ipse siquidem ad eum tantum reipublicæ statum irrogatam pœnam refert, qui proxime Punicum bellum excepit. Hac in parte non alia fortasse fuit mens Appiani, quam *personalem*, ac *temporariam* Bruttiorum animadversionem aperire; non autem perpetuam, & ad posteros productam prodere. Qui aliter eum accipiunt, benigniore interpretatione privant, & id in ipso legunt, quod auctor certe non scripsit, nec rationi congruit. Nihil sane videtur iniquius, quam longa ab stirpe nepotes insontes majorum ferre supplicium: eoque non personas certas, quæ diliquerant, sed nationem universam onerare, ac gentem. Tantum vero abest, ut Romani hujusmodi sanctissimas justitiæ leges violaverint, quin etiam suapte culpa damnatis, hoc ipso adverso, ac permolesto tempore sententiæ rigorem sapientissime temperarunt. Narrat enim Valerius Maximus libro II. Cap. VII. num. 14., eos qui apud *Cannas rempublicam* deseruerant, *ultra mortuorum conditionem relegasse*. Receptis tamen a M. Marcello lite-

literis, ut eorum sibi opera ad expugnationem Siracusarum uti liceret, rescripsisse: *indignos esse, qui in castra reciperentur. Ceterum se ei permittere, ut faceret quod expedire reipublicæ judicasset: dum ne quis ex eis munere aut dono militiæ donaretur: aut in Italiam dum hostes in ea essent, eccederet.* Ne id vero cum alterutro scriptori Græco sentiam: alia item faciunt, quæ in hoc, de qua agimus, historiæ genere, negotium facessunt, & difficultates augent. Strabo siquidem non Bruttios tantum, sed *&* *Picentes*, *Lucanosque* pœnas dedisse narrat. Appianus, *universis* Italiæ populis, qui ad hostem defecerunt, Romanos pepercisse, unosque Bruttios punitos esse. Neque illos ut *Cursores*, & *Tabellarios* agerent, sed ut *publica obirent ministeria apud Consules in provincias euntes*. Gellius contra & Festus, non *Consulibus* sed promiscue *Magistratibus* ea ministeria a Bruttiis impensa pronunciant. Ut nihil addam de armis, jure militiæ, libertate, & parte agri ob id crimen Bruttiis ademta, quæ Appiani puræ putæ fabellæ sunt. Porro autem veræ historiæ argumentum est auctorum consensio, non repugnantia: suspicionemque falsitati prudentibus lectoribus non levem ingerunt, qui rem varie narrant.

XLII. Si quis autem ex tanto scriptorum dissidio id saltem velit colligere: affectos quidem pœna fuisse reos Bruttios, licet quæ illa fuerit, & quousque se extenderit, minime constet. Quemadmodum id genus pœnæ *temporariæ*, vel *incertæ*, quæ noxios dumtaxat Bruttios attingebat, nihil universæ genti, ac posteritati obest; ita si aliter notatorum scriptorum dicta accipiantur, gravioribus absurdis deprehendentur obnoxia. Arbitrarium enim vero ac falsum Appiani habebitur assertum, Bruttios omni militia cum universa posteritate fuisse *exutos*, tum jure libertatis amisso, *pro sociis*, quod Gellius adjecit, deinde *non habitos*. Adversus utrumque figmentum ex Romana historia adeo aperta suppetunt argumenta, ut plane ineptus sit, ac stolidus, qui hujusmodi in posterum larvas sectari velit, atque ultro veritatem deserere. Anno decimo a peracto bello Punico secundo, Quintio Flaminio, & Cn. Domitio Ahenobarbo Consulibus, imperatum M. Baebio Pamphilo est, ut in Bruttios proficiscens, ad legionum quæ sibi decretæ fuerant, supplementum, novos milites ex sociis scriberet. Livius libro XXXV. *Bœbio Pamphilo in Bruttios duæ legiones decretæ, quæ priore anno Urbanæ fuissent, & ut sociis eodem millia peditum XV. imperarentur, & Quingenti equites*. Idem libro sequenti: *C. Livius præfectus Romanæ classis .... quum sex Punicas naves in auxilium missas accepisset, & ab Rheginis Locrisque, & ejusdem Juris Sociis debitas exegisset naves, lustrata classe, ad Lacinium, altum petit*. Sub initium libri XLII.: *Q. Fulvius Flaccus, Censor .... profectus in Bruttios ædem* Junonis Laciniæ *ad partem dimidiam detegit.... Fremitus igitur in curia ortus est.... censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis, & loca tuenda more majorum traditum esset, eum per Sociorum Urbes diruentem templa, nudantemque tecta ædium sacrarum vagari. Et quod, si in privatis Sociorum ædificiis faceret, indignum videri posset, id Deum immortalium demolientem facere*. In eodem libro post medium: *Præmissus a*

*Præ-*

*Prætore* ( classis ) *est frater Lucretius cum quinquereme una: jussusque ab sociis ex fœdere acceptis navibus in Cephaleniam classi occurrere, ab Rheginis trireme una, ab Locris duabus, ab Uritibus quatuor, præter oram Italiæ supervectus, Calabriæ extremum promontorium in Ionio mari Dyrrachium trajecit*. Qui in navibus militabant *Navales Socii* appellantur a Livio libro xxxv. ita dicti, ut ex Polybio interpretatur Turnebus libro xi. adversariorum, capite duodevicesimo, qui præter census tenuitatem, non ad bella terrestria, & legiones, quæ majores exigebant impensas, centuriabantur, sed in classe, belloque navali sua nomina dabant. Inopes vero egentesque a militia apud Romanos fuisse exclusos, propterea quod egestas facile ad proditionem posset impellere, Julii Exuperantii testimonio notavit Henricus Savilis in Commentario *de Militia Romana* numero xii. Huc spectat Arnobii locus libro II. adversus Gentes: *Desine hominem proletarius cum sit, classibus & capite censeatur, adscribere ordinibus primis. Cum sit inops, pauper lare, & tugurii pauperis, nec patriciæ claritatis unquam meritus nuncupari*. Animadvertit autem Lipsius libro I. de Militia Romana Dialogo vii. totam Italiam sub Polybii tempus, qui Scipione Africano vivente floruit, subjectum fuisse Romanis, *sed ita* ( inquit ) *ut in provinciam nulla pars redigeretur: liberi manebant suis legibus plerisque & magistratibus, excipio paucas præfecturas* ( quas sane nullas in Bruttiis fuisse constat ) *& Socii appellabantur, quasi confoederati, & consortes armorum*. In procinctu ratio virium cujusque oppidi habebatur, & census: qui ut varius cuique familiæ erat, ita varius quoque militum numerus imperabatur, qui publicæ rei adjumento esset, & opportuno subsidio. Si vel tenui viventes censu *Bruttii Socii* navalibus bellis dabant operam, ut Romanæ Reipublicæ fines suis opibus proferrent, & sanguine tuerentur, qui ampliori aucti erant, peditumque phalanges, vel equitum turmas implere poterant, profecto non excludebantur. Præstare tamen id nequaquam potuissent Bruttii, si a Romanis servilis conditionis fuissent habiti, ob idque omni prorsus exclusi militia. Ut enim libro III. de Capit. diminut. docet Paullus: *Caput servile nullum jus habet; caret nomine, censu, tribu*. Quod prodit & Quinctilianus in Declamatione cccxi. multi in orbe Romano occurrunt literati lapides, in quibus Bruttios post alterum bellum Punicum militasse constat. Epitaphium Cossenienfis militis Centurioris legionis Galbianæ, recitavimus numero xxxvii. Alia id genus monimenta consulto præterimus, ne rei satis notæ allaborare videmur studio & opera supervacua. *Bruttianæ Parmæ*, quibus scilicet Bruttiis milites utebantur, quod percommodæ, & quam utiles essent, ab antiquis, recentibusque Scriptoribus potissime commendantur. Sextus Pompejus Festus de verborum significatione: B*ruttianæ Parmæ* ( inquit ) *dicebantur Scuta, quibus Bruttiani sunt usi*: Item: *Parmulis pugnare milites soliti sunt; quarum usum sustulit C. Marius, datis in vicem earum Bruttianis*: De his Io: Antonius Valtrinus libro III. de re militari Romanorum Cap. xii. *Velitum forte Parmas extremis temporibus iterum sustulit Marius* ( *ut Festus ait Verbo Parmulis* ) *datis in vicem earum Bruttia-*

*tianis*: *ideſt*, *ut idem verbo Bruttianæ interpretatur*, *ſcutis*, *quibus Bruttiani utebantur*. *Hæc autem ſcuta ovalis figuræ fuiſſe puto*. *In æreo enim Nummo vidi militem cum ovali ſcuto*, *quod ſecundum longitudinem induebatur*, *cum inſcriptione* Βρεττίων.*Sic enim Græci* Bruttios *vocant*. *Atque ita ſane in veteri inſcriptioneRhegii adhuc legitur*. Recenſitos Feſti locos expendens Aldus Manutius lib. III. *de Quæſitis per Epiſtolam* Cap. VI. *De Parma*, *Clypeo*, *Scuto*, *Pelta*, & *Ancile*: Aliam conjecturam affert, qua illos illuſtret. Quibus verbis (inquit) *non hoc dicit* (Feſtus) *ſublatum eſſe Parmarum uſum*, *ſed pro Romanis Bruttianas eſſe inductas*; *non mutata forma*, (*rotundas enim ætate ſua Varro*, *Mario junior*, *oſtendit*) *ſed magnitudine*, *vel aucta*, *vel imminuta*. *Auctam autem veroſimilius eſt*, *quia Romanas Feſtus* PARMULAS, *Bruttianas vero* PARMAS *appellat*. Apud Joannem Florium Tomo I.Calabriæ Illuſtratæ libro III. parte ſecunda, in antiquis Bruttiorum nummis folio 310.numeris IV. & V.expreſſis armatos milites cum hujuſmodi Parmis videre licet. Capite V. pag. 338. auctor ipſe eoſdem nummos exponit: ita tamen, ut majorem diligentiam & eruditionem deſideres. De ejus generis nummo Magnæ Græciæ videndus & Goltzius. Opportune tamen hic animadvertendum eſt, contra veterum ſcriptorum loquendi morem *Bruttiorum Parmas* a Feſto Pompejo *Bruttianas* dici. Quæ enim ad *Bruttios* Calabriæ populos res pertinebant, *Bruttias* appellaſſe Latinos priſcos, purique ſermonis, alibi num. XII. notavimus. Diſtinguendi enimvero ſunt loquendi uſus, & variantis latinitatis tempora notanda, ne illorum confuſio errores pariat, & abſurda.

XLIII. Bruttiarum urbium vigens ſubinde conditio ſuſceptæ cauſſæ patrocinio validiora argumenta ſuppeditat. Cujus vi non ſolum ſocietatem illæ cum Populo Romano retinebant, & jus militiæ, verum etiam jure Civitatis potiebantur, quocum cetera quoque nobiliora Romanæ Reipublicæ munera capiebant, communeſque pro ordinum, ac perſonarum diſcrimine habebant honores, & dignitates. Enimvero, ſi paucas excipias, quæ erant *Fœderatæ*, reliqua *Municipia* fuerunt, vel *Coloniæ*. Quæ res, quantum illorum adverſetur aſſerto, qui puros putoſque Romanorum *ſervos*, omni *ſocietate*, *jure militiæ ac Civitatis exutos* poſt alterum bellum Punicum ad Jeſu Chriſti mortem Bruttios fingunt, Romanam callentes hiſtoriam facile noſcunt. C. Vellejus Paterculus libro I. hiſtoriæ Romanæ, anno DXV. ab Urbe condita *Valentiam* in Bruttiis Coloniam deductam memorat. Livius libro XXXV. aliter prima fronte ſentire videtur. Anno ſiquidem DLXVII. L. Quintio, & Cn. Domitio Coſſ. ſcribit: *Vibonem Colonia deducta eſt*. *Senatus conſulto Plebiſqueſcito tria millia & ſeptingenti pedites ierunt*, *trecenti equites*: *Triumviri deduxerunt eos*. *Q. Nevius*, *M. Minutius*, *M. Furius Craſſipedes*. *Quindena jugera agri data in ſingulos pedites ſunt*, *duplex equitibus*. *Bruttiorum proxime fuerat ager*: *Bruttii ceperunt de Græcis*: At Vir clariſſimus Guilelmus Godelevæus in Adnotationibus ad Livii librum IV. Capit. VIII. tunc reſtitutam Coloniam, non primo deductam cenſet. Strabo libro VI. Geographiæ Urbem ipſam *Hipponium*, *Locrorumque ædificium* nominat: quod Bruttiis eripuiſſe Romanos,

ipsosque *Vibonem Valentiam* appellasse prodit. Titus Livius libro XXXIV. P. Cornelio Scipione Africano II. & T. Sempronio Longo Consulibus duas *Latinas* in Bruttios & Thurii agrum, qui e Bruttiorum ditione fuerat, missas Colonias narrat his verbis: *Exitu hujus anni Q. Ælius Tubero Tribunus plebis tulit ad plebem, plebesque scivit, ut Latinæ duæ Coloniæ una in Bruttios, altera in Thurinum agrum deduceretur. His deducendis Triumviri creati, quibus in triennium imperium esset. In Bruttios Q. Nævius, M. Minutius Rufus, M. Furius Crassipes. In Thurinum agrum Cn. Manlius, Q. Oelius, L. Apustius. Ea bina comitia Cn. Domitius Prætor Urbanus in Capitolio habuit*. At de re ipsa idem Livius libro sequenti, Consulibus L. Cornelio Merula, & Q. Minutio Thermo, sui immemor hæc habet: *Eodem anno Coloniam Latinam in agrum Thurinum Triumviri deduxerunt Cn. Manlius Vulso L. Apustius Fullo, Q. Oelius Tubero, cujus lege deducebatur. Tria millia peditum iere, trecenti equites, numerus exiguus pro copia agri. Dari potuere tricena jugera in pedites, sexagena in equites. Apustio auctore tertia pars agri demta est, qui postea si vellent, novos colonos adscribere possent. Vicena jugera pedites, quadraginta equites acceperunt*. Fortasse *Terinum* pro Thurinum hoc loco legendum: Sed id sine M. S. Codicum auctoritate vix assererem. Strabo libro VI. Geographiæ, Thurios a Tarentinis eversos memorat; deinde a Romanis eodem paucos colonos missos, *Copiasque* Coloniam appellasse. Godelevæus id ab Augusto Cæsare *post bellum Siculum* factum conjicit. Sed quam longe aberret a vero, descripti ex Liviana historia loci satis aperte significant. Civili vigente bello, Thurium Municipalibus gavisum fuisse juribus, colligitur ex libro III. Commentariorum Julii Cæsaris, ubi *Municipium* scriptor appellat. Temsa, & Croton anno Urbis conditæ DLX. Scipione Africano II. & Sempronio Longo Consulibus, idem honoris genus fuerunt adeptæ. Livius libro XXXIV. *Temsam* (inquit) *&* *Crotonem Civium Romanorum Coloniæ deductæ sunt. Temsanus ager de Bruttiis captus erat. Bruttii Græcos expulerant. Crotonem Græci habebant. Triumviri Cn. Octavius, L. Oemilius Paullus, C. Pletorius Crotonem, Tempsam, L. Cornelius Merula, &* C. *Solonius deduxerunt*. Q. Cæcilio, & T. Quintio Coss. *Scyllacium* Coloniam fuisse conditam, narrat Paterculus libro I. Omnium Coloniarum, quam Cæsar Augustus deduxit, *primam Rhegium forte* exstitisse, arbitratus est citato loco Godelevæus. Strabo autem libro VI. prodit, Augustum ipsum depulso e Sicilia Sexto Pompejo, quum Rhegium desertum invenisset, permultos ex classe ejus ibi colonos reliquisse, atque inde Ῥῄγιον Ἰουλίον Ptolomæo dictum. Videtur nihilominus non Romanorum *Coloniam*, sed *Municipium* fuisse habitum. In antiqua Inscriptione recitata a Jano Grutero pag. 174. numero 7. legitur: MUNICIPIB. RHEGINIS JULI. Cicero in Philippica I. & alibi *Municipes Rheginos* memorat. Cum autem Rhegium ipsum, tum etiam Locros *Municipii* nomine cohonestat in Oratione pro Archia Poeta. Vibonem, sive Valentiam *illustre ac nobile Municipium* actione quinta in Verrem idem nominat. Et in Oratione pro Planco: *Iter* (inquit) *a Vibone Brundusium terra petere contendi; quum omnia illa Munici-*

*nicipia, quæ sunt a Vibone Brundusium, in fide mea judices, essent*. MUNICIPII PETELINORUM mentio occurrit in vetusto lapide apud Fabrettum Capite VI. numero 95. pag. 463.

XLIV. Quæ *Coloniæ*, quæque *Municipii* essent jura, indicat Aulus Gellius libro xvi. Capite tertio decimo: latissime vero, ac diligenter illustrat Sigonius libro primo, & secundo *de antiquo jure Italiæ*. Cujus vestigiis inhærens vir acri judicio, & lecta eruditione præstans Janus Vincentius Gravina in libro singulari *de Romano Imperio* §. xlvi. scribit: *Coloniarum quædam potiebantur jure Quiritium privato, & COLONIÆ ROMANÆ dicebantur: quædam* LATINÆ, *quæ quamvis deducerentur ex civibus Romanis, non tamen jure Quiritium fruebantur, sed jure Latii, sive Latinorum illorum veterum. Qui quum nondum civitatem Romanam accepissent, Suffragium Romæ ferre non ultro poterant; sed quum a magistratu Romam vocarentur, & quum in Civitate Latina magistratum gessissent, Civitatem Romanam adipiscebantur. Neque a Romanis magistratum accipiebant, sed proprium sibi creabant. Quæ veniunt sub nomine juris Latii, aliis etiam Populis, nedum Coloniis a senatu concedebantur, si Populum Romanum demeruissent. Diversa porro a Coloniis erant Municipia, quum Coloniæ, ut Sigonius ait sane pereleganter, ex* URBE ROMA EDUCERENTUR, MUNICIPIA VERO INTRODUCERENTUR IN URBEM. *Etenim non modo Civitatem Romanam, & jus Quiritium privatum, verum etiam publicum accipiebant; eamque in Tribum ingrediebantur, in quam a Censoribus adscriberentur, & Romanos magistratus pari cum ceteris Civibus jure, ac sorte capiebant. Exceptis iis, quæ honoris caussa assequerentur, Municipiorum: quorum populi tantum id cum civibus Romanis commune habebant, quod conscriberentur in Legionibus, quæ tantum ex civibus Romanis componebantur, ut municipes tales in sola militia pro civibus Romanis haberentur*. Illorum autem auctoritate, qui rerum potiebantur, quandoque Municipia in jus Coloniarum, contra vero Colonias in Municipiorum jura transisse, animadvertit & prodit citato capite Gellius. Ex hoc numero fuisse nonnullas Bruttiorum urbes, quæ ab antiquis scriptoribus tum *Coloniæ*, tum etiam *Municipia* distinctis temporibus sunt appellatæ, nihil dubito.

XLV. Refert etiam magnopere hic agnoscere, quæ interea Sociis, atque Italicis urbibus jura peperit *bellum Sociale*, quod *Marsicum* item, & *Italicum* appellatum est. Sub annum ab Urbe condita sexcentesimum quinquagesimum quintum, quum impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis Senatus ferre nollet, omni ope niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur: *M. Livius Brutus Tribunus Plebis* (inquit auctor Livianæ Epitomæ libro lxxi.) *ut majoribus viribus Senatus caussam susceptam tueretur, Socios, & Italicos Populos spe Civitatis Romanæ solicitavit. Iisque adjuvantibus, per vim legibus Agrariis, frumentariisque latis, legem quoque judicialem tulit, ut æqua parte judicia penes Senatum, & Equestrem ordinem essent*. Verum quum *deinde promissa Sociis Civitas præstari non posset*, Livius gladio clam confossus est: *Iratique Italici*, defectionem cœperunt agitare. Nec mora *Eadem fax*, ut scribit Lucius Florus libro iii. rerum Romanarum capite xviii., *quæ illum cremavit,*

*vit, Socios in arma, & in expugnationem Urbis accendit. Quod hæc clade tristius? quid calamitosius? Quum omne robur fortissimorum, fidelissimorumque Sociorum sub suis quisque signis haberent municipalia illa prodigia*. Quemadmodum *justissima* fuit Sociorum postulatio, ita effectu non caruit. Tristissimo siquidem, ac permolesto confecto bello, *Populis ipsis a Senatu Civitas data est*, ex citatæ Epitomæ libro lxxx. Id spectans Cajus in Oratione habita ad Senatum pro assumendis ad honores victis populis apud Cornelium Tacitum libro xi. Annalium: *Majores mei*, (inquit) *quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina, simul in Civitatem Romanam, & familiam Patriciorum adscitus est, hortantur, ut paribus consiliis Rempublicam capessam, transferendo huc, quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro, quod Julios Alba, Coruncanios Comerio, Porcios Tusculo, & ne vetera sectemur, Hetruria, Lucaniaque, & omni Italia in Senatum accitos. Postremo ipsam ad Alpes promotam: ut non modo singuli viritim, sed terra gentesque in nomen nostrum coalescerent*. Plinius libro xxxiv. historiarum naturalium capite v. de Praxitele, qui Magni Pompei ætate floruit, loquens: *Hic in Græcia Italiæ ora natus, & Civitate Romana donatus cum iis oppidis*. Et M. Tullius Cicero in Oratione pro A. Licinio Archia Poeta, ea potissimum ratione Civem Romanum illum habendum propugnat, quod Civitate donatus esset ab *Heracliensibus, Rheginis, Locrensibus, Neapolitanis, & Tarentinis*.

XLVI. In tanta Sociorum, ac Civium Romanorum multitudine, non in Italia modo, sed ubique fere locorum degentium, exacta, & æqua servata est exercendæ militiæ ratio, ne cuiquam plus oneris imponeretur, quam necessitas posceret: aut privatæ opes, viresque sinerent. Justus Lipsius libro I. *de militia Romana* Dialogo vii. non credit *omni anno per omnes itum*, maxime si paucæ legiones fuissent scribendæ, sed in orbem Romanum lectos ad id viros ivisse, & necessitudine quadam ex his, illisque cœpisse. In ea tamen re non graves fuisse, & injurios, *quia vires propemodum sciebant, cum sic numerum præscribebant*. Livius lib.... *Ex Coloniis quindecim millia peditum & quingentos equites pro numero cujusque juniorum Consul scripsit*: Didicisse id autem censet, *ex Tabulis censoriis, quas probabile putat Romæ* quoque fuisse. Imo ipsos tandem Romanos censores illic censum egisse colligit ex Livii lib. xxxix. in Livio, & Claudio Nerone censoribus, ubi legitur: *Duodecim deinde Coloniarum, quod numquam antea factum erat, deferentibus censoribus, ipsarum Coloniarum censum receperunt: ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent*. Census certe ea præcipue de caussa fieri consuevit in orbe Romano, ut ejus vires noscerentur. Hinc ex prima hujusmodi descriptione facta *ab Augusto, Breviarium totius Imperii*, ipsius manu descriptum prodiit, in quo opes publicæ designabantur, *quantum Civium Sociorumque in armis, quot Classes, Regna, Provinciæ, tributa, aut vectigalia, & necessitates, ac largitiones*, ut ex Taciti libro I. annalium capite altero, Suetonio in Octavio capite ultimo, & Dionis libro lvi. recte animadvertit *Jacobus Usserius* in Anna-

nalibus veteris Testamenti, ad annum mundi MMMM. pag. 567. novissimæ editionis Genevensis. Hæc autem eo enarrata voluimus, ut illorum objectu importunas discutiamus ambages, quas recentes Scriptores nonnulli in aperienda militia, quam Romani cives, ac Socii profitebantur, lectoribus ingerunt, gravibusque erratis caussam præbent: quibus Romanæ Reipublicæ historiam labefactari necesse est, ubi semel alia quam par fuerat ponendæ, supplendæque militiæ ex Romanis Sociis, & Civibus ratio constituitur.

XLVII. At vero, ne qua in parte Bruttiorum adversariis, & obloquutoribus non obsecundemus, fingamus ab altero bello Punico ad Jesu Christi mortem, illos memorata ab Appiano, & Gellio de caussa non militasse, nec militare potuisse: Romanisque Magistratibus in Provincias euntibus, tanquam servos ministrasse. Præterea velut certum, & exploratum habeatur, (quod tamen, nec certum, neque exploratum revera est) nihil in tanta temporum diuturnitate, mutatione rerum, & imperii de irrogata semel in Bruttios poena fuisse remissum; unum denique, quod illustri populo dedecus afferret, invariatum perennasse. An inde certo colligere licet, a Bruttiis, & non ab aliis *Salvatorem* nostrum ad columnam ligatum, flagellis cæsum, & cruci fuisse affixum? Imo si solidis hærere historiæ momentis, ac recte uti ratione velimus, dicendum omnino est, ea de caussa, qua omni poenitus exclusi militia Bruttii fuerant, alterius nationis homines, qui revera milites erant, Christi Lictores, atque carnifices exstitisse. Certum enimvero est ex libris Euangelii, ea *ab militibus* fuisse peracta. Matthæus capite XXXVII. versu 27., & sequentibus scribit: *Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum, ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum: & cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes.* Marcus capite XV. versu 16., & sequentibus: *Milites autem duxerunt eum in atrium Prætorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum: Ave Rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum: & ponentes genua adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis, & educunt illum, ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyreneum venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpetratum Calvariæ locus. Et dabant* ei

*ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit. Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* Joannes capite xix. versu 23., & sequentibus. *Milites ergo cum crucifixissent eum acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes (unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: Et milites quidem hæc fecerunt* Iidem Græce a Joanne, & Marco Στρατιῶται appellantur, veræque militiæ indicant milites, qui suas habebant classes cum muneribus. Post Euangelicam historiam veteres Ecclesiæ Patres passim idipsum testantur, verbisque adeo apertis efferunt, & inculcant, ut stuppeus omnino sit, atque ficulneus, qui in tanta literarum luce, divina quoque auctoritate circumfusa, cæcutire velit, turpiterque, ac stolide errare. Juvencus Presbyter libro iv. de historia Euangelica versu 645. & sequentibus.

*Traditus at trucibus Justus, scelerisque ministris*
*Innocuus, scelerata opprobria in corpore perfert;*
*Purpuream que illi tunicam, chlamydemque rubentem*
*Inducunt; spinisque caput cinxere cruentis;*
*Inque vicem sceptri dextram comitatur arundo:*
*Tunc genibus nixi regem, Dominumque salutant*
*Judææ Gentis: faciem lavere salivis,*
*Vertice & in sancto plagis lusere nefandis.*
*Hæc ubi transegit miles ludibria demens,*
*Indutum propriæ ducebant tegmine vestis*
*Et Cives ad pœnam Sanctum, Justumque trahebant.*

S. Hilarius Pictaviensis Episcopus in Commentariis ad Psalmum II. numero vi., de Gentilibus loquens: *Quæ* [inquit] *usque adeo fremuerunt, ut corona spinea compunxerint, veste regia indutum salutatione & honore regis illuserint, arundine caput contuderint, aceto, ac felle potaverint, lancea latus foderint, Cohors enim militum Pilato subditorum ex fremitu iræ intemperantis hæc gessit.* S. Leo Papa cognomento *Magnus* Sermone viii. de Passione Domini capite tertio, de Judæis disserens. *Frustra* [inquit] *a crucifigendo majestatis Domino manus proprias continebant, in quem lethalia vocum spicula, & venenata verborum tela jaciebant. Vobis, vobis, o falsi Judæi, & Sagrilegi Principes populi totum facinoris istius pondus incumbit. Et licet immanitas sceleris & Præsidem obligarit, & milites, omnis tamen facti summa vos arguit. Et quidquid in supplicio Christi, vel Pilati peccavit judicium, vel Cohortis obsequium, hoc vos facit humani generis odio digniores.* Sedulius Presbyter libro v. Operis Paschalis, sive *mirabilium Divinorum* versu 161., & seqq.

*Cumque datus sævis ad poenam Sanctus abiret*
*Militibus, rubri vilem sub tegmine cocci*
*Vestitur chlamydem, species ut cuncta cruentæ*
*Mortis imago foret, spinis circumdedit amplum*

*Nexa corona caput: quoniam spineta benignus*
*Omnia nostrorum susceperat ille malorum.*
*Implet arundo manum &c.*

S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus homilia XVI. in Euangelia: *Certe iniquorum omnium caput diabolus est, ut hujus capitis membra sunt omnes iniqui: An non diaboli membrum fuit Pilatus? An non diaboli membra Judæi persequentes, & Milites crucifigentes Christum, fuerunt?*

XLVIII. Neque tantum adversam Euangelicis libris, priscisque Patribus fabellam fingunt, qui a Bruttiis militare non valentibus Christum Dominum crucifixum effutiunt, sed Romanæ historiæ, quam nullo merito literario orbi obtendunt, minus testata produnt, & congruentia. In ea siquidem nihil magis exploratum, atque perspicuum est, quam sub initium Romani Imperii, ac primo Jesu Christi seculo milites apud Romanos supplicia & neces promiscue irrogare consuevisse. L. Florus, seu alius germanus auctor in Epitome Liviana libro cxx. *M. Ciceronis (occisi a Popilio legionario milite, quum haberet annos sexaginta tres) caput quoque cum dextera in rostris positum est*. *Prominenti* ( inquit Livius ) *ex lectica præbensque immotam cervicem, caput præcisum est. Nec satis stolidæ crudelitati militum fuit: manum quoque, scripsisse aliquid in Antonium exprobrantes, præciderunt*. Cornelius Tacitus libro I. Annalium, loquens de Sempronio Graccho Juliæ adultero: *Tum Milites ad cædem missi*. Suetonius in C. Caligula Capite xxxII. *Sæpe in conspectu prandentis, vel commessantis seriæ quæstiones per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex quibuscumque e custodia capita amputabat*. Tacitus libro I. historiarum scribens de interitu Galbæ: *Crebrior fama tradit, Camurium, xv. legionis militem, impresso gladio jugulum ejus hausisse*. Ibidem de nece T. Vinii: *Ab Julio Caro legionario milite utrumque latus transverberatus*: Et paullo post: *Laco præfectus tamquam in Insulam seponeretur, ab evocato, quem ad cædem ejus Ottho præmiserat, confossus*. Idem libro xv. Annalium, ad denunciandam inferendamque necem Pisonis, *Manum militum advenisse* prodit: *Quos Nero* ( inquit ) *tirones, aut stipendiarios recentes delegerat. Nam vetus miles timebatur*. Libro I. historiarum: *Advenere jussu Otthonis nominatim in cædem ejus ardentes Sulpicius Florus e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, & Statius Marcus Speculator: a quibus protractus Piso in foribus templi trucidatur*: Hujusmodi militum munus spectans Tertullianus in Apologetico adversus Gentes Capite . . . . . scribit: *In crimine læsæ majestatis omnis homo miles est*: Nimirum, *exsequendæ cædis capax, ut scelus vindicet*, ut locum interpretatur Ludovicus Dorleans in novis cogitationibus ad Tacitum libro I. *Et sic interpretari oportet*, addit idem Dorleans, *eumdem auctorem libro de Coronæ militis Capite* xI. PRETIO OPERABITUR FILIUS *PACIS*, CUI NEC LITIGARE *CONVENIT* ( Nam Christiani omnes lites exsecrabantur ) *& vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum. Erant enim hæc omnia militum munia. Noster* ( idest Tacitus ) libro I. Annalium infra: *Eumdem ergo Senatum consulendum, quoties supplicia & prælia indicuntur. Vide supplicia & prælia simul juncta, quæ*

*sunt Militaris munus operæ*. Ita vir gravis & doctus. Non alia plane sententia Juvenalis indicaturus, quam facile vitæ periculum incurrerent divites imperante, qui alienis inhiat opibus, iniquo principe, ad crimina & mortis caussas per fas & nefas inquirendas semper intento, scripsit Satyra x. versu 15. & sequentibus:

*Temporibus diris igitur, jussuque Neronis*
*Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos*
*Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes*
*Tota cohors, rarus venit in cœnacula miles.*

XLIX. Non gregarios dumtaxat milites, sed Centuriones etiam, ac Tribunos damnatis mortem intulisse liquet. Ad interficiendum M. Tullium Ciceronem Latinæ eloquentiæ principem, *Herennium Centurionem*, & C. Popillum Lænatem *Tribunum Militum* percussores missos, Plutarchus in ejus vita testatur. Tacitus libro I. Annalium de Tiberio loquens: *Primum facinus novi principatus fuit Posthumi Agrippæ cædes, quem ignarum, inermumque, quamvis firmatus animo Centurio, egre confecit*. Idem libro XVI. Annalium de Antejo Ostorio: *Missus Centurio, qui cędem ejus maturaret*. Et multis interjectis in eodem libro: *Silanus .... municipio Apuliæ, cui nomen & Barium, clauditur. Illic indignissimum casum sapienter tolerans, a Centurione ad cædem misso corripitur*. Suetonius Tranquillus in Cajo, Capite LIX. *Cœsonia gladio a centurione confossa*. Aliquando Centuriones supplicio erant præpositi, jubebantque Speculatoribus cædem facere, ut constat ex Seneca libro I. de Ira Capite XVI. De Tribunis non rara, neque obscura occurrunt exempla. Suetonius in Tiberio capite XXII.: *Excessum Augusti non prius palam fecit, quam Agrippa Juvene interemto. Hunc Tribunus militum custos appositus occidit, lectis codicillis, quibus, ut id faceret, jubebatur*. Idem in Caligula Capite xxiii. *Fratrem Tiberium inopinantem, misso Tribuno militum, interemit*. Seneca Epistola IV. *Cajus Cæsar jussit Lepidum Decio Tribuno præbere cervicem*. Cornelius Tacitus libro III. Annalium de Pisone: *A Tribuno Pastorio Cohortis deductus est vario rumore; custos salutis, an mortis exactor*. Idem libro XI. *Messalina etiam ictu Triuani transfigitur*. Lib. XII. *Ad Lolliam mittitur Tribunus, a quo ad mortem adigeretur*. Libro XV. Vestini cædem a Nerone imperatam narrans: *Gerclanum Tribunum cum cohorte militum immisit, jubetque prævenire conatum Consulis*. Ibidem de nece Plautii Laterani item Consulis ejusdem Neronis jussu interemti: *Raptus in locum servilibus pœnis sepositum, manu Statii Tribuni trucidatur, plenus constantis silentii, nec Tribuno objiciens eamdem conscientiam*. Idem in eodem lib. *Pœna Flavii Vejano Nigro Tribuno mandatur........ admonitus fortiter protendere cervicem. Utinam, ait, tu tam fortiter ferias. Et ille multum tremens, quum vix duobus ictibus caput amputasset, sævitiam apud Neronem jactavit, sesqui plaga interfectum a se, dicendo*. Plautii ac Flavii cædes a Tribuno peractas expendens Godeschalcus Stevvechius in Commentario ad librum I. Vegetii *de re militari* Capite XXIII. suspicatur: *id ipsum tunc observatum, quum qui puniendus erat, aliqua dignitate reliquis antistaret*. *Certe* (inquit) *Lateranum illum*

*illumConsulem designatum fuisse observabam, ipsumque Flavium etiam Militum Tribunum*. Idem de præfectis Prætorio imperatam sibi exsequentibus cædem, notat Ludovicus Dorl eans ad librum 1. Annalium Cornelii Taciti pagina 24.

L. Justus Lipsius in Commentariis ad librum quintumdecimum Annalium Cornelii Taciti, quum amimadvertisset, *Tribunos interdum supplicium manu sua sumsisse*: *Notari* (inquit) *volo. Nam alias Speculatores fere ad supplicia sumenda destinati, non insignes milites*. Godeschalcus Stevvechius ad librum 1.Vegetii *De re militari* Capite XXIII. idem prodit. *Erant quippe hi Speculatores suppliciis sumendis destinati, ut jam audisti, & probat Tacitus libro* 1. *historiarum, nominatim in cæde Pisonis. Quidam Spiculatores non recte nominarunt, ut Abdias libro* IV. *in supplicio Jacobi, & Josiæ, item alii. Ceterum Speculatores appellandi sunt, ut apud Julium Firmicum libro* VIII. *Capite* XXVI. *& lege: Divus: De bonis damnatorum. In Euangelio Marci Capite* VI. *versu* 27. ἀποςείλας ὁ Βασιλεὺς σπεκυλάτορα. Quod de Speculatoris orthographia notat Vir gravis & eruditus, ratione valida, & veterum Latinorum scriptorum auctoritate nititur. Speculator enim ab *specio*, *quo Ennius usus* est verbo derivat M. Terentius Varro libro V. de lingua Latina, docetque auctor ipse Romanorum doctissimus: *Hinc specula, hinc speculum, quod in eo specimus imaginem. Specula, de qua prospicimus. Speculator, quem mittimus ante, ut respiciat, quæ volumus*. Id genus militum passim antiquæ Inscriptiones memorant. Apud Gruterum pag. 126.

SCHOLA . SPECULATORUM . LEGIONUM . I.
ET II. ADIUTRICUM. PIAR. FIDELIUM.

Apud J.B. Donium Classe VI. num. 64.

SPECULATOR. COHORTIS. I. PRAETORIAE

Numero 95.

SPECULATOR. COHORTIS. VII. PRAET.

Numero 178.

SPECULATOR. COH. VII. URBAN.

Numero 136. occurrit

VETERANUS. SPECULATORUM

Numero 3. ejusdem classis memoratur

COHORTIS. III. SPECULATORUM. ANTIQUUS
CENTURIO.

Numero 7.

CENTURIO COHORT. VI. SPECULATOR.
CLASSIS MISENAT.

Neque solum pedites Legionarii, Prætoriani, Urbani, & Classarii, sed fuerunt etiam Speculatores *equites*. In Syntagmate Inscriptionum antiquarum Thomæ Reynesii classe VIII. numero lxiv, pag. 539. Epitaphium exhibetur, in quo legitur;

M. ALIMIUS M. F. VEL.
SABINUS EQ. R.
SPECULATOR. ET. PRAEF.
TURMAE SPECULATOR.
AUSILIAR. LEG. III. SCYTH.

Apud Rosatos Anxanenses cives nostros in Tabula ænea reperta inter ruinas antiqui Templi prope Aternum;

L. VETURIUS. PRÆF.
TURMÆ. SPECULAT.
VALERIEN.

Milites Valerienses pertinebant ad legionem vicesimam, ab Augusto Cæsare constitutam; cui VICTRICIS cognomentum exstitit. Quamvis autem Græcum Sancti Marci Σπεκȣλάτωρα (non Σπεκȣλάτορα, vel Σπεκȣλάτοραν, ut in pluribus apud Millium MS. Codicibus habetur) ex Latino factum, quemadmodum multa in Euangeliis, & posterioris ævi tum Ecclesiasticis tum profanis scriptoribus leguntur, a *Spiculatore* potius *Spiculum gestante*, quam a *Speculatore* secundum Varronis etymologiam nonnulli dictum velint, Vossio non improbante; atque adeo ita distinguant, ut di-

 ver-

versum in utroque ministerium agnoscant: tamen quum certum sit sæpe confundi, & *Speculatorem* in Græco-Latinis Philoxeni Glossis transferri κατάσκοπον, καὶ ἀποκεφαλίζοντα, satius visum est *Speculatorem* retinere, ut in citato Sancti Marci capite allatisque monimentis solida atque perspicua ratione vallatis, legitur: sive pro Δημίῳ Carnifice sive pro Διοπτῆρι, Διαγγέλῳ Exploratore, Annunciatore Πτεροφόρῳ Ἡμεροδρόμῳ Ἐκ τῶν σλοίπων ἀγγελαφόρῳ, aliisque accipiatur.

LI. Munus & jus Speculatorum in vestes damnatorum ad ultimum supplicium præclare illustrat Jacobus Rœvardus Conjectaneorum libro iii. capite xiii. Adeo autem perspicue *a Militibus Speculatoribus* Jesum Christum crucifixum fuisse vir gravis ostendit, ut si verum animo liberrimo sectari velimus, non aliter nobis merito sentiendum sit. *Si de reo* (inquit) *sumendum esset supremum in Provinciis supplicium, Centurio cum suis Speculatoribus ad locum supplicii reum perducebat, nec ante decedebat, quam Præsidis sententia mandata foret exsequutioni. Sic enim in Cypriani Martyris vita scripsit Pontius Diaconus.* ET CUM EXIRET PRÆTORII FORES, *IBAT COMES MILITUM TURBA: ET NE QUID IN PASSIONE DEESSET, CENTURIONES, ET TRIBUNI LATUS TEXERANT. Eum morem visus est etiam in Euangelio expressisse divus Marcus Capite xv. In hanc enim sententiam scribit. MILITES CHRISTO EXTRA PRÆTORIUM DUCTO, TOTAM COHORTEM CONVOCANT, EUMQUE PURPURA INDUUNT. ET POSTQUAM EI ILLUSERUNT, SPOLIANTES EUM PURPURA, IPSIUSQUE VESTIBUS INDUENTES, CRUCIFIGENDUM AD LOCUM GOLGOTHA, (QUOD CALVARIÆ LOCUM SIGNIFICAT) EDUCUNT. Et quia divus Matthæus Centurionis meminit, qui Jesum servabat, ex eo probabiliter conjectari licet, id prorsus esse vero consentaneum, quod de Centurione, & Speculatoribus dixi: Eamque Cohortem, cujus meminit divus Marcus ex Speculatoribus, & Optionibus exstitisse. Atque ita Speculatores accepisse videri potest Cornelius Tacitus libro xix. cum ait, FABIUS VALENS CUM QUATUOR SPECULATORIBUS, ET TRIBUS AMICIS, TOTIDEMQUE CENTURIONIBUS AD NAVES REGREDITUR MATURE. Observari etiam solebat, ut reo ad locum supplicii perducto, tot Speculatoribus, aut sorte, aut aliqua alia ratione exsequutio sententiæ mandaretur, quot esse ad eam rem necessarii viderentur. Et hinc deinde factum est, ut per* SPECULATORES *interdum Carnifices intelligerentur. Cum alioquin hi proprie dici Speculatores soleant, qui hostilia silentio prospiciunt, Festo, Lucio Floro, Æmilio Probo, & Tertulliano auctoribus. Julius Firmicus libro viii. Capite xxvi. SPECULATORES FACIET, QUI NUDATO GLADIO HOMINUM AMPUTANT CERVICES. Meminit etiam SPECULATORUM Paulus Diaconus cum ait:* CYPRIANUM STETISSE IN LINEIS EXSPECTANTEM SPECULATOREM. *Et Seneca de Ira libro i.* TUM CENTURIO SUPPLICIO PRÆPOSITUS CONDERE GLADIUM SPECULATOREM JUBET: *Et de hujusmodi Speculatoribus visus est Ulpianus sensisse cum scribit:* PANNICULARIA AD SPECULATORES

*RES PERTINERE*. *Capite vi. DE BONIS DAMNATORUM*. *Haud dubie per Speculatores carnifices intelligens, eorumque jus vetus simul exprimens. Moris enim erat, ut rei damnati & affecti supremo supplicio, vestimenta inter se carnifices dividerent, eumque morem docent nos Euangelistæ singuli. Ajunt enim, Milites quatuor postquam Jesum Cruci affixerant ejus vestimenta cepisse, & ex iis quatuor partes fecisse, singulis militibus unam. Nec alio videtur referendum, quod Paulus Diaconus ait, Cyprianum Martyrem ad locum supplicii perductum SE BIRRO EXSPOLIASSE, ET TRADIDISSE CARNIFICIBUS. Eaque omnia, quæ PANNICULARIA dicuntur, sibi Jure suo hujusmodi Milites olim usurpasse, auctor est idem Ulpianus dicto capite sexto*. Hactenus vir doctissimus juris peritia & eruditione cum primis illustris. Ulpiani autem verba libro x. *de Officio Proconsulis*, recitata in Digestorum libro xlviii. lege vi. §. *Panicularia* ex rescripto *Divi Hadriani Aquilino Braude* sunt, quæ sequuntur. *Panicularia sunt, quæ in custodiam receptus secum attulit spolia, quibus indutus est quis, quum ad supplicium deducitur, ut ea ipsa appellatio ostendit. Itaque neque Speculatores ultro sibi vindicent: neque Optiones ea sibi desiderent, quibus spoliatur, quo momento quis est punitus*. Hujusmodi Juris militum Speculatorum in historia quoque Ecclesiastica non obscura monimenta occurrunt. Constat etiam, quandoque ab invictis Christi Martyribus, qui libentissime mortem obibant, id ipsum Speculatoribus generosa liberalitate compensatum fuisse, vel cumulatum. In actis Proconsularibus Martyrii S. Cypriani Episcopi Carthaginensis numero v. legimus: *Cum se dalmatica expoliasset, & Diaconibus tradidisset, in lintea stetit, & cœpit Spiculatorem sustinere. Cum venisset autem Spiculator, jussit suis, ut eidem speculatori viginti quinque aureos darent*. Diaconibus nimirum ab Antistite sanctissimo tradita fuerat vestis Dalmatica, quæ Militi interfectori debebatur. In actis S. Maximiliani martyris vulgatis a Theodorico Ruinartio pag. 164. editionis Veronensis, ipse Christi Pugil gladio perimendus ad patrem conversus ait: *Da huic Spiculatori vestem meam novam, quam mihi ad militiam præparaveras*. De vestibus damnati ad mortem importune ac satis infeliciter agit Antonius Monachus in Tractatu *de Exsequutione in Vestibus* Capite ii. numero xlviii. & ultimo: res enim est hujusmodi, quæ majorem ab ipso eruditionem postulat & diligentiam. Gratiam autem a lectoribus iniisset, si ubi divisas a militibus Christi vestes memorat, militum Speculatorum, qui illum crucifixerunt, jus designasset. Sed hac in parte ab iis etiam, qui sacros Euangelii libros prolixis commentariis explicarunt, non raro peccatum est. Ex tot antiquis itaque scriptoribus ac diversi generis monimentis exploratum est, milites in Castris & in Urbe jussu Imperatoris, in provinciis autem jussu præsidum, damnatis pœnas atque supplicia inferre consuevisse. Qui mos apud Hebræos adeo constanter servatus est, ut si qui inter indigenas extra militum ordinem suppliciis quandoque sontes afficerent, id *vice Militum* actum haberetur ac proderetur. Chereas apud Josephum lib. xix. Judaicarum antiquitatum Capite i. διακονούμεθα δορυφόροι, καὶ δήμιοι καθεστηκότες ἀντὶ στρατιωτῶν *Ministramus Satellites*

*& Carnifices constituti pro militibus.*

LII. Qui supplicia irrogabant milites, solebant & reos homines capere, eisque vincula indere. Tacitus libro xi. Annalium de Asiatico scribit. *At Claudius nihil ultra scrutatus, citis cum militibus tamquam opprimendo bello Crispinum Prætorii præfectum misit, a quo repertus apud Bajas, vinclisque inditis, in Urbem raptus, neque data Senatus copia, intra cubiculum auditur Messalina coram.* Idem eodem libro de Silio, & Messalina ad supplicium quæsitis: *Ceteris passim dilabentibus affuere Centuriones, inditaque sunt vincula, ut quis reperiebatur in publico, aut per latebras.* Libro xi. *Fænius Præfectus jussu Imperatoris* [Neronis] *a Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur, vinciturque.* Reorum custodia, ut liquet ex Ulpiano libro II. *de Officio Proconsulis*, alia erat *publica*, alia *militaris*, alia *libera*, alia fidejussoribus *commissa*: quas erudite, more suo, explicat Bævardus libro iii. Variorum capite xii. De militari custodia perspicua testimonia exhibent liber quadragesimus octavus novi digesti titulo *De Custodia & exhibitione reorum*, lex II. Codicis *de exactoribus Tributorum*, & lex xvii. *de erogatione militaris annonæ*; illamque præclare illustrat Lipsius in Commentario ad librum iii. Annalium Cornelii Taciti pag. 140. & sequenti, itemque Dorleans in novis cogitationibus ad Tacitum libro vi. pag. 361. 362. Huic non solum traditum fuisse Christum Dominum ex Matthæi capite xxvii Marci cap. xv., & Joannis cap. xix., verum etiam beatos Apostolos ejus Petrum & Paullum, ut constat ex actis Apostolicis capitibus xii. xxiii., & xxvii. Per milites quoque *infligi verbera* consuevisse, præter historiam Jesu Christi, passim Romani Scriptores narrant. Suetonius in Tiberio capite liii. *Nurum Agrippinæ post mortem mariti in Pandatariam relegavit, conviciantique oculum per Centurionem verberibus excussit.* Idem in Caligula capite xxvi. *Quæstorem suum in conjuratione nominatim flagellavit, veste detracta projectaque militum pedibus, quo firmi verberaturi insisterent.* Non unus denique Matthæus in Euangelii capite xxvii. prodit a militibus asservata, & custodita fuisse interfectorum cadavera. Petronius Arbiter, qui Nerone imperante Romæ floruit, in Satyrico scribit: *Miles, qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret injusso Magistratu.*

LIII. Historia Ecclesiastica sequentis ætatis non minus aperta de rebus ipsis exempla suppeditat. Profecto Christianos jussu Præsidum a militibus captos custodiri consuevisse, constat ex actis S. Ignatii Episcopi Antiocheni, & Martyris, editis primum ab Usserio, deinde a Ruinartio; Ex epistola ejusdem S. Ignatii ad Romanos, ex Apologia secunda S. Justini Martyris oblata M. Aurelio Imperatori, apud Eusebium Episcopum Cæsariensem libro iv. capite xvii. ex Epistola Ecclesiarum Viennensis, & Lugdunensis ad Christianos per Asiam, & Phrygiam constitutos, apud eumdem Eusebium libro v. capite primo; ex actis Sanctorum Tryphonis, Respicii, aliorumque plurium collectorum ab eodem Ruinartio. Quod pertinet ad supplicia irrogata per milites, Ecclesia Smyrnensis in Epistola de Mar-

Martyrio Sancti Polycarpi Episcopi numero xviii. scribit. Ἰδὼν οὖν ἑκατόνταρχος τῶν Ἰουδαίων γενομένην φιλονεικίαν θεὶς αὐτὸν ἐν μέσῳ τοῦ πυρὸς ἔκαυσεν. *Videns autem Centurio a Judæis ortam contentionem, corpus in medio ignis positum exussit*. Acta sincera S. Pionii Martyris: *Vltro se vestimentis spoliavit. Et in cælum suspiciens, ac Deo gratias agens, super lignum se ipsum extendit, militique tradidit, ut clavis crucifigeretur* S. Fructuosus Episcopus *a Militibus beneficiariis* captus est, atque detrusus in Carcerem, ex actis ejus numero I. *Beneficiarii* autem dicebantur, qui ad militiam Tribunorum beneficio promoti erant, teste Vegetio libro ii. *de re militari* capite viii. Eos milites adstitisse supplicio, quum idem Fructuosus, itemque Augurius, & Eulogius Diaconus vivi comburerentur, in iisdem actis legimus. Acta Sanctorum Martyrum Jacobi, & Marciani produnt. *Tunc attentantur numerosis durisque cruciatibus per Stationarium militem, justorum, piorumque carnificem.* Ex actis Proconsularibus Sanctorum Claudii, Asterii, & aliorum liquet Eustalium *Commentariensem*, & Archelaum *Speculatorem* tormenta, poenasque, a Præside Lysia imperatas irrogasse, ejusque jussa exequutioni mandasse. Acta sincera Passionis Sanctorum Martyrum Donati, Felicis, & fratrum eorum, edita nuper a viro clarissimo Victorio Ciovardo pag. 86. *Alia die præcepit Speculatori, ut capita eorum incideret. Decollati sunt autem beatissimi athletæ Jesu Christi Donatus & Felix in eodem loco Sentiano, die kalendarum Septembrium.* Dies profecto me deficeret, si quæ in rem ipsam in aliorum Martyrum probatis actis leguntur, hic referrem. Pauca e multis indicasse sufficiat, ut quod hactenus luculentis, & apertis testimoniis multifariam ostendimus, hoc etiam ex capite fiat clarius.

LIV. Exploratum ergo, certumque est, milites non servos apud Romanos vincula, tormenta, & neces inferre consuevisse; ac Jesum Christum Dominum nostrum ab ipsis militibus usitato more cruci suffixum, & interemtum. Cujus tamen nationis illi fuerint, penitus ignotum est. Ex antiquis Ecclesiæ Patribus sunt qui produnt, triste illud ministerium obivisse *Judæos*, alii id egisse *Romanos*, quorum nomen, quum latissime patuerit, novas rursus difficultates parit, & ambages. Lactantius Firmianus libro iv. divinarum institutionum capite duodevigesimo, scribit: *Pontius, & illorum clamoribus, & Herodis Tetrarchæ instigatione metuentis ne regno pelleretur, victus est. Nec tamen ipse sententiam protulit, sed tradidit eum Judæis, ut ipsi de illo secundum legem suam judicarent. Duxerunt ergo eum flagellis verberatum: & prius quam cruci affigeretur, illuserunt, indutum enim coloris punicei veste, ac spinis coronatum, quasi regem salutaverunt; & dederunt ei cibum fellis, & miscuerunt ei aceti potionem. Post hæc consputerunt faciem ejus, & palmis ceciderunt. Cumque ipsi Carnifices de vestimentis ejus contenderent, sortiti sunt inter se de tunica, & pallio. Et cum hæc omnia fierent, nullam vocem ex ore suo, tamquam si mutus esset, emisit. Tum suspenderunt eum inter duos noxios medium, qui ob latrocinia damnati erant, crucique affixerunt. Quid ergo hic in tanto facinore deplorem...... Quid de hujus crucis indignita-*

*gnitate dicemus, in qua Deus a Cultoribus Dei suspensus est atque suffixus?* Optatus Milevitanus libro ii. contra Parmenianum loquens de Donatistis. *Christum* (inquit) *partiri conati sunt, cujus Judaei nec vestimenta scindere voluerunt*. S. Hieronymus libro ii. Epistola vi. ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ. *Cerne manus Judææ, quas fixeras, cerne latus Romane, quod foderas. Videte corpus, an idem sit, quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos*. S. Augustinus sermone ii. de Epiphania Domini: *Verumtamen, quod prætereundum non est, hæc Magorum illuminatio magnum testimonium cæcitatis exstitit Judæorum. In terra eorum isti requirebant, quem illi in sua non agnoscebant. Apud eos isti infantem invenerunt, quem illi apud se negaverunt. In his terris de longinqua isti, & peregrini puerum Christum nec dum verba promentem adoraverunt, ubi cives illi Juvenem miracula facientem crucifixerunt.* Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus lib. vi. de Trinitate numero lii. *Verumtamen etiam Gentium in eo fidem sume. Audi enim inter sævas Crucis custodias Romanæ* Cohortis *indomitum ad fidem Militem. Loquitur namque conspectis tantæ virtutis operationibus* Centurio: *Vere filius Dei erat iste*. Auctor libri, qui inscribitur: *Dicta, & interpretationes Parabolarum Sacræ Scripturæ*: quæstione lxxvi. apud Sanctum Athanasium Tomo II. pag. 416. *Quidnam est: Quare fremuerunt Gentes, & Populi meditati sunt inania? Responsio. Gentes dicit Romanos, Francorum videlicet genus, qui Christum crucifixerunt*. Ex recentioribus Joannes Baptista Mantuanus libro ii. de suorum temporum calamitatibus, Jesu Christi erga nos charitatem ita commemorat:

*Ut patrias sordes, crimenque aboleret avitum,*
*Legit inauditum fati genus: illita fuso*
*Sanguine, & ardenti liventia verbere membra.*
*Perfossumque caput, terebrataque tempora duris*
*Sentibus, erexit miles Romanus in altum*
*Aera.* —— —— ——

De natione Militis, qui latus Jesu Christi e cruce pendentis lancea aperuit, non una item est Scriptorum sententia. Memoratus Joannes Baptista Mantuanus libro 1. de sacris diebus.

*Sunt qui* Cappadocem, *sunt qui testantur* Isaurum
*Te armorum Longine decus. Tu bella gerebas*
*Tempore, quo nobis Proles divina salutem*
*Attulit. Ipse suas Mavors tibi dedicat idus,*
*Octobris vero decimum tibi Græcia sextum*
*Jure diem celebrat, multoque illuminat igne.*
*Rege sub Augusto, sub successore fuisti*
*Centurio. Demum in foribus cum lenta senectus*
*Jam foret, ad Christi crudelia fata cohortem*
*Jam lippis duxisti oculis, ac lumine tardo.*
*Tu cæcus non mente minus, quam corpore, sanctum*
*Lancea, & admoto pectus mucrone petisti.*
*Inde cruor confusus aquis hastilia circum*
*In digitos lapsus, tetigit cum lumina, morbum*

Su-

*Sustulit* ——————

Profecto Menologium Græcorum jussu Basilii Porphyrogeniti Imperatoris Græce editum ad sextum decimum calendas Novembris Ἐπὶ Τιβερίου καίσαρος ἦν ἑκατόνταρχος ἐκ χώρας τῶν Καππαδόκων *Hic Tiberio Cæsare centurio fuit ex Regione Cappadocum*; Petrus vero de Natalibus in Catalogo libro iii. capite xxiii. eum Asiaticum *de Provincia Isauriæ* fuisse memorat. Contra Simeon Metaphrastes in actis Sancti Longini apud Surium Tomo vii. *Judæum* appellat. Laurentius Longus, in vita ejusdem *Romanum*, & quidem e Gente Cassia. Ut nihil demum loquar de pseudo Lucio Dextro, qui in vulgatis ejus nomine Chronicis ad annum Domini xxxiv. C. Opium militem natione *Hispanum* fuisse prodidit, qui Jesu Christi pro salute nostra in cruce mortui latus diro lanceæ mucrone transverberavit.

LV. Quæ quum ita sint, quemadmodum tam varia secumque adversis frontibus pugnans, antiquorum atque recentium scriptorum sententia de natione militum, qui Christum crucifixere, in eumque patibulo affixum sævierunt, obscuram, atque implexam reddit historiam, ita inconcussum Euangelicorum librorum testimonium Bruttio nomini obtrectantium conlatum placitis perspicuum reddit, id sceleris nec patrasse Bruttios, neque patrare potuisse. Apud Romanos siquidem adeo diversa, & opposita fuit militis, & servi conditio, ut alia aliam omnino excluderet, ac penitus destrueret. Enimvero militandi potestatem apud Romanos non fuisse servis, Livii, Sallustiique, Flori, aliorumque testantur historiæ. Historicis autem aperta Scriptorum varii generis adstipulantur asserta. Extremas etiam pœnas leges adhibuerunt, ut id juris, & facultatis unis liberis, atque ingenuis servarent integrum. In novo digesto Titulo *De re militari* lege xi. *Ab omni militia servi prohibentur, alioquin capite puniuntur*. Trajanus Imperator apud Plinium libro x. Epistola xxxix. de Servis inter tyrones milites repertis decernit. *Lecti si sint, Inquisitor peccavit; si vicarii dati, penes eos culpa est qui dederunt. Si ipsi, quum haberent conditionis suæ conscientiam, venerunt, animadvertendum in illos erit*. Quæ lex diu ante Trajanum adeo rigide a Romanis servabatur, ut, si quando iniqua temporum, ac reipublicæ conditione cogente, servi ad militiam evocare contingeret, non ante id fieret, quam in libertatem vindicarentur, ut constat ex Livio libro xxii. Discrimen & in militia inter eos, natosque ingenuos servatum est. Tradit enim in Augusto Suetonius Capite xxv. Ipsum *servos viris, feminisque pecuniosioribus inditos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuisse: neque aut commixtos cum ingenuis, aut eodem modo armatos*. Qui in Romanum imperium successere summi principes militare decus more ac jure prisco religiose servarunt: & ne qua in parte violaretur, novis cavere legibus, ut constat ex Codice Justiniani Imperatoris, titulo *de iis, qui militare possunt, vel non*, lege vi., Titulo *de Tyronibus* lege 11.

LVI. Patere itaque ex his arbitror, nihil adversus Bruttios, Calabriæ Populos, Catonem tradere: Ipsius testimonium ex arbitrio ad sua figmenta comprobanda traduxisse Gellium, qui nulla non ex parte priscæ

priſcæ Romanorum adverſatur hiſtoriæ: Gelliano demum commento abuſos eſſe recentiores quoſdamScriptores, qui fabulas miſcentes fabulis, omni prorſus examine poſthabito, arbitrariis potius aliorum excogitatis hærere maluerunt, quam veritatem inquirere. Res profecto graviſſima, a memoria illorum longe remota, de qua agebatur, jure poſcebat, ut antequam nobilis Italiæ Populus ea nota, quacum multiplex infamia conjuncta eſt, adſpargeretur, antiqua, & quæ potiſſime ad alterum bellum Punicum pertinent, monimenta diligenter expenderentur: tum Gellii placita, & quod ex Gellio inferebatur magni ponderis aſſertum, cum Romana, ac Jeſu Chriſti hiſtoria, æquo ac maturo judicio componerentur. Nihil enim homini magis præſtandum eſt, ut monet Seneca in libro de Vita beata Capite i. quam *ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur*. In tuto etiam poſita eſt fama Magni Cardinalis Baronii: qui in Annalibus Eccleſiaſticis affictam per ſummam injuriam Bruttiis labem depellens, veritati patrocinium impertiit; nomenque ſuum immortale nova meriti acceſſione cumulavit. Cui fruſtra recens Scriptor Gallus, & ipſe putidiſſimis A. Gellii, ac recentiorum Scriptorum figmentis inſiſtens, detrahere conatus eſt.

*L A U S   D E O.*